



**Pauli Iouii nouocomensis episcopi nucerini illustrium virorum
vitae : accessit ad posteriorem hanc editionem alphonsi
atestini ducis ferrariae vita, cum gemino indice regionum
scilicet, ciuitatum fluuiorum & portuum antiquis & nouis
nominibus, & rerum memorabilium.**

<https://hdl.handle.net/1874/400288>



**Dit boek hoort bij de Collectie Van Buchell
Huybert van Buchell (1513-1599)**

Meer informatie over de collectie is beschikbaar op:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>

Wegens onderzoek aan deze collectie is bij deze boeken ook de volledige buitenkant gescand. De hierna volgende scans zijn in volgorde waarop ze getoond worden:

- de rug van het boek
 - de kopsnede
 - de frontsnede
 - de staartsnede
 - het achterplat

**This book is part of the Van Buchell Collection
Huybert van Buchell (1513-1599)**

More information on this collection is available at:

<http://repertorium.library.uu.nl/node/2732>


Due to research concerning this collection the outside of these books has been scanned in full. The following scans are, in order of appearance:

- the spine
- the head edge
- the fore edge
- the bottom edge
- the back board

C. oct.


2

15



97.
70000
dd.





er pica
 sum. **E** tunc in
 bas tu eo tui aduicis portio
 ne tua ponebas. **O**s tuu ha
 bundant malicia. & lingua
 tua acumabat dolos. **E** ceteris
 aduersus frem tuu loquebas
 et aduersus filiu matris tue
 ponebas scandalu. **H** fecisti
 et tunc. **E**xistimasti unque
 qd eo tu filius argua te & statuā
 contra facie tua. **I**ntellige
 h' qui obliuiscunt deū nequ
 impat. & no sic qui capiāt.
Sanctificū laudis honorifi
 cabit me & illic. **I**t. quo oste
 dam illi salutare di

Quid glāris i malicia. q
 potens es iniquitate.

Qua die i iusticiā cogitauit
 lingua tua sicut nouacula a
 ciliā fecisti colū. **O** uerba
 maliciā sup benignitate. in
 quitate magis q loqui equi
 tate. **O** uerba omnia uerba pā

5

N. 80. 6

ja
Cont 2
PAVLIO.

VII NOVOCOMEN-

SIS EPISCOPI NVCE-

rini Illustrium Viro-

rum Vita.

Ex dono H. Büschli.

Accessit ad posteriorem hanc editionem Alphonsi
Aestini Ducis Ferraria Vita, cum gemino INDI-
CE Regionum scilicet, Civitatum Fluviorum &
Portuum antiquis & novis nomi-
bus, & rerum memo-
rabilium.

TOMVS PRIMVS.

BASILEAE

M. D. LIX.



3
PAVLVS IOVIVS
COSMO MEDICI IL

L V S T R I S S . F L O -
R E N T I A E D U C I .
S . P . D .



INSIGNIVM aliquot procerū vitæ imitatione Plutarchi summæ grauitatis philosophi, à me, licentio re stylo perscripte, quibus tu magnanime Cosme, spiritū dediisti cū elegantissimis formis vt luculentius in publicum prodirent, excudendas curaueris, iure optimo patrociniū tuum deposcunt aduersus obtrectatores, vel hac vna ratione, quòd censuræ tuę iudiciū subierint. Agnoscis enim (vt qui nostrorum temporum historiā exactissimè calles) quo animi candore quoue studio, & pudore asserendæ veritatis, ea quæ nos vidimus, posterorū memoriæ tradiderim. Intemperantis nanque ingenij foret, ea mādare literis atq; edere, quæ summorum Ducum & Principum, qui adhuc viuunt & florēt

testimonio refelli possint: vt iam non
 aliunde locupletior & certior fides scri-
 ptis nostris constet, quàm ex his quæ à
 summis Regibus & Ducibus, qui bella
 gesserūt enarrata referuntur: Quando
 hæc infinita propè diligentia indaganti
 mihi (quod in tãto suscepto negotio
 summe felicitatis fuit) cum vniuersis cū-
 ctarum propè nationum Ducib. aut il-
 lustris amicitia, aut non obscura familia-
 ritas intercesserit, vt ex ipsorū sermone
 rerum gestarū consilia atq; euentus no-
 scerentur. Quid enim vniuersã toto co-
 gnito orbe collectam historiam, à quin-
 quaginta ab hinc annis scribere auso,
 tantumq; opus non inuita Minerua ad
 hunc vsque annum perducenti, aut in
 hac vita beatius, aut post mortē extin-
 cta demū inuidia gloriosius euenire po-
 tuit, quã hoc incorruptæ libertatis spe-
 cimen prætulisse: Sed id opus quod iã
 planè absolutū propediē edetur, excita-
 bit (vt reor) apud nos externasq; gētes
 dissonos clamores, vt libido cuiusq; fe-
 ret, inter ambiguã laudē & certã obtre-
 ctationē existimationis meę cū factio-
 sa superbaq; ingenia passim occurrant
 quæ

5
que multa tanquã adulatione aut odio
deprauata interpretent̃. Verũ malignis
aut ignorãtib. egregij probiq; homines
inter quos tu ab excellenti virtute maxi
mẽ illustris emines, tanquã iurati te
stes respondebunt, indignum esse vt ei
maledicatur, qui ingenuo labore incõ
parabilem vtilitatem tot expressis vite
exemplis cum honestissima voluptate
& viuis & posteris attulerit. Vale. Ro
mæ XI. Kal. Maias. MD XLVIII.

GABRIELIS PHAERNI
CREMONENSIS.

*Illustres animæ quarum miro ordine mores.
Et clara Iouius facta chartis tradidit,
Seu vos imperijs in pace uigentibus auctæ
seu bellica fuistis arte prædita.
Quisquis inest uobis post fata nouissima sensus,
Si, quæ hic aguntur, scire uos credi licet,
Letitia certè haud modica gestire, nouoq;
Debetis alacres exilire gaudio,
Quum reuirescentem longo post tempore famam,
Vestram, atque laudes excitatas cernitis
Facundi calamo Iouij, quem nostra prope unum
Aetas, uetustis inserit scriptoribus.
Quare etiam atq; etiã, uos huic debere fatendũ est
Aeterna per quem uestra uiuet gloria.*

Nec minus insigni debetis plurima COSMO
 Cui lata pulchræ paret ora Etruriæ,
 Hæc qui uestrorum iuuenis generosus honorum
 Monumenta, formis iussit excudi æneis,
 Ille unus lapsas seclis uergentibus artes
 Et literarum studia neglecta erigit,
 Ille fouet uates, illi pia carmina curæ,
 Et restituta in pristinum sapientia,
 Et quæ fidereos linguens Astræa recessus
 Sub hoc reuisit Principe humanum genus.
 Utq; salutiferum radianti lumine sidus
 Seu Veneris almæ, siue supremi Iouis
 Tristitia felici leuat exoriens aspectu
 Astra, atque latos undique euentus ciet,
 Non morbi, non bella uigent, maria alta quiescunt
 Et aucta largis terra ridet frugibus,
 Talis honorato Medicū de sanguine COSMVS
 Orbi serenum illuxit Etrusco iubar,
 Sustulit incestas pœnis ultricibus artes
 Mores probrosos pepulit, induxit bonos,
 Virtuti pretium, ingenijs honor additus, unum
 Quenque ad decora studia & artes allicit.
 Pax secura uiget, iustum dominatur & æquum,
 Proci. Insolentes exulant iniuriæ.
 Macte ista uirtute animi clarissime Princeps
 Futura nunquam te silebunt secula.

7
PAVLVS IOVIVS

EPISCOPVS NVCKERINVS

HENRICO GALLIAE

DELPHINO.

S P D.



VVMad Nicæam in spem exoptatæ pacis adductus Carolo fratri tuo Vicecomitum origines & principatus initia breui commentario me perscripturû promississem, nihil inde mihi antiquius tuit, quam vt id quod susceperam mature perficerem. Arbitrabar enim non multò post futurû, vt is summæ spei adolescens cum optimo iure suo, tum præclara Cæsaris Augusti liberalitate, Cisalpinæ Galliæ imperio potiretur. Quamobrem non modò mihi honestum sed illi etiam maximè decorum atq; iucundum fore providebam, si tantorum principum res gestæ in arctum volumen referrentur. Nam eos bellica laude & magnificentia operum, & splendore vitæ cum clarissimis Græcorum & Romanorum comparari posse sine controuersia iudicamus. Ab hac vos nobilissima stirpe maternum genus regiæ Valesiorum domui infertum deducitis, vnde hæc vobis Mediolanensis regni hæreditas petitur, tot cruentis iactatilitibus, nec vllis vnquam immitis fortunæ terroribus intermissa. Regnauere autem ex hæc

8
illustri familia duodecim Principes, centum &
septuaginta annis, tot enim sunt ab Othone ad
Philippum, in quo principum progenies defe-
cit, quum is sine legitima prole decesserit. Cæ-
terùm confecto libro, quum offerendi huius
muneris votum nouus ex violatis inducijs re-
nati belli tumultus aliquâdiu fefellisset, tandē
id totum Carolus ipse atroci fato nobis ere-
ptus interrupit, grauiore quidem nostro luctu
quòd iuuenis spectata virtute florentissimus,
in ipso partæ pacis limine conciderit. Id igitur
quod ei debebam, tibi rerum omnium hæredi
integra fide persoluo. Tu verò sapienter gene-
roseque feceris, ac planè regiè si eo animo li-
brum euolues, vt repudiatu vitij summos tan-
tùm virtutũ flores decerpas. Id porrò tibi haud
difficilè fuerit, qui paternæ laudis æmulus at-
que auitæ constantiæ præclarus imitator, ita
diuerfas miro temperamento in vnum virtu-
tes misces, vt iam Gallia minimè dubitet,
quin sis duob. longè maximis re-
gibus maior atque feli-
cior euasurus

Vale.

PAVLI

PAVLI IO-
VII NOVOCOMENSIS
EPISCOPI NVCERINI IN
VITAS DVODECIM VICE-

comitum Mediolani Principum

Præfatio.



ET VSTATEM nobilissi-
mæ Vicecomitum familie, qui
ambitiosius à præalta Roma-
norum Cæsarum origine, Lon-
gobardisq; regibus deducto
stemmate repetere conten-
dunt, fabulosis penè initijs in-
uoluere videntur. Nos autem
recentiora illustrioraque vti
ab omnibus recepta sequemur, contentique erimus
in signi memoria Heriprandi & Galuanij nepotis,
qui eximia cum laude rei militaris, ciuilsq; pruden-
tiae, Mediolani principem locum tenuerunt. Inci-
dit Galuanius in id tempus quo Mediolanū à Fede-
rico Aenobarbo deletum est, vir summa rerum ge-
starum gloria, & quod in fatis fuit in signi calamita-
te memorabilis: captus enim & ad triumphum in
Germaniam ductus fuisse traditur, sed non multò
post carceris catenas fregit, ingentiq; animi virtute
non semel cæsis Barbaris vltus iniurias patriam re-
stituit. Fuit hic, vt Annales ferunt, Othonis nepos,
eius qui ab in signi pietate, magnitudineq; animi,
canente illo pernobilis classico excitus ad sacrū bel-
lum in Syriam contendit, communicatis scilicet cõ-
silijs atq; opibus Guliermo Montisferrati Regulo,
qui à proceritate corporis, Longaspatha vocabatur
voluntariorum enim equitum ac peditum delectæ

nobilitatis viginti millia, ad Boemundum à Brun-
 dusio transfretantem adduxere, ne Itali vel studio
 religionis, vel bellica laude Gallis inferiores esse vi-
 derentur. Cæterùm Otho iam duobus asperrimis
 ad Nicæam atq; Orontem prælijs spectatę virtutis
 famam consecutus, oppugnante demum Hierosoly-
 mas Gotifredo gloriosā totius exercitus acclama-
 tione coronam promeruit, quum Volucein Sara-
 cenorum Ducein medio in campo ad singulare cer-
 tam fortissimum quenque ex Christiana acie pro-
 uocantē, ipse vnus ante alios nihil eius immanis Bar-
 bari ferocia, vel terribili insignium armorum specie
 permotus, fortiter atque feliciter deuicit, retulitq;
 de confossi hostis galea opimum, plenumq; immor-
 tali gloria spoliū, auritam scilicet Viperam com-
 plicatis spiris minaciter à cono cassidis erectam, &
 puerum passis manibus deuorantem. Quod vnum
 auspicate virtutis argumentum, non modò gentili-
 tati laudis gestamen fuit, sed & posteris id insigne au-
 dacter vsurpantibus, & imperia, & opes, & latè glo-
 riam portendit. Fuere qui existimarent Volucem
 ex stirpe ALEXANDRI magni progenitum, tulisse pro-
 insigni viperam, ex Olympiadis fabula pue-
 rum parturientem, quòd ea à Dra-
 cone se compressā fuisse Io-
 uis imagine præ-
 dicaret.

PAVLI

PAVLI IOVII

OTHO SIVE LI-

BER PRIMVS.



OBILISSIMI Prince-
 patus fundamenta feliciter O-
 tho iecit, Vberti filius, qui ab
 Asiatico Othone proauo no-
 men acceperat. Natus est Inuo-
 rio in pago apud Verbanum
 lacum, magnis quidem natali-
 bus, sed patrimonio tenui, & tum adeo affl: eius totius
 familie fortunis, ut quatuor tantum, & plane ignobi-
 lium vicorum dirione, tot gentiles proceres maio-
 rum suorum nomen tuerentur. Hi fuerunt Inuorium,
 Masinum, Vergantum, & Olegium: fundos etiam sat
 amplos Mediolani extra portam Iouiam, à Sultano
 Vicecomite emptos constat. Frequentibus enim Bar-
 barorum eruptionibus, & civili præsertim bello, cun-
 cta apud Insubres conturbata prostratæque erant, ut
 non mirum sit, tantas opes in publica calamitate cor-
 ruisse. Sunt qui ex gentura propter admirabiles sy-
 derum concursus, imperium ei à Mathematicis præ-
 nuntiatum fuisse asseuerent. Verum ipse repudiatis
 prorsus Astrologis, id unum pro insigni ostento io-
 cabundis accepit, quòd Vicecomite Placentino Me-
 diolani prætoris, qui tum erat supremæ potestatis Ma-
 gistratus, & Othone Cæsare imperante in lucem es-
 set editus. Enituit satis maturè in adolescente inge-

mium alacre, præaltum, ardens, & quod mirabile erat
 graui prudētia temperatum: accesserat corporis atq;
 oris dignitas maximè excellens: statura enim erat ex-
 celsa, & nexu neruorum longè firmissima, pectore au-
 tem lato atq; extanti, & radiosus prægrandibusq; ocu-
 lis: eloquentia uerò illustri, exquisitisq; literis, quum
 oporteret ad iocunditatem exornata, adeo ut cū om-
 nib; magnopere placeret, etiam sibi meliore fortuna di-
 gnus uideretur. Itaque ardente ciuili bello Gallia Ci-
 salpina, domo egressus Roman se contulit ad Octauia-
 num Vbalinum Cardinalem, auctoritate atq; opibus
 florentem, à quo benignè susceptus, adscribitur fami-
 lia inter honestissimos. Nec multò post, cū in ea domo
 aliquandiu uirtutis eximie perurbanèq; comitatis, et
 naturæ nequaquam fallacis, uel insidiosæ testimonia
 passim reliquisset, Octauiano præalta semper agitan-
 ti, in ocio pariter, atq; negotio comes esse cœpit: adeo
 ut munera legationum obeuntem & trans alpes acci-
 tum inter præcipuos sequeretur, hisq; maximè tempo-
 ribus extra ordinem necessaria domesticæ disciplinæ
 officia, cæteris languentibus aut occupatis diligenter
 impletet, abnuenti semper & coacto similis, ne ambi-
 tione potius quàm obsequio, aliena munia suscipere
 uideretur. Literas enim scitè atq; expedite exarabat,
 dictabat eleganter, in omniq; occasione œconomica-
 rum rerum cuncta ad pietatem, ad decus, temperan-
 tiamq; reuocabat: quibus maximè rebus ita appetente
 Cardinalis ingenio certissima laus pararetur, honesta
 quidem sibi in primis ad promerendam ampliorem gra-
 tiam, & demum ipsi Cardinali decora & utilis ad pe-
 titionem

titione summi Pontificatus contendenti. In unam enim
 eam curam amplissimos senatores haud simulanter
 incumbere, uti aula artium peritus facile intelligebat.
 His moribus iam abundè claro, & prospera uigentia
 fama, Leo Peregus Mediolanensis Antistes in exilio
 apud Legnanum mortuus nunciatur. Hunc Martinus
 Turrianus tanquam patronum ducemq; nobilitatis
 urbe pepulerat, quum ipse iam populi causam aduer-
 sus Patricios suscepisset, perturbataq; Republica sta-
 tum popularem casis disiectisq; nobilibus induxisset.
 Oderat Octavianus Turrianos tanquam nobilitatis
 hostes. Erat enim è uetusta & illustri apud Etruscos
 Vbaldinorum familia, & privati quoque odij causæ
 intercedebant, parum quidem honestæ, sed ob id us-
 lidiores. Nam ei Martinus paucis ante annis notam
 nefariæ cupiditatis inusserat, quum fortè in Galliam
 iter habentem, hospitioq; susceptum, in templo diu-
 Ambrosij, ne carbunculum mirabili fulgore & rara
 magnitudine conspicuum è donarijs auferret, arma-
 tus accurrès prohibuisset: Dicebat enim Cardinalis cu-
 pide inspiciendo tractandoq; eam gemmam omnino
 dignam uideri, quæ ad ornamentum sacrorum soler-
 nium, in summa Pontificis Maximi thiara conspicere
 tur. Hic est ille Vbaldinus præalto ambitiosoq; inge-
 nio, & magnis opibus potens Danthis Poetæ carmi-
 nibus, obliquo probro simul & laude celebratus. Ita-
 que ad excidium Turriane domus & ad condendum
 in Vicecomitum familia principatum, fatali euentu
 Otho Mediolanensium Archiepiscopus ab Octauiano
 declaratur, qui amplissima ad id potestate, iure mune-

req; legationis fungebatur: idq; approbavit Urbanus
 Pont. uel ob id q; duos foeda diffensioe Mediolanensiu
 defuncto Leoni iussuetos audiebat, Raimundū scilicet
 Turrianū Martini patruelis potētia, armisq; potius q̄
 liberis suffragijs prouectū: & Franciscū Septariensem,
 quem uirtutis cōmendatione populus tribusq; omnes
 in odiū Martini ueluti impotēter & superbe dominan-
 tis extulerāt. Fauebat Othoni Urbanus, ut maiestatis
 Pōtificiae iura tueretur. Itaq; cum ritē consecratū in-
 signitumque mitra & lituo pastorali, ad sacerdotij mu-
 nus obeundū in Cisalpinā Galliam dimittit, eò etiā cu-
 pidius q; Turrianis insensus erat: nam fortē per id tem-
 pus magno Othonis cōmodo Vbertus Pallauic. Tur-
 rianarū copiarū dux, Placentinorū agros Pont. ditio-
 nis populā abundus afflixerat. Erepsērāt Turriani pau-
 cis ante annis ad summā potētiā, ab initio in Repub.
 popularē auram optimis artibus aucupātes: postremō
 autem dominādi libidine accensi, totius publici consilij
 formā, Praetoris arbitria, & suffragiorū deniq; omniū
 iura libertatēq; sustulerant. Euere illis magnae opes in
 Saxina ualle, quae est ad Lariū lacum, creuerātq; pluri-
 mum hereditate Tacij Reguli, qui geminos ē Belgica
 Gallia profugos Turrianos fratres militaris indolis, si-
 bi generos adsciuerat, atq; adoptarat in filios. Ab his
 progeniū ierunt superiorē Martinum cognomine Gi-
 gantē, qui post egregiae uirtutis facinora ad Antiochiā
 multis in praelijs edita, à Saracenis captus, & miserabi-
 li supplicio affectus fuisse traditur. Huius nepos fuit Pa-
 ganus uir excellenti uirtute prudentiaq; qui multa cū
 laude liberalitatis & pietatis, Mediolanenses à Federi

eo II. Cesare, ad Cohortis nouæ oppidū cruento præ-
 lio profligatos, ad se recepit, incredibiliq; benignitate
 omni humana ope adiutos fouit, domūq; dimisit: cui nō
 multo post optimè de se merito gratiā retulere, demā-
 dato ei Praturæ magistratu, ipsoq; cum uniuersa fami-
 lia ciuitate donato. Paganus ita gessit magistratū, ut ne-
 mo temperātia, equitate atq; industria potior uideretur,
 nisi populi atq; infimæ plebis se defensorē professus,
 paulo acerbius patritios tanq̄ superbè ac petulāter
 minores ordines diuexare solitos, patria exturbandos
 suscepisset. Hūc fato functū & ad Claræ uallis templū
 funere publico elatū, omnes ordines diu luxerunt, ho-
 nestaruntq; marmoreo sepulchro insculptis carminib.
 cum titulo magnificè atq; feliciter administratæ Reip.
 Pagano successit Marinus frater uir ingenio perspicua
 ei, erecto ad laudē atq; imperij et gloriæ maximè cupi-
 do: ceterū (quæ ad id opportunè erant artes) multa ci-
 uili clemētia et lenitate tēperato. Hūc populus defensorē
 suū patriæq; patrē appellauit. Paulū enim Soresinā,
 Leonēq; Peregū urbis Archiep. Patritiorūq; duces VI.
 expulerat, bonis exuerat, exilioq; multarat, contude-
 ratq; adeo nobilitatis animos, ut Resp. numerofo præ-
 ualente infimorū hominū cōsilio in speciem libertatis,
 nō obscure aut ad unum ipsius arbitriū regeretur. Eo
 modo nobilitate in ordinē redacta, & grassante plebe
 in patritiū sanguinē, Pontifex Ro. affectā laceratāq; ci-
 uitatem miseratus, Rauennatē antistitē Mediolanū misit,
 qui Christianæ pietatis officio cedes tolleret, odia
 mitigaret, statumq; perturbatæ urbis componeret. Is
 capita factionū ablegauit, & ante alios Martinum: sed

is nō multo pōst euocatus studio ueterū amicorū, hostibusq; ad D. Dionys; templum tumultuario ce tamine profligatis, in urbem est receptus. Exinde Martinus usurpato imperio cūcta regere, plebisq; præcipuē cōmoda tueri, nouis et sellularijs hominib. præsidio esse: contra uerò nobilitatē asperrimis edictis armisq; persequi, et latè undiq; submouere. Confugerāt patritij ad Actiolinū à Romano, quē Eccelinū perperā aliqui nominant, qui rei militaris peritia & immanitate crudelis ingenij duces omnes atq; tyrānos anteibat. Is Cæsarianarū partiū princeps erat, Federicoq; secundo dux et miles operā nauarat. Itaq; magnis coactis copijs aduersus Turrianos bellū suscepit, transgressusq; Abduā in agrū Mediolanēsem sese effudit, patritios in patriā reducturus, ulturusq; eorum iniurias sanguinaria manu, nisi dii eam diræ pestis cladē auertissent. In eo enim metu & trepidatione, Martinus cōstanti animo populum sub signis eduxit, interclusumq; tyrannum amne. Abdua cum à tergo Vbertus Pallauicinus, & Actius Atestinus, Bosiusq; Douaria, scæderati principes instarent, cōmissa pugna superauit, tātā felicitate ut ipse tyrannus Nerone crudelior suo atq; alieno cruore perfusus, cum sese incitato insigni equo cripere conaretur, uiuus in potestate hostiū deueniret, nec mulo pōst in tabernaculo Bosij repudiatis remedijs expiraret: cum nullis uel benignis precibus adduci posset, ut bene speraret, & obligari uulnera pateretur: toruis enim oculis ferociā spirans neminiq; respōdens, tot scelerū pœnas effugere accersita morte properabat, ne turpi insertæ uitæ desiderio ludibrijs ignominiaeq; superesset.

Ceterum

Ceterum eo praelio nobilitas prostrata fugataq; est, & Martinus auctoritate, gloria, atq; opibus adau-ctus, soluto pudore dominatum arripuit, aboleuitq; eius concilij nomen, quod populus sub Credentia nomi-ne instituerat, cuius decretis ipse dudū solenni sacra-mento adactus se staturum iurauerat. Sed ea modera-tione & temperantia Martinus utebatur, ut nullū su-perbum aut insolens dictum ore uel gestu prorsus ex-cideret: studebat tranquillitati, copiae, ubertatiq; re-rum omnium, Pauliq; Sorefinæ aduersarum partium principis filiam matrimonio sibi copularat, ut & ini-micis ducem opulentum detraheret, & pacem atque ocium se maximè cupere ostenderet. At patrilij ab his nuptijs repudiato Paulo ad Iordanem Ruscā Co-mensem se contulerunt: quamobrem Martinus maio-rem indies gratiam, exactaq; prudentiæ opinionē est consecutus. Ad confirmanda quoq; populi studia decli-nandamq; inuidiam, quum sumptuosius ædificare di-ceretur, omnes operas ad Ticinum conduxit, ut non procul ab Abiāto oppido emissarium nauigabile deri-uata parte amnis ad urbem perduceret, ad facillimas subuectiones importandorum ex agris fructuum, qua incomparabili commoditate populus in quodidianos usus perpetuò fruere-tur. Sub id tēpus uariæ patritio-rum manus ab exilio latebrisq; remotiorum oppido-rum ad Othonem peruenerunt, patriam & sacerdo-tij sedem ex auctoritate Pontificis repetentē. Hi nan-que in nouam spem quæ exules & miseros nunquam destituit, erecti, undiq; coiuerant, parabant arma, ue-teres amicos & propinquos qui domi remansissent,

nuncijs ac literis sollicitabant. Itaq; Otho crescentibus uiribus, confecto noctu itinere ad Verbanū clientelasq; suas contendit, Aronamq; occupat, ut ea bello certa sedes foret, & firmiores demum copias tutò cohereret, ad bellum Turrianis inferendum. His rebus cognitis Martinus quanta maximè potuit celeritate copias ex oppidis deducit, Pallauicinum euocat, quem in quinq; annos per ampla mercede conduxerat, Ticiunumq; transgressus ad Aronam castrametatur. Horis aduentu Otho quum diu terrestribus & nauilib. copijs obsessus & oppugnatus nihil uel repugnando uel erumpendo proficeret, fortunæ cessit, deditoq; oppido noctu profugit, ne in conspectum hostis deueniret, & suos ex pactione seruauit incolumes. At Turrianus Aronæ, Anglerie Brebiæq; arces demolitur, ut nihil in quo hostis tutò consisteret, omnino relinquere tur. Exulante autem Othone, Martinus moritur, Philippoq; fratri Reipub. gubernacula cōmittuntur. Verum ille confirmatis opibus ad principatum apertè contendens, se prætorem in decem annos creat: certantibusq; etiam Comi intestino bello Vitani atq; Rusconis, urbe potitur, prætoremq; ibi de Vitani creat, aduersarios expellit, in Volturenamq; uallem usque persequitur. Sed tanta uis erat patritiorum exulū, diuice præsertim Othone, ut occulto metu plurimum angeretur, atq; ob id parandas sibi omnino nouas amicitias affinitatibus atq; cōiugijs existimaret, ut aliquorum nobilium assensu & studio stabilire opes, retinere uim prætorij iuris, imperij authoritatè maiorū uirtute collectam tueri posset. Itaq; Gulierno Pusterle
patritio

patritio filiam nuptui dat: ipse tum caelebs uxorem ex
 Biraga nobili familia ducit: traditur etiam uxor Fran-
 cisco Turriano Iacobi patruelis filio, ex gente Castil-
 lionea, qua cognatione subnixus, dispersis iam atque
 attritis exulum uiribus, ut impense parceret, Vber-
 tum Pallauicinum exacto stipendiij quinquennio mis-
 sum facit. singulari Turriane gentis incōmodo: nam
 ille contumelia accensus, per occasionem quantis ma-
 ximè potuit artibus, patritijs adherens Turrianos
 semper oppugnauit. Sub id tempus Carolus Andega-
 uensis è Narbonensi Gallia in Italiam uenit, euocatus
 ab Urbano Pontifice aduersus Manfredum pontificie
 maiestatis auctoritatem patris & proauis more con-
 uellentem. Huius amicitia quam Turrianus magno-
 pere appeteret, copias eius intra fines recepit, et con-
 meatu, ueste, armis liberaliter iuuit, ut Gallorum præ-
 sidio firmior factus, Pallauicini nobiliumq; exulum
 uim propulsaret: & quò præclarius studium eius er-
 ga regem ostenderetur, Emberram natione Gallū re-
 gis familiarè prætura ciuitatis ornauit. Philippus in-
 terea moritur repētino correptus morbo. Hic uir belli
 pacisq; artibus abundè instructus, principis & domi-
 ni spiritus gerebat, uirtute Martino par. sed astu &
 ambitione superior. Accepit imperiū statim Napus,
 quem Napoleonē alij uir appellant, Pagani filius, uir
 militaris, callido tyranno quàm moderato principi si-
 milior: etenim nihil illi antiquius fuit quàm patritios
 cedere, proscribere, omnibusq; contumelijs atq; iniu-
 rijs exagitatos, ad internitionem delere. Erat L. u. lē
 Pompeia certus miseris & profugis receptus benigni

tate Vistarinae familiae, cuius princeps erat Succius. Hunc Napus obsessa & capta urbe, periculoso certamine uiuū cepit, atq; interfecit, necatis etiam in carcere eius gentilib. atq; amicis. Fisiragā uerò familiā Vistarinae ex aduerso amulā, quae Turrianae factionis nomen tueretur, aduersariorū opibus ditat, & principē in urbe constituit: utq; Guliermo Montisferrati regulo ad quem sortē mortuo Pallauicino patritij exules confugerant, rerū suarum metū incuteret, traiecto Ticino et admotis ingentib. copijs Viglebanū expugnauit. hisdem diebus Urbano uita functo, Clemens pontificatum adeptus enixè contendit, ut Otho à Turrianis reciperetur, praesertim populis id expetentibus, praedijsq; templo dicatis, et tota diuini iuris possessione potiretur. Caterū Napus qui ad Othonis nomen fatali quodam metu expergisci, ac sermone & uultu in horrescere erat solitus, Pōtificis literas et preces, atq; item minas superbè contēnebat. Itaq; indignante Pontifice, tāquam rebellis & impius sacris interdicitur. Mediolani templa omnia clauduntur, sacrificiorū solennibus intermissis, populus dolet atque angitur, neq; tamen timore conterritus postulare audet, ut admissō Antistite ira Pontificis leniatur, simulq; ciuitas his imprecationib. expietur. Harebat imperij sinib. Otho, ad eumq; exules undiq; confluxerāt: erat enim in eo praecleara authoritas, atq; ex honestissima belli causa repetēdae patriae magna spes omnibus proponebatur. Quid enim aequius aut honestius q̄ pro libertate sarati Antistutis contra tyrannū impotentem, seuū, inferorumq; furij; sacrosancti Pontificis execratione de
notum

uotū, arma ferre, crudeliq; dominatu detrudere? Cū in his consilijs nobilitas omnis uersaretur, ob iāq; in agro Vercellensi sepius coiret, Napus Paganinū fratris filium, acri ingenio iuuenē, et nobiliū cædibus asuetum, Vercellensiu prætorem designat. Petit à primoribus ciuitatis, ut eum recipiant, in magistratūq; constituant. Ea res delata ad patritios qui Vercellis erant, omnium animos metu concussit, ac dolore succendit: nemo enim ignarus rerum, non prouidebat eo consilio Turrianū & eum quidem cruentum ferocemq; hominem Vercellis prætorē imponi, ut Patritios suæ gentis hostes urbe pelleret, passimq; opprimeret, atq; omnibus in locis persequeretur. Itaq; exulum principes coacta armatorum manu, aduentantem cum Prætorijs insignibus Paganinū in itinere obtruncant: quonuncio Napus & Emberra adeò in uindictæ cupiditatem exarsere, ut immani eorū iussu, omnis sexus & ætatis exulum propinqui, cū Paganini cadauer ad diui Dionysij templum atrata familia conuexisset, ad eius tumulum tanquam hostiæ mactarentur, & quod miserabile spectaculū fuit, ad sepulchra maiorū plaustris in urbem referrentur. Scribit Tristanus Scalchus adeò uesana rabie Napum fuisse correptū, ut Musca filius, ad quem postea ex diuturno carcere recuperati imperij laus peruenit, cōprehensio medico cui salutem ex lethali morbo acceptā referebat, uitā uix impetrare potuerit: cū grauissimē iuraret iuuenis, dolore atq; inedia sibi uitæ exitum inuenturū, nisi uir sibi salutaris & innocens, ab crudeli supplicio seruetur. Napus tamen ubi totā immanis uindictæ libidi-

nem expleuit, atq; ira deferbuit, id execrabile facinus
 detestari, in Emberræ scœuitiã cum externi repētiniq;
 homines, tum etiã rarò sobrij culpam referre, prorsus
 multa uerborū ac uultus simulatione facti atrocitatē
 lenire. Nec multo post, ubi id populū grauitertulisse
 animaduertit, ad mitigād. in inuidiã Gallus prætura
 deijcitur, atq; urbe ob irã ciuiū excedere iubetur. Ni-
 hilosecius tamē Carolo regi de interfecto hoste Man-
 fredo rege, partoq; Apuliæ regno, uictoriam gratula-
 tur, misso ad id munus Frâncisco fratre cū ornatissimo
 comitatu, donisq; regalib. qui alacriter susceptus, &
 donatus baltheo militari, regi q; militiæ honoris cau-
 sa adscriptus, ita demum Mediolano uitam egit, ut ad
 imitationē Gallici luxus splendore, & domesticarum
 rerum apparatu Napum principē anteciret. Erat res
 Turriana in summo aridentis fortune fastigio, cru-
 ciabaturq; ingenti cura Antistes Otho, mœstiq; &
 extorris nobilitas errabat, ab infimo quoque Regulo
 opem implorans, uti consumptis opibus atque amis-
 sa dignitate, quando toties repetita patriæ bellum
 graue & arumnosum improspere, et dijs haud dubiè
 inuitis renouasset. Vigebat tamē in Othone mira con-
 stantia & spes incredibilis adipiscēdi imperij sacer-
 dotalis, & perinde infracto animo patritij eo duce
 qui iustissimã præferret causam, omnia sibi adredi-
 tum atq; uictoriam faciliora fore existimabant. Erat
 inter extorres Squarcinus Burrus uir apprimè nobi-
 lis & opulentus, uigoreq; animi, atque armorum pe-
 ritia illustris, cuius filia nomine Bonacosa, uirtute,
 forma, & sæcunditate insigni, Mattheo Magno
 nupserat

nupserat: Huic Otho patrijūq; Pallauicino per eos dies morte surrepto, imperium militare detulerant, inierantq; foedus cum Guliermo Mōtisferrati marchione, Ferdinandi Hispaniæ regis genero, eo consilio, ut maiore belli mole Turrianos oppugnarent. Destinabat enim sibi Guliermus si id bellum susciperet, multo maiores opes, multoq; maius sibi indies imperium: uerum externis soceri auxilijs sibi opus esse iudicabat, ut eximia uirtutis gentem bellicarumq; artium maximè peritam Germanis & Gallis opponeret. Remanserāt enim aliquot Gallorum turmæ apud Turrianos ex his quos Flandrius comes Caroli dux in Italiam adduxerat, ipso enim in ea pugna interfecto, qua Pallauiciniū & Gibellinos superarat, pleriq; ex eius equitatu, post quàm debellatum esse uidebatur, orbati duce, subsistere in Circumpadana regione, quàm Neapolim usque ad regem contendere maluerant. Itaq; ad Ferdinandū ipse Burrus in Hispaniam mittitur, ut legationi maior inesset authoritas. Is uti erat graui facundia, explicatis partium pariter atq; hostium uiribus, terminatisq; cōsilijs à rege copias impetrauit, impositisq; in naues sexcentis equitibus, & aliquot iaculatorum & saggittariorum cohortibus, in Liguriam est reuersus: Nec multò post ab Saona superatis Apennini iugis cum eam manu ad Guliermum peruenit. Rex enim generum suum existimatione atq; opibus augere, & prorsus efferre in spem ingētem amplioris imperij magnopere cupiebat, His confirmati auxilijs cum Othone Burrus & Guliermus ad Viglebanum quod Turrianus præsidio tenebat, processere: tentata est per quatuor dies

oppugnatio, promotis scalis, & in coronam circundatis funditoribus & sagittarijs, ita ut murus continenter propugnatoribus nudaretur. Sed Turrianus miles pluteos ex crassiore materia pinnis coaptarat, quibus protectus magnam vim lapidum deuolvebat, uulnerabanturq; subeuntes, neque spes ulla expugnandi oppidi, nisi ingentibus balistis & macchinis longo laboriosoq; opere edificatis relinquebatur. quod tum minime conandum existimabat Burrus, ne ultra Ticinum oppugnando eo oppido haerens diutius distineretur, quum superare annem, & quamprimum oppidis Mediolano proximis bellum & pauorem inferre cogitaret. At Viglebanenses irrito hostium conatu & felici suorum successu elati, quum Burrus milites ab oppugnatione reuocaret, contineri minime potuerunt, quin ad aperta porta protinus erumperent. Hos temere incumbentes, insolentiusq; prouectos Hispani suo more refugiendo & late pauorem simulando opportunè ludificati, à porta longius abstraxere, adeoq; celeriter in gyrum reflexis turmis circumuicere, ut hostes quum se penè ab oppido interclusos cernerent, & in receptu multis confixi iaculis laborarent admistis Hispanis intra portam refugere cogerentur, ac nisi impeditis atq; occupatis ualuis, demissa repente cataracta densato ordine irrumpentes exclusissent, Hispani proculdubio sine uulnere oppidum cepissent. Ex Viglebanensibus aliqui occisi, plures capti. Periere & intus aliquot equites Hispani supernè tegulis oppressi, ceteri permutatione facta cum his qui exclusi fuerant, in castra redierunt. Erat tum Ticino anni sublicius pons ad Turbicum

bicum uicum impositus, munitusq; ad capita lunato aggere, & ligneis castellis, in queis binæ utrinque Mediolanensium & Comensium cohortes ad custodiam excubabant. Decreuerat fortè per eos dies Ticinus, ita ut expediti equites certis uadis haud magno cum periculo tranare posse uiderentur. Itaq; Othoniani equites sermè omnes & in primis Hispani cōfessores, totidem pedites in equorum clunibus transportantes, in aduersam ripam euaserunt, & utrinq; sub auroram improvisò aggeres adorti, magno tumultu, magnisq; clamoribus subire cœperunt. Tanta celeritas Hispanorum fuit, ut in ea parte præsidium penè prius deijcerent, quam alterum à tota mole pedestris exercitus expugnaretur. Paucis interfectis, omnes Burrus potitus ponte, inuiolatos conseruauit: & quum liberaliter etiam dimitteret, rogauit, ut ad referendam eius beneficij gratiam iam tandem à patritio sanguine temperarent, & sacrosanctum Antistitem templo sedeq; sua atq; ipsos deniq; nobiles, patria atq; penatibus dignos existimarent. Ob eam humanitatem, Burri nomen Mediolani & Comi clarissimum fuit, & magna quoque pars eius laudis ad Othonem referebatur, uel inuitis & negantibus Turrianis, qui plebis animos his humanioribus officijs pietateq; hostium deliniri posse metuebant. Huius Burri monumentum in Peristyllo ad eadem Eustorgianam nuper uidimus, exesis literis & superstante scutata equestri statua cum sceptro, imperatorijsq; insignibus ad ueram oris effigiem depicta. Cæterum Burrus & Guliermus diffuso per Laumelinum agrum equitatu, atq; inde cum magna agricola-

rum trepidatione Sepriensem ingressi regionem, ac demum transuersis itineribus Comensem & Ticinensem secantes uiam, uicos Mediolano proximos inuasere. Erat ad Caratum oppidum in aestiuis Narbonensium Gallorum equitum ala, ad eam reliquæ Italarum turmæ, atq; item cohortes uti conscriptæ instructæq; erant Mediolano mittebantur. Napus interea quanto maximè cōnatu poterat suas atq; externas copias cogebat, ut iusto exercitu cum hoste patenti in campo congregeretur. Sed dum à Parmensibus auxilia expectantur, Carrociūmq; cū signis militaribus & Valentes prætoriani instruuntur (sic enim eos spectatæ uirtutis milites uulgò appellabant, qui ad tuenda signa delecti erant) Otho fit certior, Gallos negligentius ut in nullo metu, uigiliis obire, atque eos noctu opprimi facile posse, si expedita cum parte copiarum Hispani equites mitterentur. Nec mora, re ad cōsiliū delata, expeditionem suscepit Burrus, paucisq; horis confecto per noctem itinere, Caratum peruenit. Fortè Gallos Italosq; simul ea nocte liberalius epulatos altior somnus oppresserat, & uigiles rari in statione segnus agebant, quum Caratenses exacerbati hospitem iniurijs Burro faciliores aditus ostenderunt. Itaq; magnis clamoribus occupato oppido, nequicquam tentata defensione inermes discinctiq; equites capti, Italicæq; turmæ eandem fortunam tulere. Sed quum uictores ingenti potiti præda captiuis indulgenter custoditis, corpora & equos curarent, affuit instructo agmine Napus, Othoq; & Guliermus eodem serè temporis puncto superuenere. Commissa est extra oppidum pugna

Burro

Burro atq; Othone nec opinantibus, sceda utrinq; militum concursatione: nam & oppidum Germani equites irruerant, & captiui resumebant arma, foris uero Turriani equites, & Mediolanensis legio Valentiniq; cohortes Guliermi copias adeo perturbabant, ut disiectæ in fugam uerterentur. Hispani quoq; equites qui satis maturè equos conscendere atq; arma expedire cœperāt, angusto in loco confertæ Germanorū alæ impetū nō tulere, uti magna ex parte inermes, & Maurorū prælijs assueti, sua tamē agilitate eò profecerūt, ut primis suorū interfectis, celeriter sese explicātes euaderēt. Napus primi successus uictoria cōtentus suorū agmina in acie cōtinuit, siue quòd dolū ab insidiosa gēte suspicaretur, siue quòd in ea admodū repētina utriusq; exercitus perturbatione, quum nihil pro certo explorari posset, libertatis præsertim Gallis legionis dissolutionē periculosā existimaret. Otho, Guliermus & Burrus, cū integro fermè equitatu, & magna parte peditū euadentes cōtinuatis itineribus ultra Ticinū se recepēre. Ita Napus sua celeritate & opē oppressis suis opportunè tulit, & felici casu de hoste uictoriā cōsecutus. Huius rei geste seriè tēpusq; Corius scriptor cōfundit, falsoq; asserit, ea die Theobaldū Magni Matthæi patrē fuisse captū, Merulāq; utpote eam annaliū copiam qua nos utimur, non nactus, de Hispanis angustissimè perscribit. Ab hac uictoria Napum constat oppidum suum iramq; uiolēter exercuisse, in eas præsertim familias quæ ad hostes inclinassent, aut commatū ex itinere præbuisent, Castellionumq; in primis diruisse, quoni. um eius oppidi nobiles licet Turriani affini

tate coniuncti, in Othonis partes transferant. Interea Otho ad Clementem qui Urbano uita functo successerat, proficiscitur: orat ut eius ope in sedem suam patriamq; restitueretur. Fauebant Othoni pleriq; Cardinales, hortabanturq; Pontificem ut sacrosanctæ maiestatis iura in ipso principatus initio fortiter atq; magnificè tueretur. Itaque Clemens grauibus literis Turrianos adhortatur, ut Antistitem recipiant, abnuentes sacris interdicit, dirisq; execrationibus adiectis ciuitatem inferorum pœnis deuouet: ita clausis templis sacerorum expers populus de Turrianis conqueritur, cõsternatusq; eo piaculi metu à Napo religionis iure postulat, ut pertinaciæ suæ finem imponere uelit: æquum enim esse Othonem recipi postquam uii ciuis spectatæ probitatis nomine, à summo sacrorum principe præsulatu dignus esset existimatus. In eius ancipitis curæ deliberationem aliquandiu fatigatus Napis, ut religione tangi & populi precibus permoueri uideretur, legatos Romam misit, ut pontificem magis ac magis auersum atq; insensum Turriano nomini, explicatis eius contumaciæ rationibus, mitigaret. Sed eos Clemens Christiana seueritate tanquam pollutos & execrabiles urbis Romæ ingressu prohibet, præcipitq; ut mature pontificij imperij finibus decedant. Ita legati Vrbe exclusi, cõtinuò Neapolim ad Carolum perrexêre, ut ab amico rege, atq; eo quidem patrono & assertore pontificiæ libertatis opem implorarent. Carolus re cognita haud multum cunctatus Turrianorum causam suscepit, paucisq; inde diebus Turriani rege deprecante simulq; legatos suos Romam mittente, recipiuntur

in urbem, statimq; in senatum introducuntur. Regius primo legatus postulauit pro communi iure gentium ut Turriani, qui supplices ad dicendam causam uenissent, æquis animis audirentur: eos esse in fide atq; amicitia sui regis, ad cuius dignitatem maximè pertineret socios tueri, uel ob id præcipuè quòd semper Caesarib. pontificio nomini infestissimis, hostes exiitissent, regemq; in primis Pontificum iniurias uindicantem secuti, eius uictoriæ participes esse uoluissent: uideri quoq; procul à benignitate æquitateq; sanctissimi omnium parentis, eos sacerdotijs atq; opibus ornare, qui cum nefarijs tyrannis cõsilia atq; arma miscuerint, & tum maximè pacis & ocij tranquillitatem perturbare contenderent. Ipsos uerò pontificiæ dignitatis defensores, & ob præstitam fortem fidelemq; operam uel amplæ præmia meritos hostiliter persequi, impositoq; ipsorum urbi Antistite sæuo atq; æterno hoste, ipsoq; duce exulum maximè factioso, exagitandos opprimendõsque præbere. Orantis Galli Turrianus legatus uerba excepit, adeoq; acerbè in causam Othonis est inuectus ut quum uehementi & planè rabido ore modestiam omnem exueret, tanti confessus obliuisceretur, præsentisq; Othonis famam maledictis atq; inusitatis criminationibus lacerando seruore intemperantis linguæ prouectus, magnam partem senatus sibi ac Turrianis auerteret. Ea omnia Otho Antistes ex aduerso confurgens, moderata quidem, sed planè illustri & generosa oratione confutauit, repetitisq; altè contentionum initijs, ostendit Turrianos omnium præteritorum temporum tyrannos, astu, impietate scuitiaq; superasse. Quando

Mediolanensium insigni beneficio in urbem asciti, & ex præclaro tuendæ plebis titulo summis honoribus honestati ipsum demum urbis imperium imperitis hominibus deceptis, uti periuri ingratiq; homines arripuissent. De sacerdotij autem ratione & de calamitate nobilitatis exulantis, deq; statu ipso deformatæ urbis, ita accuratè grauiusq; differuit, ut facto senatus decreto pontifex responderit seq; primum cardinalem legatum in Cisalpinam Galliam missurum, ut ex eius auctoritate controuersie componerentur, Hominem ea uirtute atq; industria ut breui rationem inuenturus sit, qua Othoni pariter ac Napo certis præscriptis legibus cauentur, atq; ita futurum esse, ut Othone recepto & de more diuini iuris dicendi facultateposito, ciuitati sacra redderentur. Nec multò post legatus Othonem reducturus Mediolanum uenit. actum subinde est de compositione, ex formula Romani senatus, omniaq; pollicente se facturum Napo, & excolente omnibus officijs ac largitionibus legatum, ciuitas expiatur, nec tamen Otho recipitur, magnoq; eius incommodo dum Napo nouas perficiendo negocio difficultates inserit, sensimq; inde tempus extrahitur, eluditur que legatus, Clementem morbus repentinus oppressit. Nunciata Pontificis morte Turrianus uel ob id etiam uoti compos est effectus, quòd patres fœda dissensione in diuersa studia proclinantes, in comitio aliquot menses contenderant. Peropportunè igitur Napo excluso summotoq; Othone ad firmandas imperij uires conuersus, Rodulpho Cæsari legatos cum amplissimis donis in Germaniam misit, obtulitq; ultrò studium suam

atq;

atq; opes ingredienti Italiam ad coronam Longobar-
 dici regni de more suscipiendam. His pollicitationibus
 letatus Caesar, Napum suo augustali iure praesidem,
 procuratoremq; in Insubribus constituit, alamq; Ger-
 manorum equitum mirificam ad eum praesidij causam
 sit: cui Cassonus Napi filius iuuenis decorae formae &
 militari uirtute conspicuus praeficitur. Interim O-
 thone in omnem occasionem excubante, cardinales
 Theobaldum Vicecomitem Placentinum, indito Gre-
 gorij Decimi nomine, pontificem creant, quum is infi-
 mi ordinis sacerdos, sed uirtute insignis, nunquam de
 toga candida cogitasset. Magno quidem senatorum
 probro qui neminem e corpore suo in ea pertinaci co-
 ntionem pontificatu dignum existimassent, nolenti-
 busq; similes, & casu quodam suffragijs ludentes, pro-
 bitatem ex alio, eoq; humili ordine quaesiuissent. Ad
 hunc Otho profectus, de reditu in patriam sedemq;
 suam diu agitauit, adhaesitq; ei in Galliam ad concilium
 contententi, quum ille & Urbani & Clementis acta
 se defensurum in ea sacerdotij causa prolixè pollicere-
 tur. Sed Napis tanto cum honore apparatusq; Pontifi-
 cem Mediolani suscepit, tantaq; liberalitate abeuntem
 in Galliam est profectus, ut pontifex eius sacerdotij
 controuersiam, no prius se cogniturum diceret, quam
 peracto Lugduni concilio, in Italiam reuerteretur:
 Raimundumque subinde in gratiam Napi fratris to-
 tiusque Turrianæ domus Aquileiensem patriarcham
 creauit. Hic erat episcopus Comensis multa morum
 grauitate, sed profunda ambitione, & nefaria si-
 mulatione insignis: ab eo enim in id seclus tota familia

conspirante, summissos percussores serunt, qui Othonem Placentiæ in aula Pontificis obuersantem, obseruatis uestigijs obtruncarent: sed ille per seruum ex cauernariæ mulieris indicio, insidias subodoratus, noctu iter arripuit, Lugdunumq; contendit. Refert Stephanardus Flamma qui eam historiam carmine conscripsit, Pontificem ipsum (quod uix credibile est) nefarij consilij conscium fuisse, quod fortasse pro falso esset omittendum, nisi & tum & postea quantum uita supersuit, Othoni animum planè hostilem, & quo lethalius noceret, insidiosis honestorum uerborum coloribus conuelatum ostendisset. Ita bis Othonem à gladijs Turrianorum Fortuna seruauit, semel in æde Ambrosiana dum Octauiano cardinali adesset, quæritantibus cum Turrianarum satellitibus usque ad latrinarum recessus: iterum ad Placentiam. Peracto Lugduni concilio, & composita duorum Cesarum controuersia, decretoque nouarum copiarum supplemento ad instaurandum in Asia bellum, Gregorius in Italiam est reuersus, comitante Othone qui spei optimæ plenus ex præclara eius pollicitatione, diu exoptatum exquisitis postulatis suis exitum expectabat. Sed Pontifex iam planè Turrianiæ factionis effectus, Othonem occultè oderat tanquam creditorem, & equa poscentem, palàm tamè multo cum uerborum honore uelut gentilem beniuolumq; suum, uti bene speraret hortabatur. Adcurrerant ad Othonem uiri Patritij, amicorumq; & affinium clientumq; numerus in dies apud eum augebatur. Quo illustri comitatu Pontificis aula frequētior atq; ornatior reddebatur, nemoq; iā exulī
erat,

erat, qui nō planē speraret propensione studioq; Pontificis Turrianos archiepiscopū esse recepturos. Iam enim Franciscus Septariensis quem populus delegerat, ut Turrianorum potentiam auctoritatēq; minueret, tedio turbulente contentionis, sponte se abdicans ad religiosi ocij quietem se contulerat. Ceterū Gregorius ab Alpibus descendens, Othoni nihil tale expectanti præcepit, ut Bugella Vercellensis agri oppido subsisteret, ne eius aduentu ad urbem Mediolanum ea omnia, quæ de compositione paceq; exulū prolixè tractata fuerant, noua Turrianorum suspiratione aut iracundia turbarentur. Paruit Otho extrema compulsus necessitate, in occulto gemens & sæpe suspirans, nec tamen animum despondens. Paucis inde diebus Pontifex ipso Patriarcha Raimundo ornatissimè lautissimeq; excipiente, Mediolanum ingrederetur: festa fronde atq; auleis conuestitæ erant regiones. Napus & Franciscus qui honoris causa ab equis desilierant, astantes freno Pontificis equum deducebant, umbella serica denis hastis à Turriana iuuentute præferebatur. Quibus obsequijs alijsq; muneribus Pontifex haud dubiè traductus in partes, & ab Othone diductus, ita demum Mediolano excessit, ut cum multa præfatione inanum uerborū, exquisitam sibi uideri Othonis causam distitaret, sed eius controuersie iudicium in aliud tempus esse differendum: quòd nequaquā è Repub. Christiana fore uideretur, si Turrianarum rerū statum, reducto potenti æmulo perturbaret, quando ij potentia uirtuteq; animi magnis regibus æquarentur, queis fœdere & amicitia essent con-

iuncti, colerentq; singulari officio ac pietate pontifi-
 cie maiestatis nomen, idq; armis impigrè defenderēt
 aduersus Gibellinos, quorum inter principes, Otho
 præcipuus esse censeretur. Res enim tum in Italia ad
 uentu Caroli regis eò deductæ erant detestabili po-
 pulorum omnium insania, ut eumctæ ciuitates diris fa-
 ctionibus laborarent. Guelfi à pontificibus stabant,
 quorum defensores erāt Galli, Germanis alteri stu-
 debant, qui Gibellini uocabantur. Hi magna ex par-
 te nobiliores familias ad se pertraxerant, popula-
 res uerò familie & plebs, nouique homines Ro-
 manorum pontificum iura tuebantur. At patritij su-
 periorum Caesarum militiae adscripti post emerita sti-
 pendia clari potentesq; euaserant, quum imperato-
 rum benignitate prædijs, oppidis, portorijs, aquarūq;
 iuribus donarentur, speciosisq; nominibus acceptis,
 aurati equites, Valuatores, Capitanei, & Comites
 appellarentur. His uti Caesarum beneficiarijs mos e-
 rat pro insigni Romanam aquilam gestare, ingrediē-
 ti Italiam nouo Casari adesse præstare operam mili-
 tarem, nouosq; honores perpetuis officijs promereri.
 Ita honestati priuilegijs, & exempti ab communi fo-
 ro iurisdicundi, inferiores populi classes plebemq; i-
 psam seruilem in modum despectui atque ludibrio ha-
 bere, & sæpe, si iussa tardè facerent, contumelijs at-
 que uerberibus multare consueuerant. Et quo nihil
 acerbius uidebatur, uigebat iniqua lex, haud dubiè
 ad iniuriam populi promulgata, in qua lege si quis è ple-
 be à patritio esset interfectus, paucis asibus ea capi-
 tis pœna solueretur. Huius legis iniquitas aliquandiu
 tolerata, ad extremum plebis animos adeo uehemen-

ter extimulauit, ut ui atq; armis eam rescinderet, & nobiles ducibus Turrianis persequeretur. Nihil deinde medium aut æquabile plebs uolebat, cum arma teneret, & uindicandas superiorum temporū iniurias arbitraretur. Frustra etiam patritijs priorē licentiā suam moderantibus. Ea enim impotenter dominari quā ex æquo iniurias propulsare malebat. Ea contētio Turrianos (uti supra docuimus) in ciuitate prætores & principes ac demum recrudescente intestino malo, belli duces & dominos fecit, tantaq; demū fuit imperitiæ plebis insania, ut odio nobilitatis quam urbe pepulerat causa recuperandæ libertatis, non æ demū & præduræ quidē seruitutis iugum, æquo animo perferret. Cum iam Turriani sublata publici consilij potestate, cuncta pacis & belli munia ad arbitrium suū reuocassent, & ut imperij opes ualidius confirmarēt, in partes Caroli regis, & pontificum concesserāt, mutuisq; scøderib. initis, in eam curā euigilabāt, ut Germani Cæsares Italiæ finibus arcerentur, Gibellinos ubiq; perderent, infirmarentq; eorum uires qui à Cæsaribus opē implorarent. Per hunc modū Roma, Neapoli, Florētia, atq; Mediolano exacta proscriptaq; nobilitas errabat, consilij inops, percussa metu, attrita opibus. Ex aduerso autē pontificij imperij maiestas, percolente tuenteq; Carolo, atq; adiuuantib. Turrianis auctoritate uiribusq; florebat. Sed necesse erat sacrosanctos principes qui uti omnium parentes Christiana professione ad componendam pacem medijs æquissimiq; arbitri esse deberent, factiones sequi, & quod propè impium uideri poterat, sese Guelfarum

partium principes profiteri. His de causis Gregorius ut temporibus seruiret, presentique ocio consulere, Othonis & totius nobilitatis obliuiscendū existimauit. Verū ad inanem iustitiæ speciem postulauit, ut Archiepiscopatus iura, atq; item oppidorū & agrorum redditus ad exilij solatium Othoni redderentur. Vix credibile uideri poterat Othonem, qui eximia Urbani liberalitate creatus præsul, singulariq; demum Clementis studio in repetenda dignitatis sede usus fuisset, ab eo demum qui & gentilis esset, & amicissimus putaretur, deserui et eludi penitus hostiliterque traduci. Sed in Othone ea uis constantiæ uirilise exactæq; prudentiæ erat, asperrimarum rerum usu, & prouectæ iam ætatis cursu confirmata, ut tum maxime sperare inciperet, quum ceteri exules animum despondere uiderentur. In summis enim egregiè educati hominis dotibus reponebat, non frangi animo in aduersis, putare fortunam uiuida uirtute inferiorem eamq; contemnere: uti penitus instabilem, atque ideo quum auersa tam diu esset, non multo post in complexum commutata libidine redituram. In eo animi habitu quum aliquandiu ad Bugellā substitisset, intentusq; in omnes rerum nouarum motus, aliquam efferendi sese, & renouandi belli occasione incircūspectaret, Gregorius Aretij decessisse nunciatur. Nec mora ad eam famam patritia gens circumquaq; ex infelicitate belli dissipata, ad Othonem coit, in communi cōsultitur, & cum duce militari atq; opulento, qui afflictas res atque humi prostratas erigeret, maxime opus esset, Gothifredus Languscus deligitur. Hic erat natalium atque opum

que opum claritate apud Ticinenses facile princeps, glorie & imperij audus, & quo maxime placebat, Turriano nomini apprimè insensus. Nemo enim è Cisalpina Gallia nõ suspectabat Napi opes, uti in immensum adauctas, cõiunctasq; Apulo regi, Romanoq; Pontifici, quodq; finitimos terrere poterat, noui etiam Cæsaris amicitia atq; præsidio confirmatas. Bergomum enim, Cremam, Comum, Laudemq; Pompeiam, Turriani certo iure in potestatem redegerant, iterq; Ticinum & Abduam, atq; in propinqua Rheticis alpi- bus Volturena ualle, expugnatis & excisis nobilium arcibus, cuncta subegerant. Itaq; Languscus amplif- simis patritiorum pollicitationibus oneratus (eum enim Mediolani Prætozem cum militari imperio, opi- misq; stipendijs designabant) & suo fatali iudicio in ductus, se partium ducem futurum profitetur. Euo- cat undiq; ueteranos, & è Laumellino agro loricatas cohortes, sagittariosq; item ex Liguria mercede con ducit, ante omnia equitatu studet, ut Germanorũ tur mis resistat. Paucis diebus in eo apparatu consum- ptis, & sublatis signis ad Verbanum lacum proficisci- tur. Nullum fuit in ea Præfectura oppidum, quod non statim aperiret portas. Erat enim in eo tractatu Vice comium familia admodum potens & illustris, & iam erat cunctis inuisa Turrianorum acerbitas, qui supe riore bello, præda & cæde aduersariorum non con- tenti, etiam in ipsa tecta & segetes igne sauerant. Itaque Arona & Angleria statim recipiuntur. Ottho ipse cum ualida manu in Sepriensem regionem irrum pit, ea intercinctâ Ticino atq; Olona annibus ad Ver-

banum usq; uicis atq; oppidis florens extenditur, ab oppidoq; Seprio nomen ducit. Hoc Othomani facile expugnāt, & eo capto latè undiq; excursiones fiunt, magnusq; timor finitimis pagis incutitur. Tum uerò Napus à foederatis socijsq; ciuitatibus auxilia parare, equos militares mutuò acceptos, & è domestico stabulo fidis & fortibus amicis distribuere, urbanam legionem ad Carrocij tutelam, ea seueritate atq; eo ordine describere, ut octo tribus (tot enim erant urbis portæ) suffragio suo totidem quos maximè putarēt acres & impigros, singularū cohortium tribunos pronunciarent, tribuni eligerent Centuriones, ij uerò eos qui pari delectu Decurias sacramēto rogatas multa imposta ad uexillum uocarent. His celeriter administratis Cassonum filium cum Germanorū turmis præmittit, qui effuso & uaganti hosti occurrat, ac confestim urbe cū Carroccio paludatus egreditur, cura urbanarum rerum Francisco fratri demādata. Is diligen-
ter urbem nouo præsidio munuit, suspectos relegauit, dubijs obsides imperauit, circumscripsit etiam metu & poena nonnullos qui spiritu, gratia, opibus ualebant. Interim Napus cum graui peditū agmine Angliam ire pergens, quartis castris ad Guasseram amnem peruenit. labitur is ex Proximis uallibus in Verbanum, saxoso passim impeditoq; alueo, & quum in-
bribus intumescit minimè uadoso. iam Gothifredus cognito hostium aduentu, in aduersa ripa aciem direxerat, prouectusq; equo ut cuncta oculis perlustraret, ineundi prælij occasionem expectabat, eo animo ut hostes uadum petris atq; uirgultis impeditum in-
gredientes

ingredientes, adoriretur. Non dubitauit Cassonus qui tribus ferme stadijs subsequentem cum pedestribus copijs patrem anteibat, Germanos per se pugnandi audios cohortari atque incitare, ut contra hostes conser-tis turmis prouolarent. Erat in prima fronte premio excitus à Cassono Antius Lauser, Germanorum dux, armis cristisq; conspicuus. Hunc insolenter traiecto aluco ante alios pugnam cientem, Languscus ipse pari alacritate concitato equo inuasit, hastaq; transfixit. Quo strato Langusciani clamore sublato uictoriam in geminant, tumultuarioq; procurfu in Germanos deseruntur. Fit acre in uado certamen humili tum admodum profluente: Balistarij Ligures in densatos hostes sagittas excutiunt: equites peditesq; miscuntur. Erat iã de Germanis magna ex parte uulneratis parta uictoria, quum Languscus terrefactio equo in tenacem aluei uoraginem abreptus, ab hostibus capitur. Nec mora Germani commutata fortuna conglobantur: Languscianis amisso duce animus concidit. Appropinquat Napus, totaq; mole copiarum impressionem facit. Funduntur Othoniani uiribus atq; animis impares: insequitur fugientes recens equitatus: magna caedes editur: Nobilium ala Theobaldo Vicecomite acriter depugnante aliquandiu resistit, & dum se in equiorem locum subducere properat circumuenta à Cassono ceditur. In ea receptus iniquitate Theobaldus ipse & cū eo uiginti duo Patritij capiuntur. Ferunt Napum filij uirtute letantem præ gaudio lachrymas tenere nequuisse: quando ea uictoria unius horæ momento par-ta, magno timori summisq; periculis & præduris labo-

ribus finem attulisset. Franciscus Turrianus qui Mediolani ipso plebis Tribunatu superbus, & populi et libertatis defensor appellari uolebat, quum rei feliciter gestæ nuncium accepisset, essetq; rogatus sententiam de captiuis, crudelissime rescripsit, asserens cuncta simul Hydræ capita ense recidenda, ne renata uenenum rursus effundant. Contrà Cassonius generoso concilio in uictoria nobili uirtute parta, clementiæ laudem querens, ne supplicium de Paritijs iure belli captis sumeretur, obnixè deprecari. Sed Napus iampridè ex Emberræ scuitia extra aciem patritio sanguine cruentatus, laudata sed elusa filij lenitate, in duriozem partē inclinauit, de poscentibus præsertim Germanis truci cū fremitu, ut in uindictam interfecti eorum ducis, Gothifredus necaretur. Nec multò post Napus ut lege ageretur dira uoce pronunciauit, atque ita ad Galaratum oppidum duo & uiginti insignes patritij, ante alios & Languscus dux ipse & Theobaldus, nefariorum hominum more, securi percutiuntur: & quod inuidiam adauxit ceruicibus tantorum procerum, ad plaustri temonè ludibrio quodam appositis, atq; ibi repetito sæpe ictu, sæuissimè detruncatis. Erat Theobaldus Andreocio Othonis fratre genitus, sua uirtute & specie corporis, sed multo magis felici prole clarissimus, reliquit enim Mattheum filium, qui postea ob uirtutem, Magni cognomen adeptus, Imperium ab Othone acceptum cū admirabili laudè in posteros propagauit. Id execrabile facinus non lege militari, sed inmani patratum rabie, nobilissimos quosq; & inter primos Languscæ familiæ proceres, aduersus Turrianos uehementissimè concita-

concitauit, adeo ut non toto planè exacto triennij spa-
 tio, parem omnino cladem Turrianis, funesta admodū
 illata calamitate rependerint. Otho mœstus uti dome-
 stico publicoq; ictus uulnere, è Seprio in Vercellen-
 sem refugit agrum, diu indignam Theobaldi necem la-
 chrymis profecutus: toto autem tempore nunquam a-
 nimo sese demittēs, sed hilari uultu acceptæ cladis mœ-
 rorem semper occultans, graui oratione patritijs ostē-
 debat, Deos immortales nefario Turrianorum scelere
 permotos occasionem renouandi feliciterq; conficien-
 di belli proculdubio præbituros. Nec multi effluxere
 menses, quum ad excitandos animos initium præbuit
 populus Comensis, acerbitate prætoris ad arma conci-
 tatus. Is erat Accursius Cutica, uir ingenio rapaci, fa-
 ctioso, & quòd à liberis hominibus ferri non poterat,
 agresti quadam ferocia superbo: eum sibi in prætura
 suffecerat Napus, idq; facile impetrarat pro amicissi-
 mo homine & Patritijs maximè infenso: in hoc etiam
 Comenses pari obsequio remuneratus, quum pariter
 Corradinum Lauizarium Vitianarum partium prin-
 cipem, Mediolanensi prætura eodem tempore orna-
 set. In hunc auarè atq; insolenter ius dicentem, quum
 fortè iuueni è Ruscona familia ad tribunal liberius lo-
 cuto, manus iniiceret, Populus impetum fecit, fuga-
 tunq; & in prætorio obsessum cepit. Post id factum
 Decuriones ad Napum scripsere, ut si Accursium in-
 columen & dimissum uellet, ipsis honesta permutatio-
 ne Simon Locarnas remitteretur. Hunc ciuili bello ca-
 ptum Turriani ad ignominiam et cruciatum, clatrata
 in cauea feræ bestię more concluderant, septimumq;

iam annum tetro squallore & foeda alluue deformem ac miserum adseruabant. Erat Simon è Muralta familia Comi admodum nobili, quæ originem à Locarno Verbani lacus oppido deducebat, ob id à Corio, Merulaque scriptoribus, Locarnas appellatus, vir ingentis profectò animi, & proceri robustiq; corporis, atq; vtraq; fortuna sua clarus, sed iniuriæ uindicta maxime il lustris. Visitur hodie Comi lapideum eius sepulchrum superstante equestri imagine ad uestibulum Abundiana Basilicæ. Porro Napus amicissimi hominis periculo permotus, Simonem cauea eduxit, uti etiam contracto iam morbo non multò post, aliqua uitæ aut aeris intemperie moriturum, improbante plurimum Fracisco & predicante, Simonem suo astu uiam aliquando reperiaturum, qua diuturni carceris contumeliam ulcisceretur. Ceterum ea conditione Simon est deductus, uti iuraret nunquam se aduersus Turrianos arma laturum: sed eius iurisiuradi fidem, uti summa expressam necessitate non multis inde diebus elusit, & quum in humani carceris memoriam animo deponendam minimè existimaret, grauib; apud ueteres amicos habitis consilijs ad Othonem est profectus. Eius uiri aduentu erexit sese in nouã spem Otho, coiueriq; subinde patritiæ gentis reliquiae: nam hominem per se diuitijs & clientelis ualidum, efferatoq; animo studij uires omnes ad oppugnãdos Turrianos effundentem magna exulum multitudo sequebatur. Apparebat enim Comeses Simone authore in Patritiorum partes esse trãsituros, quãdo iam à Turrianis ad singulare eius beneficium rebellassent. Dum arma, equi, militesq; parantur apud Ver-

cellas,

cellas, Otho perspeculatores didicit, castrum Seprium de quo toties pugnatum fuerat exiguo presidio & nulla propè cura custodiri: nam toties deuictis profligatisq; hostibus, Turriani, uti in nullo metu, alendi presidarij militis sumptum, custodes uerò excubiariū diligentiam & ipsi remisserant. Itaq; maturandum ratus Otho Ticinum traicit, delatusque intempesta nocte ad portas, & oppidum & arcem cepit. Paucis inde diebus aucto exercitu, totam eam regionem peruagatus finitimis Mediolano uicis magnam uti ex improuiso hoste trepidationem intulit. Ad eius rei gestæ nunciū Napus cum sua uetere urbana legione, Cassionoque filio & Germanorum alis urbe egreditur, cæteras auxiliares copias subsequi iubet. Cæterum dolore simul atque ira angebatur, quòd hostes toties superati cæsiq; adco insolenter sese efferrent, nec superioris cladis exemplo, extrema supplicia formidarent. Sed in Othonem toto animo erat intentus, quem si aliquo casu fortuna desereret, eo semel oppresso Patritios facile debellari, deleriq; posse iudicabat. Appropinquante Napo, celeriter ex belli ratione Othoniani ad signa reuertuntur. Iuxta oppidum Sepriū castra muniunt, murum oppidi atq; item arcem presidio firmant, eo consilio ut freti Sepriensium cōmeatu, & tuti uallo, præferocis hostis impetum frustrentur. Quum aliquot diebus minutis prælijs laceffendo, leuè armaturā exercuisent, Napus è proximis castris ad opugnandā arcē scalas & machinas protulit, instructaq; legione, & equitatu in presidij collocato, mœnibus successit, ratus se potiturū arcem, aut si Otho ferendæ opis causa castris

egrederetur, æquo in loco iusta acie certaturum. Quæ aliquot horis utrinq; acerrimè certatum esset ad murum comminutisque scalis, & multis uulneribus acceptis, Turriani decidentium lapidum, tignorumq; pondera uix sustinerent, uisa est Othoni occasio rei bene gerende, communicatoq; consilio, cunctisq; approbantibus oppido & castris in hostes erupit, tato impetu ut pulsus & perturbatis primis, tota Mediolanensium legio in fugam uerteretur, eaq; uis repentini timoris apud fessos sauciosq; & de arcis expugnatione desperantes fuit, ut neq; Napus, neq; Cassonus conturbato à fugientibus equitatu, opem suis atq; perterritis asferre potuerint. In ea fuga Otho clementiæ nomen querens, orabat suos ut à sanguine ciuium tēperarent. Sed haud facile continere frenareq; eorum ferociā poterat, qui amicos propinquosq; suos crudeliter extra aciem interfectos ulcisci properabant. Conseruauit tamen multos: nam nisi maturius receptui cecinisset, quàm nox instaret, usque ad castra foedæ fugæ & trepidationis plena, iratorum patritiorum gladij cum magna hostium cæde peruenissent. Agnouere Mediolanenses lenitatem Antistitis sui. Sed Napus eius fugæ ignominia animo minimè ferens ubi perterritos confirmauit, cohortante Cassono, ut amissum decus celeritate atq; audacia sarciretur, præcepit præfæctis ut corpora atque animos ad pugnam pararent: statuisset enim intra paucas horas hostem nec opinantem, & ab recenti rerum successu incautum adoriri. Ita ea nocte insomnis Napus, in albescente cælo ad hostes contendit, tanta celeritate, ut Othoniani uix arma induere equosq; frenare po-

re potuerint. Dimicatum est aliquandiu ad uallum ir-
 rumpente undique hoste & repugnantibus satis con-
 stanter qui pro custodia castrorum in fronte excuba-
 bant, sed reliquas cohortes ægrè sustinentes, nec satis
 conglobatas ex transuerso Germani densatis cuneis fa-
 cile perriperunt. Quo conspecto reliquus peditatus
 itemq; equites effusi castris atque oppido, protinus in
 fugam se cõiecere. Ita propè sine uulnere perrupta &
 direpta castra, plurimi capti, cæsi pauci, ad eò eius fu-
 gæ foedo euentu ut non facile appareret utrisnam For-
 tuna humanis cœptis illudens, intra spatium septem
 horarum plus dedecoris, aut militaris laudis attulisset.
 Otho premente undique hoste inter tela uolantia pe-
 riculo elapsus, cum magna parte equitatus ex fuga Co-
 mum peruenit. Eum Comenses neque intra urbem re-
 cipere, neque ut diu in suburbanis ædificijs subsisteret,
 pati uoluerunt: ne Turrianus uictor, à quo iam plane
 defecerant, admoto exercitu per causam persequendæ
 hostis, ipsorum agros euastaret. Præbuere tamen beni-
 gnè & largiter commeatum, atque item sarcinaria in-
 umenta, & peritos itinerum duces, quorum fideli ope-
 ra usus Otho, ad septimum lapidem, Luragum castel-
 lum primo petijt, atque inde profectus superato Luga-
 ni lacu, ad Zornigium subalpinum pagum contendit.
 In eo loco admodum tuto & syluestri, aliquot dierum
 quietè recreatus, ad amicos literas dedit, ut de sua salu-
 te receptuq; certiores redderentur. Sed nõ multò post
 inopia & egestate compulsus deflexit ad Canobium
 insigne & opulentum in ripa Verbani oppidum. Ibi
 Otho admirabili sacundia sua usus oppidanos clauden-

tes primo portas, mox bidui tatum moram fesso agmini concedentes adeo appositè feliciterq; permulsi, ut representata hostium suorum crudelitate, in amicitiam eos suam foedusq; pertraxerit. Nec multò post coiucere rursus Patritij exules ferme omnes: nam ubi fama perlatum est Othonem benignè amiceq; acceptum Canobij constituisse, unusquisq; uel inermis uel seminudus ex fuga atq; ab hostium castris ad eum contendebat. Nā Turriani captiuos contenti spolijs statim dimiserant, ne qui felicitate in paranda uictoria prestitissent, humanitate uinci uiderentur. Affuit & Simō Locarnas inusitato tramitum flexu ex fuga seruatus, agitatumq; subindè est de renouādo bello & maiore quidem spe, maioreq; apparatu, adeò ut uix credibile uideatur, Othonem tantos gessisse spiritus, neque unquam tot aduersis casibus succubuisse: qui iam quinquies bello uictus, tot propinquis & cliētibus seuitia hostium amissis, summaq; pecunia & rerum omnium inopia circumuentus, neq; ipse conquiesceret, neq; hostes ocio frui diuq; uictorijs letari pateretur. Erat enim iam planè quinq; & sexaginta natus annos, sed uiridi admodum uiuaciq; senecta, atq; aduersus omnem algoris aestusq; contumeliā indomita. Sed fatale ei erat Fortunā uel improbè semper coeptis illudentē, patientia & magnitudine animi superare, exercereq; se perenni uigilia ijs cogitationibus atque consilijs, quibus dignitatem & patriam recuperaret, & posteris cum insigni gloria latè imperium traderet. Inuenio apud ineptum quidem, sed non iniucundum uersibus rerum scriptorem, ab his familijs quæ in Apennini atque Alpium tractis

tractu nobilitate, diuitijsq; florebat, Othonem tempe-
 rantia altitudineq; ingenij & pietate uenerabilem, be-
 nignè ac liberaliter fuisse adiutum. Fuere inter cate-
 ros Solarij, Rotarij, Malaspinae, Scarampi & Valper-
 gae, qui in apparatus belli equos, arma, tela, quadri-
 gas, commeatum omnis generis, uestem, pecuniam cō-
 tulerunt. Apud generosas enim gentes quodam mise-
 ricordiae genere animos permouebat ea Fortuna ini-
 quitas, qua tot patritij diu extorres acerbèq; proscri-
 pti, ad luctuosam aegritatem peruenerant, quando iam
 nihil eis usquequaque afflictis, praeter spem rubigino-
 saq; arina supererat. Nec desuere uoluntarij milites ab
 Asta colonia, Taurino, Eporedia, Augusta praetoria,
 Vercellis atque Nouaria. Guliermus quoq; Montisfer-
 rati Regulus in societatem certo foedere accitus est:
 quo duce superioribus annis Hispanorum aduentu,
 Othonem & Burrum cum Turrianis infeliciter dimi-
 casse demonstratum est. Subegerat hic in Montisferra-
 ti regione complura oppida, Albam & Aquas Statiel-
 las, & Alexandriam, postremoq; Derthonam impe-
 rio suo adiecerat, potens aequè atq; impiger habeba-
 tur: bella ex bellis libenter serebat, ut is qui apud eum
 erat exercitus, ex reliquijs Hispanorum (eorum enim
 aliquot in Italia remaserat) & ex fortissimo quoq; cō-
 fectus perpetuis stipendis aleretur. Cōparatis autē co-
 pijs, terminatisq; cōsilijs, statuere ut Simō Locarnas na-
 ualibus praesfet copijs, Guliermus cum terrestri exer-
 citu ad Verbanū progredederetur. Exornarat classē na-
 lidā Simō, totaq; orā ad Othonis studia cōuerterat. Sta-
 bat à Turrianis Angleria, ad eā Otho & Simon deue-

huntur, oppidani refugiente in arcem praesidio se dedunt: arx uti ex ruinis temere & negligenter refecta quum machinas non perferret, certa pactione recipitur. Tum uero ad Aronam naualibus terrestribusq; simul admotis copijs bellum transfertur. Arona & Angleria interiacente Verbano, qua Ticinus effunditur, Sextanae atq; Abidenae arcium in Helleponto similitudinem reddunt. Sed Arona sicuti nobilitate inferior, ita opportunitate loci, situsq; munitione celebrior existimatur. In ea oppugnanda quum aliquot dies contriuisset Guliermus agendis maiorib. balistis quib. testa introrsus lapidum cumulis prorueret, & e classe Otho & Locarnas edificatis more maritimarum triremium in summitate mali amplioribus caucis, atque inde scorpionum ingentium uerutis muri pinnas defensoribus nudarent, praesidij milites & periculo suo & oppidanorum lachrymis permoti, ea conditione deditio-nem fecerunt, ut nisi triduo opem ferret Turrianus, ipsi arcem atq; oppidum relinquerent. Vix dum confectae erant deditio-nis tabulae, obsidesq; recepti quum Cassonus Ticino superato, quadrato peditum agmine & praemisissis Germanis aduentare nunciatur. Tum uero impigre aciem instruit Guliermus, e classe proptissimi propugnatores terrestribus copijs se coniungunt, editiorem occupant locum frontemq; maximè ueterano atq; armato milite firmant. Sed Cassonus coniectura iudicans ualidiores cohortes equitumq; turmas in fronte fuisse constitutas, ex duabus Germanorum alis alteram in dextra coniunctam legioni consistere iubet, in qua Musca eius frater, & Andreas atque Hereccus patruelles

patruelles curabant; alterā ipse obliquo flexu in latus
 et terga hostium duxit: hęc in lixas ignobilesq; mani-
 pulos inuecta magnum tumultum ab tergo excitauit,
 adeo vt Germani cędendo, sternendoq; obuios in inte-
 riora castrorū penetrarint, coactusq; sit Guliermus nō
 dum contracta in fronte pugna, equitatum suum con-
 uertere, opponereq; Germanis, qui foeda strage cun-
 cta compleuerant. Sed dum Germanorum audacia re-
 primitur, praeliumq; atrox in medio miscetur, tota aci-
 es respectare ac mox nutantibus vexillis circum agere
 sese trepidanter cępit. Non defuit occasione Cassionus
 statimq; iussit alteram alam, relicta legione in frontem
 procurrere. Ea uis irrumpeatium fuit vt priusquam,
 Turriani pedites appropinquarent, Guliermus an-
 citi acie circumuēctus funderetur, atque uniuersi terga
 darent, ex fugientibus complures, classis peropportu-
 nē adpulsa littori excedit, minoreq; ob id cęde Turria-
 nus uictoria est potius, quod pedestres copię tardius
 appropinquantes in uacua castra impetum fecerant,
 prędam autem quę alioqui exigua non erat nobilita-
 uit Guliermi tentorium Maurisiaco opere acu pictū,
 cum instrumento militari admodum luculento, quo o-
 lim a socero Hispanię rege donatus fuerat. At Gulier-
 mus perumpens cum equitatu Ticinum iter intendit:
 Otho & Simō diuersis itinerib; cum reliquiis prosliga-
 ti exercitus, hic Comum, ille Nouariam se receperunt.
 Rebellarant (ut diximus) a Turrianis Comenses Accur-
 sio Cutica prętorē, Simoneq; recepto, neque tamen ad
 patritios defecerant: medios enim se gerere, & neu-
 tris studere malebant, quā Turrianos iam planē ui-

Flores, grauioribus iniurijs atque offensionibus ad-
 uersum se concitare: & magnopere Turrianis faue-
 bat Vitana factio, quæ iam pridem Philippo opem fe-
 rente Rusconan armis deuictam principatu deiece-
 rat. Vbi igitur Simon aduenit concionando passim, cœ-
 pit Othonem & patritios primoribus ciuium obnixè
 commendare, uti indignè pulsos domo, proscriptosq;
 & crudelissimè à plebeis hominibus diuexatos. Quem
 inquit exitum consilijs nostris expectamus posteaquã
 defecimus? nisi ut aut acre bellum geramus, aut inso-
 lentissimo Tyranno seruiamus, & ab his trucidemur,
 qui maioribus nostris patria expulsis tecta hu-
 ius urbis & mœnia in cineres redegerunt? Concordia
 nunc maximè opus est ciues, ut libertatem cum digni-
 tate tueamur. Otho supplex, & patritia gens orant,
 ut nostra ope in patriam reducantur: ad id uires abun-
 dè supersunt, ut omnia maturè atq; feliciter confici
 posse speremus, dum Turrianus debellatum putat, &
 solutus metu uictoria sua superbe letatur. Erat Simon
 uehementi eloquentia, & ea quidem authoritati atq;
 opibus equali, ipsaq; carceris calamitate clarior eua-
 serat, cuius indignitas multorum animos ita permoue-
 rat, ut Turriani non mediocri inuidia desflarent.
 Eo modo Comenses tumultuario studio & subita qua-
 dam acclamatione, Othoni, patritijsq; adherendum
 decernūt, sed ne statim per Decuriones decretum scri-
 beretur, ambo urbis Consules obstitere, Henricus sci-
 licet Aduocatus, & Gasspar Ficanus Vitanae princi-
 pes factionis. His sese opposuit Ioannes urbis Episco-
 pus, qui Othonem studiosè admodum colebat, pa-
 tritio-

tritorumq; exulum causam insigni pietate ardoreq;
 suscipiendam arbitrabatur. Ita tumultu exorto diuisus
 in duas factiones populus, arma corripuit, mediaq; in
 urbe atrociter est dimicatum. Lucterius Rusca & Si-
 mon, aduersarios è foro multis illatis uulneribus in
 Prætorianas ædes compulerunt, continuoq; certami-
 ne prætorio atq; urbe, captis Consulibus eiecerunt.
 Nec multò post constituta ad arbitrium Republica &
 excisis Vitanorum turribus, Otho è Nouaria publi-
 cis literis est euocatus. Is primus dies Othoni è tan-
 tis calamitatibus felix illuxit: nam ab eo de hinc die, u-
 ti rerum scriptores referunt, fortuna Turrianis nus-
 quam æridens eos è tanto fastigio continenter detra-
 xit. Exceptus est Otho à Ioanne Comensi episcopo, sin-
 gulari cum honore, priuatiq; eius pecunia ad exornā-
 das copias est adiutus. Ceterum Lucterius & Simon
 conquisitis undiq; equitibus, atq; ite sagittarijs & scu-
 tatis cohortibus è Verbano & Lario, Luganoq; &
 Belitiona, armataq; etiam in primis Comensium iuuen-
 tute iustum propè exercitum coegere. Interea Otho
 exulesque patritij ad se Comum acciuere Ricardum
 Languscum Laumelli comitē, uirum bello acerrimum
 & Turrianis Ex Gothifredi fratris nece uehementer
 infensum. Adduxerat is ueteranam cataphractorum
 alā, ex his qui sub fratre meruerāt, statimq; ei omnium
 copiarū imperiū magno assensu delatū est. His cōpara-
 tis Otho cōcionatus ad Comēses, gratias cūctis eorū or-
 dinib. humaniter egit, quòd liberali & egregia uolūta-
 te descedēdas ipsius iniurias opportunè suscepisset, mili-
 tareq; operā promptiss. animis præstarēt, aduersus

Turrianos impios execrabilesq; homines, atq; ob id toties à summis Pontificib. inferorum pœnis cruciatusq; deuotos: cuius studij immortalisq; beneficij memoriam, nunquam esset è memoria deleturus. Ioannes urbis episcopus ad hæc totius populi nomine respondit ea mente Comenses eius optimæ causæ studio adductos sumpsisse arma, ut proficiscentem ad patriam sacratamq; sedem suam, eductis uexillis sequerentur, fierentq; eius uictoriæ socij atq; participes, quam Dij iustitiæ defensores ultoresq; nefariæ tyrannidis aduersus impios & iniquos homines pollicerentur. Proinde læto animo in hostes contenderet, ipsos enim si bellum extraheretur, societatis inite fidem atq; amicitiam constantissimè seruatuos. Nec multò post Otho profectus ad Liciniforum posuit castra. Ea urbs quondam insignis & nota Ptolemæi temporibus, in minores abijt pagos, dilapso, uti uidere est, Eupyli piscoso lacu, in cuius ripa peramœnæ fertilitatis Liciniforum adiacebat, eius regionis tractum corrupto uocabulo Incinplebem uocabant: Afferunt nonnulli ex uehementi terræ motu Eupylum cæco hiatu terræ haustum subsedisse, profundioribusq; inæqualis aluei locis, reliquisse exiguos quinq; lacus, è quibus Lamber annis emittitur. Eius regionis incolæ Othonianos lætis animis exceperunt. At Napus ubi nunciatum est Othonem à Comensibus receptum, uehementiq; Simonis & Rusconorum studio adiutum instaurare bellum, dixisse fertur ad conuiuas superbo sæuoq; ore quum è mensa discederet, paruo ut arbitror, labore nostro, magnum certè negocium agasonibus nostris afferemus. Sunt enim
nobis

nobis horum manibus & exules, & ipsi rebelles in-
 fidiq; Comenses, latronum more laqueis puniendi, atq;
 ita properantius atq; turbidius quam soleret, ueluti
 rapiente fato, in hostem porta Iouia copias eduxit.
 Pridie enim Cassonum fatali errore prae miserat cum
 Germanis equitibus, qui Canturium quinto ab urbe
 Como lapide, opportunum oppidum praecuparet,
 ne eo ad excursiones faciendas hostis potiretur, & ut
 inde ipse proximos Comensium agros euastaret. Po-
 suere uitiferis in collibus urbem Canturiges antiquissi-
 mi populi, auctore Strabone, sed ea demum mutante
 cuncta aeuo consensescens, in oppidum abiit. Turriano
 hic erat ordo: praecedebat Pontius Amatus Prae-
 tor cum legione urbana & mercenarijs equitibus: ip-
 se Napsus relicto ad urbis custodiam Oldrado Tangen-
 tio insequentis anni Praetore designato, propinquos
 omnes amicosq; & familiares citato & disuncto ag-
 mine secum trahebat. Eodem die quo Cassonus Cantu-
 rium est profectus, Othoniani ad Caracã nobilẽ olim
 urbem supra Lambrum deflexere: ea Ptolemæo nota,
 hodie defectis ultimis literis, antiquum nomen reti-
 net. Quum ibi de inferendo bello à ducibus in consilio
 sententiæ dicerentur, è Decimo uico sacerdos quidam
 pernici equa deuectus ad Othonem peruenit. Erat e-
 nim Decimi praeclarum Othonis nomẽ: nam ab adole-
 scentia sacris initiatus, summum in eo pago sacerdo-
 tium à pontifice impetrarat, unde postea, & in aede
 maxima Mediolani, & in diui Ambrosij templo ca-
 nonicas dignitates fuerat consecutus. Is sacerdos Otho-
 ni nunciauit, Mediolanensium copias cum Praetore,

ipſosq; Turrianos principes, ſub occaſum Solis Decimum perueniſſe, cuncta ibi militari ſtrepitu compleri, & tumultuoſius atque acerbius quàm pro ſociorũ conſuetudine milites, teſta, cubilia, ſtabula, pulſatis hoſpitibus, eiectisq; iumentis occupare, nec adeſſe Germanos qui pridie ad Canturium præceſſiſſent, proinde Turrianos ea nocte poſſe deleri, ſi improviſus conſeſto per noctem itinere diſperſos atque ſopitos adoretur. Hoc nuncio maxime lætatus Otho, Dij inquit qui à Decimo dignitatis initia præbuerunt, non inani proculdubio loci omine proniſſam nobis de hoſtibus uictoriam dabunt: atque ita tota re ad conſilium delata, ſingulari omnium alacritate decernitur, non præmittendam rei gerendæ occaſionem, & eo quidem ardentius atque audacius, quòd & antea per exploratores de Caſſoni conſilio atque itinere certius cognouerant. Nihil enim æquò metuebant quàm aperto in campo manus cõſerere cum Germanis equitibus, quorum uim atque impetum duce præſertim Caſſono, iam tribus in prælijs ferre nequiuiſſent. Otho, ut à cædibus impollutæ ſeruaret manus, Ricardo Languſco copiarum imperium dedit, ſuperinduitq; ſibi linream ſtollam, ſacerdotali habitu multis ſtriatam rugis, præſerriq; ſibi iuſſit argenteam crucem ueluti pacato itinere ſacri imperij ſui ſedem aditurus. Magno demum ſilentio de ſecunda uigilia Ricardus caſtra mouit, tribusque ferme horis ad Sereniũ uicum eſt peruentum: inde præmiſſi ſpeculatum expediti equites, ducibus agricolis, non multò poſt renunciauõ re apud hoſtes, ut in ipſo contincinio accidit, cuncta

quic.

quieta nocturniq; silentij plena, conspici tantum semi-
 extingtorum ignium fulgorem, nec exaudiri castrorū
 fremitum, ita ut nec ad ipsos quidem pagi aditus fre-
 quentium uigilum stationes esse iudicarent. His dili-
 genter exploratis, & instructis ordinibus priusquam
 dilucesceret, in conspectum oppidi se dedere, oppressis
 aliquot excubantium. Id sine facibus iter, & silenti qui-
 dem Luna confecerant, ne ab alta sacrae turris specula,
 patentibus in campis uaga lumina cernerentur. Eo i-
 nopinato hostium aduentu exterritus Napus, uix spa-
 tium habuit ad induenda arma: tubarum tamen clan-
 gore, & pulsu tympanorum cuncti excitantur. Pon-
 tius Praetor legionem nondum planè instructam in a-
 pertiorem locum educit, equites aggregantur, magnis
 clamoribus pugna committitur. pugnabat in hac par-
 te Languscus admirabili uirtute, interfectoque Pontio
 praetore, Aratisq; uexillis, legionē cum multa caede pe-
 pulcrat, quum altero egressu & angustiore quidē uia
 prouectus in aciem Napus irrumpētibus Comensibus
 occurrit, ut cum Fortuna Simoni insensissimo hosti
 obijcere uideretur. Eo in loco summa contentione ali-
 quandiu dimicatum, quum Turriani proceres in pri-
 ma acie, de imperio, de uita, fortunisque omnibus di-
 micarent: ex aduerso autem Simon & Lucterius
 Rusca incitati efferatq; diuturno inimicae gentis odio,
 in aduersos uesano impetu deferrentur. Inalbescente
 iam caelo Andreotus Turrianus interficitur, Franci-
 scus qui hosti, equi frenum comprehendere auso dex-
 tram ingenti gladio detrūcarat, multosq; huc & illuc
 concitato equo uulnerarat, cuspide in inguen cōiecta

confoditur. Napis ipse equo deturbatus quum in purpurea trabea, coenoso in loco uolutaretur à Ruscono milite capitur, seruaturque egrè ab irati Langusci gladio, deprecante Othone, & trepidum perhumano sermone consolante. Capiuntur quoque in ea aduersi praelij fuga summæ spei adolescentes Conradus cognomento Musca, & Guido Turriani: hic Francisco, ille Napo genitus erat. Quibus aliquot post annos carcere eductis, paterni imperij decus fortuna restituit, itémque Hereccus superioris Pagani ex Hermanno pronepos, Lombardusque eius patruus, & Cauerna pater Pagani iunioris Patriarchæ Aquileiënsis, & Napi germanus frater. Hos omnes Simon atque Lucterius, tanquam peculiari ipsorum sorte Commensumq; militum felici uirtute superatos & captos, Comum deducendos curauere, ut in Baradelli arce custodirentur. Ea est edito in monte excelsa turre insignis, à Luithprando Longobardorū rege ante octingentos annos edificata, ut late speculam in subiectos campos ad tutelam urbis præberet. Ferunt Simonem, quòd eius animi ferociam uictoria mitigasset, non aliter insultasse Napo, quàm ut diceret: Non reposcā à te sanguinē & opes Nape, postquam Dij me uoti cōpotem fecerunt, sed æquo iure pœnam talionis; experieris enim tantum, quale cruciatus & contumeliæ sit genus, in cauea ferarū more custodiri. Et uir certè sapiēs & egregiè fortis inter paucos numeraberis, si ea quæ ego diu miser & nō semper infelix tuli, pari patiētia ferres. Napis cōstātī animo sabrefactā cæcellatis trabib. caueam intrās, nihil pro se, sed tātum pro Guidone &

Musca

Musca deprecari, se meritis poenas luere: eos verò qui vitæ innocētia nihil durius mererentur humaniter custodirent. Non caruit scribendi legēdiq; solatio Napus ceterum adeo acerbè custoditus est, ut ei neq; cultelli neque forfices concederentur, quibus sibi mortem consciscere posset, unde illi ad deformitatem prælongi vngues, promissa Cæsaries, & illuise turpis barba pro uenerant. Reliqui, & ante alios Musca & Guido decori iuuenes, cum Luçterij generosi uiri humanitate, tū pacati iam Simonis indulgentia liberalius adseruati. Otho memorabili potitus uictoria, ante omnia apud duces militesq; grauitè atque humaniter egit, ut moderatè uictoria uterentur, cædi uindictæq; finem imponerent, spolijs contenti essent, captiuosq; dimitterēt. Agendas purè Dijs immortalibus gratias, quòd toties bello prosligati, atq; omnibus exilij, fugæ, atque egestatis oppressi malis, septies acie uictores hostes tantisque subnixos opibus, ad internitionem eorum nominis, u-nius horæ momento debellassent. Remisere impetum patritij, condidereq; extemplo gladios: commouerat enim generosos quorundam animos, Francisci cadauer lutulento in solo fœde proculcatum, cuius etiam caput gregarius miles ob fratris necem, decisum trunco, hastæq; præfixum uictoribus pariter & captiuis ostentabat. Fuerat Franciscus Napo fratre scuior & asperior, utpote qui nutantè in consilio Napum ad sumendū de captiuis Theobaldoq; præsertim supplicium, uehementibus literis impulisset, semperq; acerbissimè grassatus in nobiles ciues, plebè satis superq; sua temeritate concitatā ad audenda facinora intèperanter ac

cendisset. Tum verò Oldradus prætor clade Mediola-
 ni nuntiata, aduocare in consilium ciues, plebem ad ar-
 ma vocare. At ciuium optimus quisque eius imperia
 contemnere, de pace & de concordia plurimum loqui
 in uirtute pietateq; Othonis Antistitis spem reponere:
 proptereaq; sanandæ ciuitatis & parandæ quietis oc-
 casionem diuinitus oblatam arbitrari, postq̃ uniuersi
 ferè proceres Turriani qui renouare bellum possent
 aut in acie essent cæsi, aut in fuga capti, ad manus ho-
 stium peruenissent. Quibus rebus Oldradus valde con-
 territus, ac sibi timēs, in prætorium se recepit. Interim
 Cassonus de aduerso prælio certior factus è Canturio
 Mediolanum peruenit, ratus aut patrem aut patrum
 aut certè reliquos familiæ principes ex fuga in urbem
 se recepisse. Sed ibi de suorum calamitate certior fa-
 ctus, non deserit sese, & quum non statim admittere
 tur, refractis portis introductoq; armato agmine in
 forum contendit. In eo tumultu suburbani incolæ Co-
 mensis portæ, postremos ex Cassonianis equitibus in-
 uaserunt, ex his multi vulnerati exutiq; armis & equis
 diffugerunt. Porro Cassonus urbē percurrrens & vete-
 res amicos plebēq; præsertim ad arma euocans, & cre-
 brò libertatē se aduersus ueteres tyrannos defensurū
 repromittens, cum nemo commoueretur desperatis re-
 bus Romana porta se proripuit: adeo enim ex euentu
 eius pugne, apud omnes populi classes, ueteris studij
 & fauoris ardor territis mentibus exciderat, ut nemo
 uel egregiè factiosus in medium prodiret, qui profer-
 re vexillum auderet, aut Turriani imperij nomen se de-
 fensurū profiteretur. Hinc uidere licuit quantam rerū
 animorum

animorumq; mutationem aduersæ pugnae casus attulerit, adeo ut facile iudicari possit, in toto tuendi principatus negotio, nihil omnino esse populari praesidio incertius aut inanius. Cassonus continenti cursu Laudem Pompeiam peruenit: vbi cum minimè reciperetur, Cremonam atque inde Parmam ad ueteres amicos cōfugit. Eodem die Mediolanenses ad Othonem legatos miserunt, qui omnia amica pacataq; ingressuro urbem pollicerentur. Ita haud multò post insigni pompa in specie triumphi Mediolani receptus, cunctos qui aduersarij partium fuerant metu liberauit, habuitq; orationem, ciuili clementia & Christiana pietate plenissimam: pacatisq; omnium animis respublica ad eius nutum cōstituta est. Creantur quoq; praetor quidem Ricardus Languscus, & Magister equitū Simon Locarnas; quorum illustri virtute se uictoria potitum Otho gratissimo animo praedicabat. Dedicauit subinde aram in templo maximo Diuæ Agneti quàm in praelio uouerat, addiditq; agros in alimenta sacerdotum, qui quotannis eius diei memoriam celebrarent. Idq; adhuc in urbibus Mediolanensi imperio contributis, praetores decurionesq; ad tubarum cantum instauratis sacris religiose repetere, post ducentos & sexaginta annos uidemus. Pugnatum est duodecimo calendas Februarij anno à Natiuitate Christi Millesimo & Ducentesimo septuagesimo septimo. Eius uerò summæ uictoriae historiam Otho pingendam curauit in Angleriana arce, regio sumptu ab se aedificata, extantq; adhuc in maximo testudinatoq; conclaui incorruptæ praeriorū cum ueris ducum uultibus imagines, latinis elogijs passim singula

rerum argumenta indicantibus: quanquã MuscaTurrianus postea uictor, recēti calce, maculare potius quã obliterare eius infausæ historiæ memoriam contenderit. Auxit eius dici letitiam Bonacose Burræ partus ea enim nocte qua ad Decimum pugnatum fuerat, Magno Matthæo filium peperit, cui ob Galli cantū Galeacio nomen inditum ferunt. Hic est qui postea omnes eius seculi principes & duces, magnitudine animi liberalitate atq; imperatoria laude superauit. His confectis rebus, Otho ad expugnandam montis Orphani arcem copias misit, in quam Turrianorum reliquiæ confugerāt, uexabantq; inde diurnis nocturnisq; decursionibus sociorum agros. Ea arx ad tertium à Como lapidē imposita est monti qui ob id Orphanus appellatur, quod undiq; discretus atq; abiunctus à cæteris ab ima planitie molli fastigio in nemorosam cauitium metā adsurgit insidetq; via militari ad Coxie torrentis vallē, qua iter est ad Liciniforum. Hæc quum machinis capi non posset, operibus circumuallata, sexto demum mense fame domita est. Descenijt in muros Otho, sed non planē totam diruit, ita ut Guido è carcere elapsus, rerumq; potitus, eam post viginti annos facile restituerit. Euersa montis Orphani arce Turriauis finibus excessere, & veteres eorū clientes, quum Othonis clementiæ salutem minime cōmittendam iudicarent, in Cremonensi, Parmensiq; agro, & in Venetia ad Aquileiam familiæ proceribus aggregabantur. Tum uerò Otho à belli studijs ad pacis ciuilibusq; administrationis munia conuersus, ciues de se benemeritos locupletare, omnibus iustitiæ atq; humanitatis officijs nouas amicitias parare, procurare

re res diuinas, singulariꝫ moderatione principis simul sacriꝫ pastoris officia implere. Quum in his reb. esset occupatus, renatum est repente bellum initio à Laudensibus exorto: nam Othone mirum in modum Vistarinis fauente, qui uti diximus Principatu pulsi redierant, æmuli eorum, quum neminem ciuem dominatu potiri pati uellent, ad se Cassonum & Gothifredum atq; item Raimundum ab Aquileia cum magnis copijs acciuerant, indeq; auxilijs Cremonensium & Parmensium adaucti in agros Mediolanensium sese effuderunt. Cassonus multis expugnatis direptisq; oppidis Tritio & demum Vaprio in Ripa Abduæ occupatis Lambriũ traiecit, conflixitq; collatis signis cum Mediolanensi legione & urbano equitatu, qui cū Carroccio temere vsq; ad sanctum Donatum Romana porta processerāt In hac pugna Cassonus paucis casis, supra viginti septem spectatæ nobilitatis ceturiones cepit, & in his Mutium Soresinam, Gasparem Vicecomitem & Antifossā Vercellinum; & præterea magnum numerum peditū atque equitum. Quidam authores sunt Othonem cum expedita manu ad Cassianum vsque processisse in ripa Abduæ situm, ut primis hostium incurfibus occurreret, maioreq; conspecto hostium exercitu, fugisse ad Gorgonciolæ uicum, superuentuq; hostium, non aliter seruatum, quam munitione sacræ turris, in quam nemini cognitus ascenderat. At Cassonus eius pugnae successu elatus per suburbana ad Ticinensem portam adequitauit, terroremq; ostentatis copijs ad fossas undiq; circumtulit. Tum uerò Otho in tam graui periculo mira usus constantia, fidis cohortibus portas firma-

re, prætorem in foro cum signis militaribus excubare, suspectos ciues apud se habere, eoq; vultu cuncta administrare, vt in multa dissimulatione pauoris, excellens fortitudo & prouidentia singularis eminere uiderentur. Nec multò post Cassonius nemine ex ueteribus amicis, vti sperauerat ad se concurrente, retro uertit agmen transgressusq; Abduam ad oppugnandũ Brengnanum contendit. Discessu hostis Otho recreatus, nihil potius aut expeditius existimauit, quàm è Monteferrato Guliermum veterem socium & militari laude florentem euocare, quo duce vim hostis acerrimi propulsaret, & insigni apparatu conatuq; egregio bellũ conficeret. Nec ita multò post Guliermus accepta ingenti pecunia Mediolanum venit, statimq; liberali stipendio ad quinque annos Mediolanensium, Othonianarumq; partium aduersus Turrianos eorumq; socios imperator deligitur. Nec mora cum eo prætores Antonius Languscus Ticinensis, & Luæterius Rusca Comensis, exercitum instruunt, Carroccium educunt: Duo autẽ prætores erant, quòd coarctarat Otho prætoris tempus, vt pluribus honore impartiretur, eoq; beneficio plures ciuitates atq; familias sibi conciliaret: nam qui annuus fuerat Magistratus, semestris effectus est; ea lege, vt qui designatus esset prætor, dignitatis insignibus uteretur, sed exclusus iurisdictione, bello tantum collegæ operam nauaret. Cæterum promotis castris, ad Vaprium recto itinere peruentum est: habebat idoppidũ cum arce traijciendi fluminis opportunitatem. itaq; arx magnis utrinq; viribus oppugnata defensaq; est, bellumq; protractum, ita vt nihil præter uastationem agrorum

agrorum incendiaq; villarum, memorabile gereretur
 Verum Guliermus noui consilij ratione suscepit, vt
 refecto ad Ticinum ponte, ultra Abduam bellum trās-
 ferret. Erat in castris Otho, & ab alia parte Raimun-
 dus Turrianus, ab his vti decuit à sacratis uiris Bergo-
 mates legati impulsī ab optimis utriusq; partis ciuibus
 impetrarunt, ut de pace liceret loqui, eoq; res interpo-
 sitis aliquot dierum inducijs, deducta est, vt deposito
 metu, familiaritate utrinq; milites amicos & propin-
 quos conuenirent, adeo vt una castra ex duobus facta
 videretur. Sed quum à multis ex illustri ordine Medio-
 lanensium, Turrianos milites salutari studiosusq; ap-
 pellari Guliermus conspiceret, inuictus equo in com-
 meantium turbā ferrea claua minabundus colloquia
 militum diremit. Paulò post tamen Raimundus, Casso-
 nus, & Gothifredus Melenianum venere, affuitq; ad
 condictum Guliermus cum Othonianis, in queis erat
 Conradus Castellionus iure consultus insignis breuiq;
 disceptatore & arbitro Guliermo, pax his conditioni-
 bus dicta confecta; est: scilicet vt in summa Bripiana
 & Vapriana arces, ipsi Conrado & mercatorum col-
 legio custodienda traderentur: agri porro paterniq;
 possessiones, castella, domus Turrianis redderentur, lo-
 ca tamē munita his ciuibus, qui neq; harum neq; illarū
 partiū censeretur custodienda relinquerēt, potestasq;
 his esset, vti luberet, habitare in agro Mediolanen-
 si, vtque utrinque captiui sine pretio dimitteren-
 tur. Tabulis ritè confectis Turriani captiuos Gu-
 liermo ea conditione tradiderunt, vt non prius sol-
 uerentur, quam ij qui in Baradelli arce erāt, dimissi fo-

rent. Id uerò facturos Comenses Lusterius & Simon pernegabant, qui iure belli captos peculiaresq; hostes suos ad alienum nutum & commodum minimè dimissuri uiderentur. Nihilò secius Guliermus, quàmquam id à Comensibus quod Turriani petebant nō impetraret Mediolanenses captiuos omnes dimisit. Sed Otho ceteris pacis conditionibus non diu stetit, & sua sponte, & impulsu clarissimorum ciuium, qui priuato quodam inuito fœdere aduersus Turrianos conspirarant. In his fuère Vicecomites fermè omnes, Soresina, Mandellij, Pusterula, atq; itē Cribelli. Ita Turrianis neq; redditæ res, neq; restituti agri, neque permissus in patriam reditus, neque captiui è Baradello custodia liberati sunt, magna quidem cum Ohonis inuidia, qui securitatem Imperij, fide & iureiurando, potiore habuisse dicebatur. Prouidebat enim amicos clientesq; suos, quibus Turrianorum bona dono data fuerant ex lege & conditione pacis, omnibus uictoriæ præmijs ad contumeliam spoliari: quæ res ad conturbandas multorum fortunas, abalienandosq; animos manifestè pertineret. Igitur Turriani à Guliermo atq; Othone decepti, eo cum dolore animi latè finibus excesserunt, ut iniuriam uiolatæ pacis ad ciuitates passim, Regulosq; deferrent, ab his opem implorarent, socia & mercenaria arma pararent, quibus acceptas iniurias ulcisci & patriam recuperare possent. Sub id tempus in Baradello moritur Napis, fœda illuue & enatis subinde pediculis consumptus. Fuerat in eo spquallore & uitæ tædio, annū unū menses septē & dies uiginti tres. Corius & Merula attractum pedibus & in sylvâ sepultum tradunt. sed
nos

sed nos Trifano Calcho potius affentimur, qui Comē-
sem episcopum agenti animam astitisse scribit, colla-
tisq; Christiano more sacramentis defunctum in aedicu-
la Diui Nicolai piè honesteq; tumulasse. Eundem uitæ
exitum tulerūt Lombardus & Cauerna biennio post,
ex morbo ægritudineq; animi Napum secuti. Interea
Raimundus ex Venetia, Foroiulio atq; Histria, & ex
Carnis & semi Illyricis gentibus ad duo milia equitū,
peditum quatuor milia sacerdotij opibus armauit, qui
bus Cassonus ueteres Germanos & Parmensium, Cre-
monensiumq; & Laudensium auxilia adiunxit. Ac-
cessere etiam pleriq; Mediolanenses qui Othoni prin-
cipatum inuidebant, ægerrimeq; ferebant Turrianorū
iniuriam, & communem patriam fructu pacis & ocij
fraudatam querebantur. Proptereaq; sponte in exi-
lium abierant, & Turriarorum signa secuti quantis
maximè artibus poterant per affines & propinquos
suos Othonis auctoritatem in republica conuellebāt.
At Otho in eā curam exporrectus ex fidiſſimo & for-
tissimo genere militum exercitum parare, à socijs ciui-
tatibus auxilia accire, & ueluti in supremo conatu su-
premaq; spe conficiendi belli omnem armorum appa-
ratum ingentemq; pecuniam proferre. Cunctabatur
autem Guliermus paruis atq; insidiosis artibus, nec ad
duci poterat, ut rebus celeriter administratis in hostē
copias educeret, utpote qui pericula augeri, confirma-
ri hostium uires, terreri magis ac magis Othonem ma-
gnopere cupiebat, ut operā suā ampliore pretio, pe-
riculo & necessitate circūuentis uēditaret. Erat quidē
Guliermus animo ingenti, & in omni bellico munere

prorsus intrepido, sed auri atque imperij foeda cupiditate corrupto. Adduxerat enim Mediolanum superiore anno Beatricem uxorem quæ mirifico apparatu atque insigni liberalitate suscepta ornataq; regalibus donis ab Othone, atque ab Decurionibus, & demum introducta in nobilium domos, admirari lautitiam magnitudinem atque opulentiam urbis, inuidere fortunæ Othonis, & demum Hispana cupiditate id imperium affectare cœpit. Hæc quum impense laudaret apud virum, quin tu inquit, si uir es, hac urbe potiri non contendis? Pater certè meus tibi non deerit, si pro te potius quàm pro alijs imperitis, belli peritissimus pugnare decreueris. In hanc spem Guliermus ab inani & cæca ut plerumque accidit ambitione facile prolapsus, in Hispaniam enauigarat, ubi communicatis cum rege consilijs, quum uoti cupiditatisq; suæ Fortunam tentare decreuisset, galeatos amplius trecentos equites, & leuem armaturam equitum & peditum in naues sustulit, & in Italiam est reuersus. His de causis Otho profunda prudentia & solerti ingenio probè agnoscens quantis animi recessibus Guliermi consilia conderentur, nihil antiquius aut validius habuit, quàm parum sinceri ducis animum amplis pecuniæ muneribus expugnare; sed Matthæus Vicecomes iam planè bello & pace spectatis operibus magnus, dies mora extrahentem iocabundus incitabat. An, inquit, Gulierme illam vim bellici uigoris qua una laude maximè flores, hæc infami cunctatione amittes? ut & tu & nos tecum militaris nominis dignitate spoliemur. Conuenere iam undiq; auxilia tantæq; nobis adsunt copie, ut hoc tempus quod

quod tibi segniter deperit, morari de hoste uictoriã uideatur. Aduenerãt iã Simon Aduocatus à Vercellis, à Nouaria Guliermus Brusatus, Antonius Languscus à Ticino, & Lucterius Rusca, Simõq; Locarnas è Como, qui suarum ciuitatum magni roboris auxilia adduxerant. Itaq; Guliermus cõpressa ægritudine animi, nec minus accepto auro quã pudore deuictus Carrocii e-duxit, & ad Vaprium, ubi hostes constiterant, contēdit. Euere in eius exercitu, uti aliqui authores scribunt, ad triginta milia peditum, & sex milia equitũ, in qucis supra duo milia cataphractorũ equitum censebantur. Inuasit Cassonum insolitus pavor tanto cõspecto exercitu, ita ut ei semper antea intrepido atq; pugnaci, expediēdi cõsilij uis omnis excideret. Non putarat enim Mediolanenses publica Carrocij signa aduersũ se adeo celeriter educturos, rēq; sibi tantũ fore cũ Guliermo Othonianisq; clientib. bona uictorię spe plenus existimarat. Appropinquante itaq; hoste in id discrimē erat deductus, ut si ultra amnē se recipere, exercitiũq; serua-re uellet, id ne dũ cõmodē, sed ne sine ingenti quidē per-turbatione, sũmoq; periculo facere possēt: relinqueba-tur ut audacter irrumpendo iniqui certaminis aleã su-biret, aut se ad oppidũ circũuallari obsideriq; patere-tur: quod cũ indecorum ac miserũ fore iudicaret, uti di-gnum erat fortissimo duce, totiesq; uictore, instructa acie cõflicxit, ediditq; supremo uirtutis conatu egregiũ facinus. Nam cùm undiq; circũuenta acie à tãta hostiũ multitudine cederetur, Germanos equites cohortatus, ut honesta nec inulta morte conciderēt, cõglobato cunco ad Guliermi uexillũ p̄stratis Hispanis penetravit

occisoq; signifero illud arripiens, discerpfit, atq; ibi de-
 mum interclusus à legione, interfectusq; est. Tum verò
 Turriana acies undiq; pulsa trucidataq; ad flumen se
 conuertit. Ibi cum pleriq; natando metu mortis, mortē
 non timerent, magna ex parte summersi sunt. Perijt &
 in uado Gothifredus Turrianus Cauernæ filius, dele-
 taq; sunt penitus Raimundi auxilia; ipse enim Laudi
 Pompeiæ substiterat: Cremonensium uerò & Lauden-
 sium duces capti. Pugnatum est ad Vaprium septimo
 Calendas Iunias anno quarto à Decumana uictoria,
 quæ secuti principatum Othoni dederat, ita hæc eum
 sublato undiq; metu confirmauit. Honestatus est Cas-
 sonus sepulchro non ignobili, quod adhuc extra Va-
 prium in ædicula conspicitur: retinetq; adhuc proxi-
 mus ager eius prælij memoriam; cum ab incolis Tur-
 rianæ cladis nomine uocitetur. Nec multò post Laudē-
 sibus bellum indictum, depopulatusq; est eorum agros
 Guliermus, tanta accerbitate, ut Laudenses uillarum
 castellorumq; uastatione perdomiti de pace legatos ad
 Othonem miserint. Inde Guliermus in Cremonenses
 duxit, multisq; detrimentis illatis bellum aliquandiu
 est productum: nam Placentini, Parmenses, Mantuani
 Regienses, Cremonensibus opem attulerant: ad extre-
 mum inter eos imita pax, & in centum annos procla-
 mata, ea conditione ut captiui utrinq; dimitterentur,
 & Turriani eorumq; ex professo fautores his urbibus
 exularent. Interea Comenses Guliermum in decem
 annos Imperatorem suum declararunt, concessaq; est
 ei suprema potestas condēdi atq; antiquandi munici-
 pales leges, sed id unum omnino est cautum, ut de ca-
 ptiuis

ptiuis Turrianis qui in Baradelli arce erant ius omne Comensi populo relinqueretur, atq; ita à Comensibus liberaliter susceptus, iurauit se populi Ruscianorumq; partium iussu, aduersus eorum hostes uti res posceret, bellum egregia fide gesturum. Inde frequenti comitatu Mediolanum rediens, tot rerū secundo successu elatus, ad insana consilia reuertit, secreto hostilia moliri, & cogitare denuo cœpit, quibusnam artibus Othonis existimationem conuellere, circumuenire hominē iam planē senē, & deniq; urbis Imperium posset inuadere. Homo ingenio procaci, auido, inexplebili, Reipb. accumulatis tot sumptib. grauis, inuisus esse omnibus cœperat, cum sibi arroganter ascriberet recentis prælij uictorian, & Othoni & ciuibus pacis ab se partæ beneficium obiectaret; ob id inflatus atq; superbius quā antea se gerebat, ut non omnino dissimulāter ad principatum aspirare uideretur. Ante omnia Bosium Doarīā ueterem aduersæ factionis ducem, Cremonensiuq; tyrannū, in cuius tabernaculo Actiolinum expirasse docuimus, Soncino oppidi dominū Othone frustra reclamāte constituit, utq; familiā illustrem atq; opulentā Imperij utiq; emulam Othoni opponeret, Soresinas incitauit, ut sese efferrent, & his ciuibus æquarentur quib. nobilitate pares, uel omnino uirtute & diuitijs superiores libertatem opprimere niterentur. Postremò postulauit, ut Ioanni pogio ipsius familiari prætura conferretur, inde sibi gradum facere ad dominatum maturans. Itaq; Pogio prætorē duæ sunt exortæ factiones, magna pars ciuium Othoni fauebat, in altera erant Guliermus ipse & Pogius prætor atque item Soresina

familia, & quanquam occultè Castellioni duce Guidone, cuius opera per id tempus auro corrupti custodes è carcere Baradella arcis Guidonem Turrianum eduxerāt, Musca & Hereccus eripi nequiuere. Ea res Othonem quidem grauissimè pupugit, sed ferentes id iniquiore animo Comenses sibi à Mediolanensibus capitalem iniuriam indignè fieri querebantur. In id graue salutis imperijq; discrimen intestini hostis perfidia coniectus Otho, dissimulatione in præsens opus esse existimabat, adeo vt cuncta iniqua & immoderata petenti, perblando & familiari ore condonaret: Cæteriū intentissimè vigilabat ut consilia & progressus eius notaret, multaq; pollicèdo, amicos hosti detraheret & sese à repentina vi domestici hostis tueretur. Interim Guliermus domestico bello in Montemferratum reuocatus Vercellas proficiscitur. Ita celeriter adhibitis in consilium amicorum fidelissimis, non deest occasioni Otho, quid faciendum sit Matthæum admonet, correptisq; armis ipse equo prouectus ad prætorianas ædes contendit. Poggius domo magistratūque & urbe excedere cogitur: creatur nouus prætor Vbertus è Becharia familia, siue, vt ait Merula, Iacobus Summa ripa Laudensis in reliquos scilicet menses vt coniecta vi lubet. Ita breui in tutiorem statum restituta Republica & depulso omni metu Iacobus & Carolus Soresinæ in exilium aguntur, nonnulli porro ex Terzagbis & Balbis qui cum Guliermo consilia miscuerant, extra decimum lapidem relegantur, & Soresinarum domus quam illi ex ruinis Turrianarum ædium con-
diderant

diderant incurſu plebis ſolo æquatur. His conſectis rebus Otho, ut ſeſe aduerſus uim acerrimi & potentis hoſtis confirmaret, in Germaniam ad Rodolphum Cæſarem legatos cum muneribus ampliſſimis miſit, obtulitq; ei amicitiam liberalemq; operam uenturo in Italiam ad recipiendam Romani imperij coronam. Cæſar tametſi Turrianis antea fauerat, ex uſu tamẽ rerum ſuarum cum Othone certo amicitiaẽ ſœdere coniungi maluit, quàm proſligatarum partium quarum principes caſi captiq; eſſent, inane nomen tueri. Itaq; Othonem miſiſ ad eum ampliſſimis literis in clientelam ſouendum ac tuendum recepit, miſitq; ad eum Germanos equites qui in ſpeciem prætorianæ aũ corporis cuſtodiaẽ adeſſent. His de cauſis Guliermus, bellum quod parabat auertit in Derthonenſes & Alexandrinos. Sed non multò poſt Turriani in ſpem renouandi belli, repetendæq; patriæ ſunt erecti, initio à Comenſibus exorto, qui quum ueteres laxiores agri terminos ſibi reddi, uti antea ex auorum memoria poſſediſſent à Mediolanenſibus poſtularent, & ab his nequaquam pro iure ſœderis & amicitiaẽ benignè reſponderetur, armata iuuentute agros Leucenſium & Cluatenſium expugnatis caſtellis occuparunt, finesq; eos protulerunt uictoricibus armis, uti ex iure & æquo antea petierant. At Mediolani cum hæc eſſent nuntiata, ſenatusq; Comenſes arroganter hoſtiliterq; feciſſe iudicaſet, in eos numeroſus exercitus eſt eductus, cui præſuit Mathæus Magnus, à quo Comenſes ſuperati & caſtris exuti ſunt, multisq; caſis, cõplurib. captis, onuſti Comenſium præda Mediolanenſes domũ redierunt. Hanc cladẽ

grauiſſimè tulit Comenſis, quòd in ſe atrocius quàm
 in barbarum hoſtem Mediolanenſes gladium exercui
 ſent, isq; potiſſimum & dux & author cladis extitiſſet
 qui paulò antè ciuitatis ipſorum prætor & imperator
 fuiſſet, cuius recentis beneficij memoriam vti ſuperbus
 & ſæuus, amiſſiſſe uideretur. Itaq; in eo dolore grauius
 decernitur, aduerſus enim Vicecomites repente coniu
 rant, uinculis exoluunt Muſcam & Hereccum Turria
 nos, eos præturæ dignitate exornant, pecunia armisq;
 inſtruunt, & bellum uehementibus animis in Matthæu
 & Othonem parant. Ad id etiam ipſe Guliermus, eo
 Comenſium decreto magnoperè letatus, opes atq; o
 peram pollicebatur, cuius uiri uim tãquam pugnacis,
 & ab recenti iniuria concitati, grauem & periculosa
 Othoni futuram intelligebant. Eo modo Turriani iu
 uenes acerbo carcere poſt ſeptimum annũ & menſe
 undecimum educti, acre bellum & tum Othoni, &
 Matthæo deinde, eo pulſo & in exiliũ actõ, uarijs
 ſucceſſibus intulerunt, quæ quoniã duclu Magni Mat
 thæi geſta ſunt, in eius uita aptius atq; illuſtrius per
 ſcribentur. Iam enim in eum ab eximia uirtute & re
 bus feliciter bello geſtis, præclaris ducibus parem
 Otho ſenex omnia humana iura contulerat, adeo ut
 utrunq; Magiſtratum unus occuparet, impleretq;. Nã
 & gerebat bellum uti dux atq; equitum magiſter, & è
 tribunali prætorio patiētiffimè ius dicebat, ut ipſe om
 nium litium diſceptator & iudex ex arbitrio iudica
 ret, & omnis ſubinde prouocatio tolleretur, res graui
 ciuium incommodo ad ſerendas lites excogitata. Sed
 mirum in modum eius nomen atq; potentiam adauxit
 Guliermi

Guliermi inexpectata calamitas, qui Turrianis Comen-
 sibusq; coniunctus, iam Othoni graue bellum intule-
 rat, atq; id tum uehementiore studio reparaturus esse
 uidebatur, quòd & Guido Castellionus Turrianis ad-
 hæserat, uir inter primores consilio, clientelis, atq; opi-
 bus insignis: erat is Guidonis Turriani qui è Baradel-
 lo effugerat auunculus. Igitur Guliermus quum nefa-
 rio scelere Derthonensem episcopum necasset, in ma-
 nus Alexandrinorum ex insidijs captus deuenit, apud
 quos ferrata in cauca, atrocibus corporis atq; animi
 tormētis excruciatu interijt. Gratijs igitur Otho dijs
 immortalibus agens, quòd se uotorum omnium com-
 potem fecissent, uti iustam ab omni labore uacationē
 nactus, apud Claræ Vallis cœnobium religiosa quiete
 fruebatur, apprime confisus præcellenti prudētiæ uir-
 tutiq; Matthæi Magni: hunc enim ipse à tenera ætate
 seuerè & diligenter educarat, institueratq; his mori-
 bus, quibus in omni bellica uel ciuili actione ad certā
 laudem semper illustris tanto imperio dignus esse ui-
 deretur, Magnitudine quippe animi, patientia, huma-
 nitate, religioneq; & domestico splendore cunctos an-
 teibat. Nemo ei corporis aut ingenij uigore par erat,
 altitudine uerò cōsiliij, facundia, & oris atq; habitus di-
 gnitate antiquis heroibus æquabatur. Nec eo quisquā
 prole felicior fuit. In quinque enim eius filijs Otho ipse
 peracri iudicio, miram certamq; indolem ad propa-
 gandum imperium quasi diuinans providebat, & iam
 ex his Galeacius & Marcus cui Balatroni cognomen
 fuit, ad militarem ætatem peruenerant, & in Iohanne
 atq; Luchino optimorum principū indoles elucebat.

Postremus Math.æi liberorum Stephanus fuit cæteris prole quàm uita felicior, quum ad hunc filij, nepotisque, & qui nouissime imperarunt pronepotes recta serie respiciant. Eo modo quum ad Claram Vallem amœnissimis in hortis Otho tuendæ valetudini operam daret, frequentique comitatu insigniũ philosophorũ, & sacratorum uirorum oblectaretur, sepe de diuinis humanisq; rebus iucundissimè disputans, senio potius quàm morbo confectus è uita discessit, Augusto mense, eius aui qui fuit à partu Virginis nonagesimus quintus supra mille & ducentos. Impleuerat septimũ & octogesimũ annũ, nullis paulò molestioribus morbis obnoxius, ita ut mihi proculdubio omniũ Principũ longè felicissimus decessisse uideatur. Vsq; eò enim paucis cõcesso fati munere uixit, ut sũma gloria plenus, quodã ambitiosa cupidaq; mortalitas maximè optat, posteritati suæ letissimus interfuisse uideatur. Tumulatus est in templo maximo ad maiorem aram marmoreo sepulchro, in cuius fronte hæc carmina leguntur.

Inclytus ille pater patriæ lux, gloria patrum,
 Fulgor iustitiæ, fidei basis, arca sophiæ,
 Largitor ueniæ, portus pietatis egenis,
 Intrepidus pastor, quem moles nulla laborum
 Ardua deuicit, populo latura quietem.
 Ille prius princeps, & præsul amabilis, in quem
 Altus uirtutum splendor conuenerat omnis;
 Quo Mediolanum radiabat lempade tanta,
 Totaq; fulgebat regio, nunc pallet adempto:

Clara

Clara Vicecomitum proles uenerabilis Otho
 Oh dolor, oh uulnus, cinis est hoc marmore factus
 Christe pater uitæ requiescat spiritus in te.
 Annis undenis, ter senis, terq; diebus
 Præfuit ecclesiæ pastor bonus Ambrosianæ,
 Mille ducenteno quinto, nouiesq; deceno,
 Quarto hic Augusti bis liquit gaudia mundi.

MATTHEVS MAGNVS

S I V E L I B E R S E

C V N D V S.



EMo si Fortuna ludos spectare
 lubet, certiore utriusque sortis
 merito MAGNI cognomen a-
 deptus est, quam hic ipse MAT
 THAEVS Vicecomes, cuius i-
 magini ad ueram oris effigiem
 ductæ, insignes etiam excelsi
 animi dotes breui elogio expressas appendimus. Nec
 titulus, uti reor, uel summa uirtutis atque potentie Re-
 gibus insolens & grauis huic ad inuidiam cesserit, quã
 illi superiores Alexãder Põpeius & Carolus, tâquã hu-
 manæ uirtutis modũ supergressi inter Heroes referã-
 tur. Hic uerò intra patriæ fines parta laude contētus,
 id tulerit, quod ciues post inuidiã morte extinctã, præ-
 clara etiã hostiũ cõfessione detulerũt. Natus est Masi-
 no, in pago ad Verbanũ lacũ, eo fortè insigni die quo

Federicus secundus, dirus Italiae Caesar, à filio Manfredi rege coniecta in os stragula ueste suffocatus interiit. Tradunt autem non insulsi annalium scriptores, armenta eius uici sponte soluta proripientiaq; se magno tumultu è stabulis domum, in qua Anastasia mater infantem noctu enitebatur, inusitato mugitu edito quasi salutasse, adeò ut experrecta tota uicinia puerperæ magnus timor incuteretur. Sed id Theobaldus pater pro lætissimo ostento accepit, gratulatus uel ob id uxori felicem partum, quòd miræ magnitudinis infantem ad ingentis spei fortunam edidisse uideretur. Erat Anastasia Vberti Pirouani nobilis atque optimi Mediolanensium Antistitis ex fratre neptis. Hæc puerrum rara inter matronas charitate proprijs uberibus aluit, adultumq; usque adeò diligenti & planè uirili cura honestissimis moribus instituit, ut Otho nescio quid egregium & uerè magnū in pueri indole se conspiceret fateretur. Ceterum Matthæus iam planè uir quanquam impubes, orbatus patre uiro fortissimo, ærumnosiq; exilij Othoni patruo comes, ita corpus pariter atque animum exercuit, ut utrunq; uiriliter aduersus rerum omnium contumelias indomitum, inuictumq; uoluptatibus præstaret, & duris atque asperis gaudere, nec aduersis unquam frangi, nec secundis efferrari uideretur, quòd nihil unquam aut demissum aut insolens ore gestuq; eius excideret, præaltaq; semper atque ardua ad imperium & gloriam intentus agigaret. Summum adeo decus in clementia & moderatione reponerat, quibus uirtutibus Turrianos omnino caruisse ideoq; celeriter excidisse principatu, prædica

re erat solitus: oderat enim gladios extra aciem cruen-
 tos, quum in neminem Turriani sanguinis, uel nunquã
 paternæ cædis oblitus seuerit, neminemque ex infen-
 sissimis hostibus bello captis occiderit, uti uiderelicuit,
 quum omnes ferè aduersarum partium summi duces
 atque ei capitali odio inimicissimi mira perpetuæ ui-
 ctoriæ felicitate in potestatem eius deuenissent. In his
 fuere Simon Aduocatus, Guliermus Brusatus, Philip-
 pus Languscus, Antonius Fisiraga, Albertus Scotus,
 qui Vercellis, Nouariæ, Ticini, Laudi Pompeiæ, &
 Placentiæ Gibellini nominis hostes tyrrannidem exer-
 cebant. Ad hanc quoque generosi & clementis animi
 laudem, moderati nomen addiderat, quum in omni bel-
 licarum & ciuiliū rerum actione, cupiditatum ex-
 cessus sugeret, & nusquã timore aut superbia præpe-
 ditus, cuncta consilia certis temperantiæ finibus ter-
 minaret, & id quidem eo diligentius, quòd uel in spe-
 ciem religiosè pius existimari uellet. Sed ei inter seua-
 rianato atque educato nihil potius unquam fuit,
 quàm augere factionis opes, aduersarios persequi, &
 latè imperium proferre, etiam si id non facillè sine cæ-
 dibus atque incendijs patraretur. Plura tamen se testis
 consilijs & occulta largitione, quàm ui & cruenta ma-
 nu confecisse, & plura denique auro quàm ferro feli-
 citer expugnasse disserebat, ut scilicet prodigis atque
 ad inanem sumptum facillè effusis, & natura pugnacis-
 simis filiorum ingenijs utiles frenos imponeret. Henri-
 cum iam Cæsaris fratrem ab inimicis aduersum se è
 Germania in Brixianum agrum cum ingentibus co-
 pijs euocatum multo auro aggressus auerterat: pariq;

felicitate Philippum Valesium, qui postea Gallia re-
 gnum tenuit, pontificis impulsu formidolosum exer-
 citum ad Vercellas adducentem, multis legationum ar-
 tificijs, magnis denique muneribus peruicerat, vt ami-
 cus quàm hostis esse mallet, in Galliamq; rediret, quū
 Galeacius filius, pugnae quàm pacis audior viginti pe-
 ditum & septem galeatorum equitum milibus tran-
 situro hosti obiectis, quin praelij aleam subiret, pater-
 nis monitis ægerrimè paruisset. Imperauit Mattheus
 ab Othonis morte septem annos, nouem in exilio to-
 lerauit, quum malignitate propinquorum & subita
 nobilitatis conspiratione, atque Alberti Scoti perfidia
 circumuentus, vt inuidiæ cederet, Mediolano excessis-
 set. Sed eum post patriam frustra armis sepe repeti-
 tam deformis exilij incommoda constantissimè tolerā-
 tem, nec vnquam despondentem animum, in spem non
 dubiam erexit Henrici Cæsaris aduentus. Fatali tum in-
 sania Turriani inter se dissidere cœperant, & Guido
 patrueli Muscæ morte extincto succedens, consangu-
 neis & ciuibus vsque adeo superbia intolerandus eu-
 serat, vt Muscæ liberos, ad quos paterni auitique im-
 perij hereditas redibat, custodiæ traderet. His cogni-
 tis Mattheus, agresti habitu auijsque itineribus Astam
 ad Cæsarem contendit, vbi Cassonus Turrianus Medio-
 lanensis Antistes cum Napino fratre, atq; item prin-
 cipes Guelpharum partium conuenerant. Quis cre-
 deret sexagenarium senem, venerabili canitie, & male
 tecto frontis honore, ipsoq; præsertim arduæ ceruicis
 habitu conspicuū, sed pedibus iter habentē, tot insidiā-
 tium oculos fallere potuisse? Proiecto ad pedes & ex
 iure

iure & aequo opem imploranti, admiratus facundiam
 & oris decus Caesar, spem dedit ut reduceretur, atque
 id egregia fide præstitit, Philippo Langusco, Anto-
 nioq; Fistraga qui aderant atroci oculo intuentibus,
 acerbq; voce eum totius pacis & quietis turbatorene
 appellantibus. Sed Matthæus frequenti concursu, libe-
 raliq; studio veterum amicorum & silentium, qui
 prodeuntem ornatissimo comitatu deducebant, iā pri-
 stinæ fortunæ suæ persimilis, pacificatore Casare cum
 Turrianis foedus percussit, his legibus, ut beneficio Cæ-
 saris reducti in patriam antiquæ libertati restituant
 æquo iure viuerent, & paternis bonis, ciuili actione
 partis, vtraque factio potiretur. Nec multò post Hen-
 ricus Mediolanum venit, eique obuiam egressus Gui-
 do cum insigni ordinum omnium pompa, & ab æ-
 quo desiliens Casarem salutauit, sed vultu non oc-
 culta bile perturbato, quòd Germani equites Tur-
 rianum vexillum signifero vi extortum, solo affixe-
 rant, indignati quòd aliud insigne quàm Romana A-
 quila præsentè Casare præferretur. Caesar eum huma-
 niter alleuans & equum conscendere iubens, reniden-
 ti ore, Guido inquit, noli contra stimulum calcitra-
 re, atque ita medius inter Matthæum & Guidonens
 urbem intrauit, Guidone de Principatu planè despe-
 rante, quum aspectu tanti hostis qui dextrum Cesaris
 latus tegebat, & propinquorum qui aderant rebel-
 lione conterritus, omnem vim expediti consilij peni-
 tus amississet. Cæterū Henrico de more coronato atrox
 in vrbe tumultus incertum casu an fraude exortus est,
 quum populus arma caperet, excitiq; ad arma Germa-
 ni, fora, & cõpita cohortibus & turmis occuparèt, &

Galeacius cum globo equitum discurrens, & ueteres
 clientes ad arma uocans Germanos ut nihil timerent
 hortaretur. Sed ea uis armatae plebis, quum nec causa
 nec author tanti motus extaret, repente uersa est in
 Turrianos nihil tale timentes, momentoq; temporis eo-
 rum domus expugnatae direptaeq; sunt. Guido equum
 nactus agrè profugit, Cassonus antistes per hortos uix
 creptus est: reliqui Turrianae factionis inter se dissi-
 dentes eandem improuisi mali fortunam tulerunt. Iam
 propè reum patratu facinoris apud iratum Caesarem
 rumor Mattheum fecerat, nisi senem quietum pacata
 familia domi epulum parantem praetoriani Caesaris in-
 uenissent, ipseq; digressus ad Caesarem falso credita mul-
 tiplici testimonio diluisset. Relegauit tamè eum Caesar
 Ticinum, ut de ea re certius cognosceret, & Turrianis
 per summum populi scelus omni honore omniq; laeta
 suppellectile spoliatis, æqui iudicis officium præstare
 uideretur. Sed ea disceptatio hunc habuit exitum, ut
 Mattheus singulari Caesaris studio Mediolani præfice-
 retur. Henricum enim ut Romam ire pergeret, Cæsa-
 riani nominis studiosi in Etruria, frequentibus literis
 euocabant, & ipse quantum Guelpis fidendum so-
 ret; præclare intelligens certo fideliqu; præsidio factio-
 nis opes confirmandas arbitrabatur. Itaq; Mattheus
 summa potitus potestate iterum decem annis impera-
 uit, quo spatio aliquot subactæ urbes, capti hostium
 principes, Turrianorumque opes atritæ delætaeque
 sunt. Ipse domi ab inueterata prudentia consilio pol-
 lens, & foris filiorum ductu (ij enim clarissimi duces eua-
 serant) multis prælijs uictor ad consummatam gloriae
 laudem

laudem perucnerat, ita prorsus ut iure Magni pariter
 atq; felicitis nomen mereretur. Sed qui longa infracti a-
 nimi patientia rerum omnium difficultates egregiè su-
 perarat, inuidiam ueræ uirtutis comitem superare nõ
 potuit. Præcipui enim amicorum gloriæ eius splendo-
 re offensi ab eo desciuerāt, quum Robertus Neapolita-
 nus rex Guelpharum partium suscepta causa in Li-
 guriam uenisset, Beltrandusq; Vasco Cardinalis, ponti-
 ficius legatus Matthæum diris persequeretur. In can-
 nanque unam curam animos intenderant, ut commi-
 nuta Cesarum autoritate Guelphos tot aduersis præ-
 lijs profligatos contra Gibellinos erigerent, Matthæ-
 usque in primis tanquam maximè ualidus aduersarū
 partium imperator, dominatu pelleretur. Dimicabant
 superioribus annis in Etruria ad campum Aldinum se-
 mel, iterum ad Arbian flumen, nouissimè autem ad
 montem Cantinum Guelphi cum Gibellinis funesto il-
 lis euentu, quo prælio Roberti regis frater fuerat in-
 terfectus, & Luchini Matthæi filij paternorum auxi-
 liorum ducis mira indoles enituerat, ipsèque demum
 Robertus à Marco Matthæi filio pro Spinulis atq; Au-
 rijs exulibus depugnante Genue obsessus & miserè
 circumuallatus, in multo rerum discrimine multum di-
 gnitatis amiserat; Quibus de causis acerbissimo consen-
 su bellum atrox Matthæo parabatur. Ipse porrò Bel-
 trandus conflato ingenti exercitu, & receptis ad se
 Turrianorum proceribus, diuini iuris tela cõtortuq; s
 Matthæum tanquam impietatis reum æternis infero-
 rum cruciatibus deuouit, & Mediolanensibus eo no-
 mine sacra ademit, ut populum diro piaculo cõsterna-

tum in authorem tantæ labis concitaret. Nec legatum ea res sefellit: nam hæc emissa tela aliquanto grauiore mole quàm promoti ad portas ingentes exercitus, hostibus inciderunt. Clausis itaque templorum foribus expers sacrorum populus duodecim legatos ad Beltrandum decreuit, vt expiationem accuratis precibus impetraret. Sed in eo delectu de industria plures fuere Matthæo insensi & ante alios ex amicis veteribus, effecti noui hostes, atq; ideo acerbiores maximèque pestilentes, Leodrisius Vicecomes patruelis, & Franciscus Garbagnatus, quo authore Matthæus in amicitia Cesaris fuerat receptus, & Simon Gribellus numerosa familia potens, vir atrox & inquietus, propterea alienati quòd minimè paria ingentibus meritis præmia retulissent. Ad hoc superbos animos naturaq; pronos ad leuitatem atq; perfidiam inuidia alienæ felicitatis inuaserat, vt periniquè ferrent, quòd non iam secus atque ex merito sperauissent, ipsis Matthæi filijs dignitate atque opibus æquarentur. Verùm Matthæo alioqui moderato tardantèque senectute parum expeditè liberali, præcipua cura inerat, liberos eximie virtutis duces amicis & propinquis omnibus anteferre, augere diuitijs, ac bellicis honoribus honestare, quum cæteris propinquis & amicis proximas spes maturæ liberalitatis relinquendas existimaret. Itaq; legati à Beltrando redeuntes, referunt, nihil à viro acri, iracundo & validis copijs instructo impetrari potuisse, nisi Matthæus ob conceptam hæresim aqua & igni interdictus urbe pelleretur, eo pulso ciuitatem expiatam fore, & creatis Decurionibus qui æquo iure gubernent,

bernen, ad pristinae libertatis decus deletis factionum
 odijs, continuo redituram. Nec mora inconditae plebis
 frenitus auditur, pacem atque concordiam postulan-
 tis, & coniurati ad augendum tumultum idoneos ho-
 mines subornant, qui specie religionis inducti exclam-
 ent, non esse omnibus propter unum deuotum caput
 aeternas poenas apud inferos subeundas. His uocibus
 Mattheus perpetuisque inimicorum insidijs circum-
 uentus ad consilium summae prudentiae, quod ei supre-
 mum & ad salutem expeditum fuit, extemplo decur-
 rit, ut a Galeacio filio qui tum Placentiae imperabat,
 licet ab se ex emulatione Marci fratris alienato open-
 imploraret: nec differt ille uir impiger de summo re-
 rum periculo certior factus, quin statim coactis uete-
 ranis equitibus ad patrem aduolet. Eius aduentu ini-
 mici maxime perterrentur, dubij deprauatique ad an-
 tiquam fidem redeunt, confirmantur clientium animi:
 Duodecim etiam legati occupante metu tecti primò la-
 tebris, mox intempesta nocte elapsi urbe diffugiunt.
 Nam Galeacius bellici uigoris plenus nobilique facun-
 dia insignis, uti erat propter memoriam editorum to-
 ties ludorum, & totius Regiae magnificentiae populo
 charus, populari q; humanitate percelebris, aduocata
 passim concione, ciuium propè omnium studia, quae
 forte nutabāt, ad se cōuerterat: quū praeclare doceret
 unā eam esse mētē Pōtificis atq; Roberti regis, ut Guel-
 pho nomini latū stabileq; imperiū in Italia oppressis
 Gibellinis adstruerent: quod facile cosequi possent, si
 Turrianos viros crudeles implacabiliq; odio omnibus
 iratos in urbē reducerent. Cōfirmatis eo modo ciuium

animis, accitisque undique ueteranis militibus, sedatō-
 que tumultu Matthæus duorum & septuaginta an-
 norum senex, uti administrando bello uiribus impar,
 & ut plerunque accidit in concursu asperrimarum re-
 rum mente perturbatus, sed uirtuti filiorum plurimū
 fidens, Principatu sponte se abdicat, Galeacioq; milita-
 ris imperij uexillum tradit, deducique se ad templum
 maximum iubet: inustam enim sibi uir contumeliæ in-
 solens, & egregiè pius hæresis notam ferre non pote-
 rat: ita ut ad aram aduocatis sacerdotibus Christianæ
 fidei symbolum præclara uoce recitaret, testareturq;
 iureiurando sibi immerenti sacra eripi, quòd nusquam
 à sacro sancto dogmate discessisset, itidemque Dei ma-
 ximi ultoris numen inuocabat, postquam iniquissima
 factiosi legati sententia condemnatus patria excedere
 cogeretur. Sequenti porrò die Mogūtiacum, quod ho-
 die Modoetia dicitur, ad diui Ioannis Baptistæ tem-
 plum, ob memoriam Longobardiæ pietatis uenerabi-
 le, & à se multis donarijs exornatum contendit, ibiq;
 eadem professus in febrem incidit. Accurrerunt illico
 filij quum ad Crescentiacum cœnobium lectica defer-
 retur: id enim templum triginta serè stadijs Mediola-
 no distat. Suprema autem morientis uerba ad circun-
 stātes quinq; liberos hæc fuere. STABIT incolume uo-
 bis carissimi atq; optimi filij, hoc imperium quod relin-
 quo, si concordibus animis cum uirtute tum fortuna
 uestra utemini, si uerò disideritis omnis quamlibet
 eximia uestra uirtus frustra erit, & à uobis ad hostes
 illico Fortuna transfugiet. Nec eius prædictioni tan-
 quam ueri uatis euentus defuit, uti mox dicetur. Exin-
 de

de quum omnibus manarent lachrymæ, integris quidem sensibus, sed collabente ceruice, supremum osculum liberis dedit, moxq; inter amplexus eorum expirauit, eique tot superstites liberi (uti maximè optarat) oculos clausère. Defunctum autem secreto ignobilique in loco tumularunt celata etiam aliquandiu morte, ne cadauer in aduersa fortè belli fortuna, saui legati contumelijs esset obnoxium. Sed destinata iusti funeris pompa, & toto uel operosi sepulchri honore facile carere potuit, qui publico consensu illud perenne lateque diffusum decus excelsa uirtute meruerat.

Tumulo eius hoc carmen affixum est.

Matthæus factis meritò cognomine Magnus,
 Tempore tam belli sūmus quā tempore pacis.
 Mortuus est, & nullū habuit sublime sepulchrū
 Claudere nanq; illum non marmora sufficiebāt,
 Sed nunc propterea tellus est tota sepulchrum,
 Et totum uolitat Matthæi fama per orbem.

GALEACIUS PRIMVS.

SIVE LIBERTER-
TIVS.

ALEACIUS *Matthæo* Magno genitus, nouum id nomen quod postea manauit ad posteros primus familiae intulit, à matre *Burra* ioco inditū, quum ea fortè in multo gallorū cantu enixa puerū apertis oculis alte vagientē Gallacium appellasset, idq; arriādetes ancillæ sæpe repeterēt, nec abnueret pater, tãquã ab *auæ* *Martia* militaria augurio iucūde accepto, idq; præsertim insigni euentu *Fortuna* cōprobante, quòd ea nocte puerū nasci contigisset, qua felici prælio ad *Decimū* interfectis aut captis *Turriana* familiae proceribus ab *Othone* parta est ea insignis victoria, quæ & principatus initium fuit. Nec verò sine vllis delitijs educatus puer augurij fidem sefellit, quū singulari vigilantia, generoso spiritu, atq; indomito vigore pugnacis animi, superbū & ferocē gallum emularetur, & cōspicua quadã alludentis naturæ dona, hos mores adornarent. multo quippe rubore suffusa facies, flagrātes oculi, subcrispa & sulua cæsaries, & lato in pectore crecta ceruix maximi futuri ducis speciē reddebant. Ipse porrò vel planè puer tanta equorū atq; armorū cupiditate erat incensus, vt aliquando maturius quàm ætas ferre posset, thoracatus, galeatusq; ludicra certamina equestresq; ludos inter puberes agitarēt, querereturq; admirante *Othone* tãquam par obcundis militiae laboribus, quòd
adhuc

adhuc neq; patris castra, nec hostium acie vidisset. Ab hac indole nouum quotidie maturæ virtutis specimen præbens, per omnes bellici muneris ordines pluribus aditis superatisq; periculis decucurrit, sic vt indies ab insigni aliquo facinore laude cumulatus, patri pariter ac militi charior euaderet. Facile enim accidit impigro iuueni vt multis expeditionib. exerceretur, quòd ea tēpestate nullum bello vacuū, aut ab hoste propinquo ociosum tempus esset, vigentibus odijs inter factiosas ciuitates atq; ob id rediuis Turrianorū studijs quibus Guelpharū partiū duces nitebantur. Ceterū ei ad præalta cōtendēti quū sæpe egregij militis & strenui equitū Præfecti nomen tulisset, summus honos militaris imperij deerat, cui rei Fortuna maturè ianuam aperuit. Quū enim ex prætura Nouariam obtineret, repentina Guelphorū coniuratione expulsus, summa celeritate coacto exercitu aduersarios prosligauit, confugientesq; Mortariā, magna vi expugnato oppido penitus deleuit, tāto terrore hostibus illato, vt Matthæo patre dux acrior atq; felicior crederetur. Nec multò post patre Alberti Scoti perfidia patria eieccto eandē exilijsfortunam secutus in maxima pericula se coniecit, quum senem inuictō animo irrita arma circumferentē, minime deserendū arbitraretur. Sed patre demū fractis opibus animum despondente, in vltiorem Galliam transiuit, fortēque operam aduersus Britannos nauans, Carolo Philippi Regis patri, militari baltheo ab eo donatus est, quod est equestris dignitatis insigne maximè decorum, vbi spectato insigni aliquo in acie facinore imperatoris iudicio paratur.

Inde autem in Italiam reuersus eo bello quo Pelagura Cardinalis oppugnata Ferraria Atestini Actij opes cōtuderat, multis inusitatae uirtutis operibus editis uehementer inclaruit. Constat enim uno praelio per multas horas crescentibus utrinque subsidijs sepius instaurato, tres equos acerrimè depugnanti fuisse suffossos, eumque postremò cum uexilleferum adacto per inguen mucrone ab ephippio deturbasset, insiliisse in equum sessore uacuum, atque ita impetu facto, perruptaq; aduersa acie ad suos cum suo tum alieno cruore oblitum rediisse: cuncta enim pericula, ut inde claresceret, praesertim extorris atq; exul audacissimè contemnebat. Erat etiam Actio summa propinquitate coniuctus, ut vel hinc ostendendae uirtutis studio uehemèter accenderetur: nam Beatricem eius sororem in matrimonio habebat, suscepitq; ex ea biennio ante filiū qui de nomine auunculi Actius summae postea uirtutis Princeps, appellatus est. Haec Beatrix praestanti quidem forma, sed nouem annis Galeacio maior antea nupserat Nino Pisano Gallurae in Sardinia Regulo, antiqua stirpe, & multis diuitijs claro, ex eoque genitam nubilem puellam Mediolanum adduxerat, ut ludis nuptialibus interesset, qui regio sumptu editi totius Italiae urbes inusitatae magnificentiae fama compleuerunt. Nam & simulachra certaminū & castellorū expugnationes quae armatis cohortibus & turmis inter se concurrentibus edebantur, & publici epuli apparatus & matronarum saltationes, quae ad spectacula conuenerant, uehementer omnes mirati sunt. Mille ibi per tres classes discumbentibus conuiuiis singulae vestes

stes cum sericæ aureæq; , tum lanceæ coccineæq; aut a-
 cu pictæ , dono datæ sunt, Burra socru eas miro ordi-
 ne perspicacique iudicio sublatis mensis distribuente.
 Tot verò nouæ nuptæ collata munera gemmarū atq;
 monilium, cælatiq; argenti & purpuræ à legatis socia-
 rum urbium patritijsq; ciuibus, vt opulentissimorum
 Regum diuitijs æquarentur. Et hercle vel hinc mirari
 iuuat, tam malignū, quàm postea falsum Danthis poe-
 tæ iudicium, quum ex hoc coniugio Viperam Gallura
 inferiorem putarit. Cæterum Galeacius confirmatis
 Aetij opibus Taruisij præturā obtinuit à Gerardo Ca-
 minate eius urbis domino, cui ex Beatrice priuigna
 nupserat: gesit autem eum honorem summa cum di-
 gnitate ut nulla in re exulis uultum præferret, pro-
 fitereturq; se breui ad ueteris fortunam imperij re-
 diturum. Nec id uotum diu fefellit, Henrici Cæsaris ad
 uentu, quo dissidentium inter se Tyrannorum opes
 uehementi ruina prostrate sunt: aderat Matthæo
 Galeacius ex paterno consilio arma expediens, feli-
 cique uirtute semper dimicans: nam paternis auspi-
 cijs aduersæ factionis uires attriuerat, ducesq; belli &
 Guelphi nominis principes in potestatem redegerat.
 Quibus sublatis singulæ Cisalpina Gallia urbes se ad
 Megni Matthæi auctoritatem contulerant. Ipse quoq;
 proprio utens consilio & suis subnixus copijs, cum ad
 augendam dititionē potentiamq; per se bella gereret,
 Guelphis formidandus esse cœperat, utiq; postquam
 Placentiam Alberto Scoto uetere patris proditore ar-
 mis eiecto, captoque suæ dititionis fecit. Nec multum
 inde Iacobo Caualcaboue Cremonensium Tyranno

ad Bardum vicū acie profligato atque interfecto, Cremonam valida classe & magnis copijs circumuallatā ferro demum & fame subegit. Nec minore virtutis fama Marcus frater à patre rei Ligustica præpositus, ad uesum Robertum regem bellum gerebat, & Luchinus bellica laude nulli fratrum inferior Guelphoq; nomini vehementer infensus præcipuo terrori erat, quòd ab eo ad Tanari pontē, Vgo Baucius Roberti regis equitum magister commisso prælio victus atq; interfectus fuisset. Quibus de causis Guelphi nominis principes admonebantur, ut accisis in Etruria partium viribus, & tū in Cisalpina Gallia latè profligatis, maiora præsidia compararent, quibus Matthæi potentie obuiam iretur. Itaq; renouatis inter se fœderibus, Pontifex, Robertus, & Florentini peritos rei militaris duces, & validas bellicosarū genitū copias è Narbonensi Prouincia, Burgundis scilicet Allobrogib. Heluetijsq; in Italiam adduxerunt. usq; adeo ingenti conatu sumptuq; ut transmissa grandi pecunia Henricum Austriam designati Cesaris fratrem è Germania, è Gallia uerò Philippū Valesium qui postea rex fuit, aduersus Vicecomites in Italiam euocarint. Sed Germanos Matthæus multa largitione maturè auertit, Gallos uerò Galeacius & Marcus ostentato exercitu ita terruerunt, ut multa verborum humanitate, multisq; itē muneribus superati trans Alpes nusquam districtis gladijs redierint. Descenderat Philippus ingenti cursu ad Sesithē annē præter Vercellas iuuenili quodā vigore animi hostē cōtēnens, nec sociorū auxilia expectās, ita ut in insidias præceps

præceptus datus esse videretur, nisi Galeacius paternæ
 grauitatis æmulus, uel in multa spe exploratæ uictori-
 riæ à conferenda pugna, inuito etiã fratre par ferè cū
 eo imperiū habente temperasset. Nolebat enim ualidã
 atq; propinquã gentem nulla propè de causa, nulloq;
 odio, sed leui admodũ bellicosæ iuuetutis alacritate ad
 bellum excitã, ipsumq; præsertim Regium sanguinem
 inexpiabili in se odio concitare; uti necesse erat, si con-
 ferto prælio totius ferè Galliæ nobilitatem profligari
 atq; interfici contigisset. Impetrato siquidẽ colloquio
 & per inducias ostentatis miro ordine uniuersis copijs
 quas uallatis è castris eduxerat, facildẽ Gallorũ proce-
 ribus demonstrauit, quã stultũ foret, pro alieno com-
 modo, propriæ dignitatis & uitæ periculosam aleam
 subire. Ea quoq; res Galeacij fidẽ facundo ore hæc dis-
 ferentis confirmabat, quòd ueteris beneficij memoriam
 præferbat, quo à Carolo rege balthei militaris hono-
 re fuerat honestatus, tũ producebat præter numerosũ
 peditatum, quinq; milia utriusq; armaturæ equitum,
 in queis sexcentorum ferè nobiliũ cataphractorũ ala
 decoro simul atq; terribili coruscantiũ armorum cul-
 tu stupentes Gallos permouit, ut authore Ebrardo e-
 quitum magistro, uiro æquè prudenti ac strenuo cer-
 tam pacem potius quã anceps bellum optarent. Cũ
 hac ala Marcus Galeacij frater, cũ specie ipsa excelsi
 corporis, tum feliciũ præliorum fama inclytus, ex-
 plicatis turmis decurrerat. Gestabãt singuli equites in
 cono cassidis & in lacinia Phrygij operis squamosam
 uiperam, cruenti pueri crura dentato ore deuorantẽ,
 Vicecomitum familie uetus insigne, qua inuisitata

specie Gallos, utpote non intellecto argumento, vehementer commotos fuisse moxq; magnis muneribus ex cultos utili consilio potius quam decoro, Villanus Florentinorū annalium scriptor in Galliam rediisse per- scribit. Sed Mathæo patre uita sancto grauiora demū pontificis & Roberti Regis arma, conspirantiumq; patritiorum vim, ac Germani militis perfidiam sumo cum discrimine salutis expertus est. Ie eo enim uetere decreto foederati hostes permanserant, ut pulsus princi- patu Matthæi liberis, res Mediolanensis sub inani li- bertatis nomine, Guelfarum partiū auspicijs nutuq; regeretur. Itaq; Leodrisius & Garbagnatus atq; Cri- bellus cum suo liuore, atq; odio perciti, tum honoris maximi atq; potentie non dubia spe inflati, in id incū- bebant, ut ciues deprauarent, atq; diducerent, Pontifi- cijq; legati nomine Germanos diuisa inter eos pecunia opimisq; stipendijs propositis, ad defectionem impelle- rent. Primi omnium Rogerius & Anechinus Vindelici Centuriones, soluto pudore defecerunt, nec ciuitas per se instabilis dubitauit, quin Germanorum exemplum sequeretur. Qua repentina veteranorum defectione circūuenti Galeacius & Marcus, quum atrociora time- rent, Laudem Pompeiam ad Vistarinos ueteres amicos se receperunt: eorum autem discessu, ciuitas creatis ex unaquaq; tribu decurionibus, libertatem arripuit. Cæ- terum immutatus in urbe status hunc habuit euentum, ut factiosi ad arma excitati, duce quodam Burro Guel- pharum partium uexillum attolerent, admirantibusq; primò, & mox non temere sibi metuentibus Gibelli- nis, tumultuose per urbem deferrentur: Guelfi quo- que

que ex Martiana Abduani agri regione, & Brigantinis montibus Lucinosorôque præsertim, Tignaca Paruicino duce homine turbulento, Modoetiam occuparent. Id facinus Mediolansis reipublicæ decuriones magnopere commouit, quod noui imperij maiestas seditiosorum temeritate sugillari contemniq; uideretur. Ipsos porrò Gibellinos admonuit, ut armata præsidia compararēt. Mittitur ergo Leodrisius cum exercitu qui Modoetiam, si dicto audiens esse Tignaca nolit, ad motis machinis expugnet. Nec mora Guelphis maiore pertinacia quàm uī resistantibus, Leodrisius diffracto muro atq; incitatis ad prædam Germanis opposita munimenta perrumpit, multisq; caesis capitur Tignaca oppidumq; diripitur. Hinc iam non obscure animaduersum est, non aliam ob causam Galeacium fratresq; eius Mediolano expulsos fuisse, quā ut Guelpharum partium dominatus induceretur. Nam ueteres hostes semperq; antea exules Turriani reuocabantur: & legatus hominem natione Burgundum, quod esset e Turriana familia urbi præfecerat, nec Germani quanquam mercenarij milites, uel Roberti regis uel pontificis nomen Cesaribus infensum pacatis auribus accipiebant, & tum fortè stipendia à legato cardinale regijsq; præfectis largissimè promissa, nequaquam liberali manu soluebantur. Quibus de rebus Germani Henrico Grunistenio homine nobili concionante sublatiis dextris Galeacium continuò reuocandum censent, decernuntque ad eum legatos summæ dignitatis Centuriones, qui condonatae ueniæ fidem accipiant, ut Rogerio & Anechino cæterisq; recentis infidæ leui-

tatis authoribus caueretur. Gruniftenius enim uirtu-
 tem, fidem, munificentiam, atq; animi magnitudinem
 quæ in Galeacio spectabantur, eximijs laudibus extu-
 lerat, usq; adeo studiosè, ut se uadem obsidemq; præsta-
 ret. Marcus quoq; opportunè in urbem noctu regres-
 sus, Leodrisium inexpectata Guelphorū audacia per-
 turbatum, animaduersoq; periculo consilij sui non ob-
 scurè poenitentem cum lachrymis exorarat, ut iure sã-
 guinis ad familiæ salutem pariter ac dignitatem cum
 Galeacio in gratiam rediret, nec ueteres Vicecomitum
 hostes ipsorum intestino malo letari pateretur. Itaque
 postridie Galeacius non secus ac si ex uenatione subur-
 banoq; successu, non ab exilio domum rediret, leta ci-
 uitate in urbem est reductus. Eius aduentu Garbagna-
 tus, & Cribellus ad legatum arrepta fuga perfugerunt,
 Burgundusq; Turrianus urbis præfectus cum Gulier-
 mo Ruramonte Regio legato pariter euasit. Sed non
 multo post pontificia regiæq; copie adiunctis Floren-
 tinorum auxilijs, & Pagano Turriano Aquileiensis
 Patriarcha cum gentilib. suis ad id bellum euocato, ad
 Abduam contenderunt, eo consilio ut superato amne
 recta Mediolanum contenderent. Imperij militaris no-
 men penes Gastonem erat legati ex fratre nepotè. Cæ-
 terum Raimundus Cardonius Hispanus, Henricusque
 Flandrius, & Simon Turrianus clarissimi duces, geren-
 di belli munia susceperant, censebanturq; in eorum e-
 exercitu quadraginta milia peditum, & decem milia
 galeatorum equitum, ex omnibus ferè Europæ gen-
 tibus mercede collecta. Vbi ad flumen peruentum est
 paulò supra Tritium uado reperto cum primis equi-

tum agminibus Garbagnatus & Cribellus transiuere,
 tum uerò Marcus qui ad id uadum aduolarat, ita pri-
 mos urgendo cædendoq; perturbauit, ut ambo duces
 intercepti, atq; agniti, sæuiente in eos Marco protinus
 interficerentur. Sed repulsis in amnem primis, Floren-
 tinorum turmæ eodem uado tranantes, quominus re-
 liqui ad unum interirent, maturè opem tulerunt. At
 Marcus acerbissimorum inimicorum cæde contentus
 uiti impar uiribus, Mediolanum se recepit. Nec multò
 post ipse Marcus atq; Luchinus cum hostibus ad Tri-
 cellam pagum sexto ab urbe lapide dimidio minore,
 sed aliquanto promptiore exercitu freti audacissimè,
 insigni cruentoq; prælio contenderunt, nec dubia qui-
 dem uictoria nisi graue Luchini uulnus, incumbentis
 in obuersa iam planè hostium terga, Marci impetum
 retardasset. Exinde hostes promotis ad Comensensem
 portam castris Mediolanum per aliquot menses obs-
 derunt. Interim Galecius à Ludouico Bauaro Casare
 auxilia equitum impetrauit, uenitq; Mediolanum Ber-
 toldus Guiffes cum quingentis galeatis equitibus stre-
 nueq; aduersus obsidentes multis prosperis eruptioni-
 bus res gesta est. Sed hostes cum uera uictoria nihil profice-
 rent, ad insidias uersi Heluetiam cohortem multa pe-
 cunia corruerunt, ut quum instatione esset Galea-
 cius reuisens custodias interficeretur. Sed detecto sce-
 lesto consilio primus omnium Ioannes frater, tamen si sa-
 cris erat initiatus, militari animo captis armis Helue-
 tios adortus, conceptæ perfidiæ poenas ab eis exegit.
 Hic est ille qui Archiepiscopus Mediolanensis factus
 secundissima uirtutis fama, maiorum suorum imperium

late propagavit, atq; auxit. Post detectam & cōtinuō
 uindicatam Helueticorum coniurationē Gastone mor-
 bo absumpto, Cardonius & Flandrius desperata uicto-
 ria, noctu nec conclamatis quidem uasis, Modoetiam
 sese receperunt, noua auxilia à legato qui Placentiæ
 confederat, expectantes. Eam enim urbem Vergusius
 Landus expulso ex insidijs Aëtio Galeacij filio, accep-
 taq; pecunia legato tradiderat, propterea Cardonius
 & Flandrius Modoetiæ planè obsessi ad Vaprium ui-
 cum Abduā ponte constrauerant, per quem tutus &
 expeditus recipiēdis commeatibus venturisq; auxilijs
 transitus præberetur. Quo cognito hostium consilio
 Galeacius eum pontem omnino sibi præcidendum sta-
 tuit, coniectura iudicans, si cō properaret nihil hostiū
 duces cunctaturos, quin educto exercitu ad tuendum
 pontem conuolarent, & quam ipse omnibus artibus
 quærebat conferendæ pugne occasionē, non iniquo
 loco præberent, quòd in eius pontis beneficio, & obti-
 nendi commeatus, & parandæ demū uictoræ spes om-
 nis posita uideretur. Nec sua cum opinio fessit, Cardio
 nius enim è Modoetia prægressus Vaprium, quā hostis
 optabat nobili prælio facultatē præbuit. In dextro cor-
 nu ubi Burgundiones Belgæq; erāt Henricus curabat,
 leuo Simō & Passarinus Turriani, Vergusiusq; Lādus
 cū Florentinæ alæ ducib. præerāt, mediā aciem tenuit
 ipse Cardonius, Gothalanis & Narbonensib. atq; Apu-
 lis turmis septus, peditatū autē omnem qui ex Italis &
 Transalpinis gentibus constabat ita diuiserant, ut inua-
 lidis strenui, inermib. loricati miscerentur. Cæterum
 Cardonio copias ex Vaprio in patentem campum e-
 ducente

educente, instruenteq; acies Galeacius à diuersa parte
 uacuum ab hoste uicum inuadi atq; incendi protinus
 inſit, quo incendio auerſus hoſtis adeo perturbatus eſt
 ut reſpectare & de inſidijs inſtinaq; perfidia dubita
 re cogeret, quum ex aduerſo uexilla Aquilis Vipe
 riſq; fulgentia pleno paſſu appropinquare conſpice
 ret. Nec mora Galeacius & Marcus hoſtem ſarcinas
 ſuas atq; impedimenta ingenti incendio in uico pereū
 tia deplorantem utrinq; inuadunt, Marco primam a
 aciem perrumpente Flandrius aliquādiu reſtitit, ſed eo
 ſtrato tota eius acies ſuſa proſtigataq; eſt. Nec ab alte
 ro cornu Galeacij impetum Turrianae Florentinaq;
 alae diu tulerunt, media quoq; acies à Gaudentio Mar
 liano (is nobilis & uetus miles & dux impiger pedita
 tui praerat) à fronte loco mota turbatis ordinibus in
 fugam uerſa eſt: & Cardonius ad primum incurſum
 magno à ſagittarijs, & mox ab irruentibus cataphra
 etis detrimento accepto, quòd flammæ deſagrantis ui
 ci receptum eriperent, & in utrunq; latus uictores fra
 tres uehementer inueherentur, & praeltus amnis ex
 fuga uadū tentantes primis uorticibus abriperet, uiuus
 in poteſtatem hoſtium deuenit, praefecti Florentinae a
 le pariter capti. Simon Turrianus, Guidonis, qui Me
 diolani imperium tenuerat, filius interiit: ex minorib.
 ducibus proptiſſimus quiſq; aut occubuit aut in manus
 hoſtium deuenit, uexilla quoq; maiora Roberti regis
 atq; Pontificis & Florentinorū Turrianorūq; relata
 ſunt. Vnus ſerè Henricus Flandrius à Germano equite
 captus temereq; dimiſſus cū pedes exutis armis totam
 noctem per ſyluas errabundus effugiſſet, prima luce

Modoetiam peruenit, quo Vergusius extremi supplicij poenam timens, quòd Actium placentia pepulisset, ab initio aduersæ pugnae cum reliquijs profligati exercitus profugerat. Ab his ducibus instauratum est bellum, & MODOETIA per aliquot menses fortiter defensa, sed magnis demum operibus circumuallatam oppugnataque; acriter, Vergusius ea conditione dedit, ut nisi iustis auxilijs à legato missis obsidio solueretur, ipse cum praesidio saluis rebus exiret. Iam enim Flandrius desperatis auxilijs noctu ex oppido profugerat & Passarinus Turrianus quum opem obsessis afferre maturaret, à Marco ad Tiniosam turrem, equestri praelio fuerat profligatus, à quo etiam paulò antè eadem belli fortuna, Narbonensium equitum manus ad Caracam supra Lambrum dum ibi negligenter excubaret, oppressa est: sed tantis hostium copijs aut ferro aut pestilentia deletis, uictor Galeacius praecellenti iudicio uir, sibi omnino pacem parandam esse constituit, quòd inexhaustis rediuiuisque; potentissimorum hostium opibus se imparē cerneret, saepeque; dimicando uires exerriri atque; instabilem fortunam toties lacescere periculosum arbitraretur. Erat in custodia Raimundus Cardonius dux hostium, uir solerti grauique; ingenio praeditus hunc idoneum existimans per quem à Pontifice pacem impetraret, carcere emisit, usque; adeo egregie simulata fuga, ut duo ex intimis familiaribus insigni nobilitate iuuenes Becalcus Landrianus & Pbaebus Contes, clauentem comitati prodidisse custodiam putarentur, singulari quidem cum infamia & summo cum dolore propinquorum, cum Galeacius eos tanquam admissi sceleris reos

reos per præconē exilio multauisset. At Hispanus (uti generosum decebat) sincera fide causam egit, Placentiæ primò aquid legatum, & mox Auenionem contendens apud Pontificem, Landriano & Phæbo arbitris & peculiari oratione probatisq; mandatis suppliciter pacem petentibus: Nec abnuuit pontifex, quòd eam Cardonius omnino utilem fore disserebat, uidereturq; ex commodo dignitateq; Pontificij nominis, si Christiana benignitate clementiaq; inductus, eos in clientelam fidemq; reciperet, qui ab eximia uirtute Dijs & Fortune cordi essent, & uti bellis omnibus inuicti, non temere ab his qui uirium periculum fecissent, insuperabiles crederentur. Petebat autem Pontifex ex consilio Roberti regis qui super ea re consultus fuerat, ut postquàm Galeacius còuerso studio amicū fidelemq; clientem Romani Pontificis se fore profiteretur, etiā gerendo bello socius esse eosdēq; hostes habere uellet. Sed his unū Cæsarem beneficiariosq; eius excipiens adduci nō potuit, ut quicquā polliceretur, quod familie suæ antiquissimo studio indignū censeret. Cæterum eo modo cōfecta pace Cardonius iterū magnis exercitib. à Pontifice Robertoq; rege præfectus est, postulantib. eum Florentinis, qui à Castruccio uehementer exagitati, ueteribus innixi studijs Guelpharum partium nomen magnis opibus tuebantur. Itaq; Cardonius ab ostio Rhodani triremibus Telamonem deuectus, Florentiæ militaris Imperij sceptrum ac solēne uexillum accepit, & contra Castrucium ad Phocensium paludes castrametatus est. Phæbus autem & Landrianus ab eo humiliter dimissi ad Galeacium contenderunt, quibus

protinus pristinae fame decus restituit, quanquam confecti negotij arcana tum minimè nudanda uiderentur. Eos enim non obscure de se bene meritos liberali gratoque animo tota ea simulatae perfidiae suspitione liberandos existimabat, qui nihil subeundae infamiae nomen ueriti, modo iussis fideli obsequio parerent, periculosi officij munus impleuissent. Nec demum Galeacius uel Castruccio sibi priuato publicoque nomine coniunctissimo uel ipsis Etruriae Gibellinis defuit, quin mature transmissis auxilijs opem ferret. Actius enim filius per Apuanos Ligures Lucam descendere iussus cum septingentis cataphractis equitibus, magna ex parte Germanis ad Castrucium in castra peruenit, usque adeo opportunè atque feliciter, ut commissa ad Altopassum nobili pugna, Cardonius iterum caperetur & Florentinorum vexilla cum legatis & ducibus caeso profligatoque toto exercitu in Castrucij potestate ueniret. Caterum Galeacius qui tantos coniurantium hostium exercitus, totoque uario euentu commissis praelijs, & parta demum memorabili victoria, inuicto animo cuncta superarat, ad extremum iam undique uictor & felix, propinquorum inuidias effugere non potuit. Leodrisius enim & ante aduersus Matthaeum, & nuper perfidiosa malignitate infamis, atque ideo semper inquietus, ex interuallo, ut plerumque accidit, ualidior ad insaniam redierat, adauctoque scelere Marcum Galeacii fratrem facile deprauarat, plenum quidem bellica laude, sed ob id multa superbia multaque occulti liuoris bile redundantem. Hic ingenij captu supra equum turbidus & serox tanquam periculo uero omnium socius, & totius uictoriae praeclearus adiutor

fratrem

fratrē rerum dominū ferre non poterat, uel natu maximum & prudentiæ autoritate potiorē: & quum regnum duos non caperet, quib. modis id assequeretur uiolentus & uecors agitabat. Præbuit autem occasionem maturando flagitio Ludouici Bauari Cæsaris aduentus, qui euocante Galeacio ut Pontificis Robertiq; regis & Florentinorū adauctæ potentiæ obuiā iretur Veronam peruenerat. Itaq; Marcus & Leodrisius officij simulatione Cæsari obuiam euntes Veronæ Galeaciū multis oneratū calumnijs Maiestatis reum fecerūt conuiuente ad id scelus Cane Scaligero, qui ex aliena discordia turbatis rebus obuentura sibi commoda uir astutus atq; ambitiosus expectabat: uerū Ludouico Cæsare, à præeuntib. iterq; monstrantib. Marco & Leodrisio per Camonicos tramites Comū perducto Galeacius affuit cum ornatissimo comitatu dona ferens, nouo nec admodū opulenter instructo Cæsari gratissima. Ibi de fraternis insidijs certius didicit, Franchinumq; Ruscam Comensū Tyrānum ab se Scaligeri Canis ex emplo diductum sensit. Accusabatur atrociter, quod intēpestiuē parandæ pacis cupiditate adductus Gibelinarū partium graui damno cum Pontifice transegisset, Cardonio præsertim tanto duce iniqua plenaq; perfidiæ simulatione hostibus restituto: Mediolani uerò sublata libertate, propinquis amicisque ueteribus planē contemptis, impotenter superbeq; regnaret. His quoq; summæ offensionis criminationes addiderant quibus diluendis Galeacius quum uehementer aestuaret, graui admodum uoce dixisse fertur, dū me Marcus frater impiē ferit, sese temere cōsauiat. Id uerò dese-

rentibus amicis audiēs Marcus acutè respondit, de hoc quid in fati futurum sit Galeacius uiderit, qui ædepol fratrem non habet, quum solus regnet. Sed eam disceptationē Cæsar distulit, Comoq; profectus per Modonem etiam Mediolanū peruenit, quo Galeacius præcesserat, ut quæ solennis pompæ ornatum pertinebāt, magnificè atq; celeriter appareret. Itaq; liberali sumptu & planè regio splendore Cæsar exceptus est, & Calendis demum Iunijs in templo diui Ambrosij ferreo diademate coronatus, tradente insignia Guidone Tarlato Aretinorū Antistite: is in Italia Gibellinarū partium principē agebat. Interfuit & Canis Scaliger qui mille equites galeatos, & delectorū peditum aliquot cohortes ad ornandum Cæsaris comitatum adduxerat, ut studium suum erga eum ostentaret. Hic profunda ambitione incensus, oblata ingenti pecunia petebat à Cæsare ut Mediolani augustali iure princeps diceretur. Etenim magno astu apud proceres Germanorū, Galeaciū uel nullo certo indicio maiestatis reum, nec ad huc ad dicendum causā ad tribunal Cæsaris uocatum maligno iudicio prædamnabat. Sed Cæsar graui admodum ancipitis consilij suspensus cura, quid sibi decernendū foret non uidebat. Ita Scaligero respondit, ut spem ei non præcideret, & presentibus eius copijs ad patrandum facinus uteretur. Interea dabat operā ut Germanici sanguinis uetus miles perpetuis stipendijs & beneficijs Galeacio obstrictus, uel ab ipsa Mathæi Magni Othonisq; memoria fidē mutaret, nouumq; sibi reiecto superiore sacramētum diceret: equum enim postulare uidebatur quum pro sua & Germanicæ gentis dignitate

nitate saluteq; peteret, ut firmissimo consensu Aquilã
 Romani imperij signum respicere, idq; tueri, & se pro
 ficiscentem Romam sequi uellent, futurum enim breui
 ut & opima stipendia, & digna ipsorum fide præmia
 consequerentur. Nec mora Germanis graui scelere, ni
 si id præsentia Cæsaris eleuaret, fidem occultè mutan-
 tibus concilium solenne procerib. indicitur: uocaturq;
 ad id Galeacius cum fratribus Actioq; filio. Tum ue-
 rò Marcus prodit, uenenumq; dirũ domui sibi que de-
 mum lethale euomens petit supplex, ut æqui iuris li-
 bertatem ciuitati restituat, oppressam & planè extin-
 ctam inuisitata tyrannide suerbi fratris: Idq; si æquis-
 simus Cæsar impetrari à miseris pateretur, Mediola-
 nenses quantã oporteret in stipendiũ pecuniã prebitu-
 ros, nec à fide atq; amicitia Cæsarium ullo unquam tẽ-
 pore discessuros. Aderat fortè persoluendi stipendij di-
 es, & eam pecuniã Galeacius exhausto iam planè era-
 rio, cui per tres menses Cæsar auuiditate insatiabili gra-
 uis & importunus extiterat, non nisi cunctanter expe-
 diebat, quã sine graui discrimine tanta oneratus calũ-
 nia imperare nõ poterat, patritijs iam planè Marcii &
 Leodrisij malignitate deprauatis, populoq; per se cu-
 pido rerũ nouarũ ad spem libertatis erecto. Caterũm
 Galeaciũ obiecta crimina refellentẽ, ex cõposito præ-
 torij præfectus, itẽq; Luchinum Ioannẽq; fratres Ac-
 tiumq; filiũ in proximum cubiculũ deducit, quasi Cæ-
 sar remoto reo liberius loqui uellet. Sed iam ad eũ mo-
 dum captis Cæsar capitale supplicium comminatur,
 nisi triduo Modoetianam arcem tradi iubeant. Id autẽ
 à forti fedeliq; custode uix multis cum lachrymis impe-

tratum est, quum in tanto coniugis periculo trepida
 Beatrix uxor Modoetiam peruolasset, missus est qui
 deditam arce[m] reciperet nouumq[ue] praesidium impone
 ret: Guido Tarlatus, biduoq[ue] post Nonis Iulij Galea
 cius cum Actio filio Luchinoq[ue] & Ioanne fratribus in
 ea arce durae custodiae traditur, non omnino iniqua sor
 te, ut fabrefacti paulo ante ab se tetri carceris furnu[m]
 ita a depressa testudine uocatum primus experiretur,
 quem aduersarum partium captiuus ad poenam para
 uisset. Verum eam illis calamitatem uehementer auxit
 custodiae praefectus, e Norico Antius Rizaccus, inge
 nio ita immitti erga miseros tantae modo fortunae prin
 cipes, ut nec quotidianis muneribus emollitus, quic
 quam de inhumana feritate renitteret. Mirum id pro
 fecto fuit, quum rerum domini tantis muniti praesidijs
 dolo caperentur, neminem se commouisse, pauci enim
 ex his qui aderant, id factum senserunt. Etenim quis
 perpetuum atq[ue] acerrimum Caesariani nominis defen
 sorem, ab ipso Caesare summis precibus in Italiam euo
 cato, tantisq[ue] officijs atq[ue] muneribus exulto in eam
 calamitate[m] detrudi potuisse credidisset? cum praesertim
 nulla in Caesare, uel alienati animi, uel commutati uultus
 signa praecessissent, nec in damnato uerius quam reo ul
 lus omnino metus excōflata calumnia si ingenuu[m] estu
 antis animi rubore[m] demeres, conspiceretur? Sed potius
 di auri dira cupiditas, quae in Ludouico profunda infi
 nitaq[ue] apparuit, accusate Marco & immodica pollice
 te, uehementer excitata, & ueteris clientelae & recētis
 officij & hospitalis amicitiae iura facile dissoluit. Sequē
 ti. n. die astuto Caesaris consilio uiri insignes uigintiqua
 tuor

tuor è singulis tribubus regēda Reipublica creati sunt imaginem antiquæ libertatis: sed imperata subinde est pecunia honorarij subsidij nomine, & ea quidem multo amplior quam à Galeacio poposcisset. Nec multo post qui summa rerum publicoq; consilio & tutela urbis præesset, cum delecta manu Germanorum delectus est Guliernus Monfortius. His rebus Mediolani constitutis, Caesar Vrceos Brixiani agri oppidū contendit, ubi consilium indixerat euocatis undiq; sociarum urbium tyrānis. Ibi ad leniendam inuidiam atrocis facti literas protulit, concepti cum pontifice fœderis indices, captis, ut dicebat, Galeacij tabellarijs, interceptas, quas tamē pleriq; cōmenticias & falsas existimarunt, ut Villanus Florentinorum annalium eius ætatis scriptor, uel ex professo Vicecomitum nomini insensus, scriptum reliquit. Iam Gibellinæ factionis principes inexpectata Galeacij calamitate tanquā cōmuni malo atq; periculo consternati Casarem non obscure oderant, ingenio suspicaci, ac seuo maximeq; rapaci partium neruos atrocissimè conuellentem: uerum paucos post dies impetratis à Scaligero & Atestino Passarinoq; Mantuano equitum auxilijs Romaniter intendens in Etruriam descendit. Pisani ei portas clausere, nec Caesaris expilantis socias urbes, dicto audientes futuri uidebantur, nisi Castruccio à quo Caesar amicissimè receptus, pecuniāq; adiutus fuerat, nouo adiuncto exercitu, Pisanis extremas suburbani agri clades denunciasset. Ceterum Caesar Pisanis pecunia multatis, ascitoq; sibi Castruccio, uia Aurelia, que maritima dicitur, Romam cōtendit. Nec mora insigni stu-

dio Sarræ Columnæ, Iacobique Sabelli in Vaticano co-
 ronatur, tradente diadema Petro Coruario, quem coe-
 nobio eductum pontificiâque thiara exornatum, Nico-
 lai Quarti nomine pontificem appellarant, vt in Vrbe
 Ioannis legitimi pontificis authoritas aboleretur. Lu-
 douicum enim Bauarum Ioannes, Roberto regi fœde-
 re coniunctus, tanquam Gibellinarum partium præci-
 puus hostis, Pseudocæsarem appellabat, quem & ana-
 themate peculerat. Romanus quoque populus præsen-
 tem pontificem colere quàm venerari absentem male-
 bat, vel ob id inuisum, quòd multis legationibus euoca-
 tus, Auenionem sacrosanctæ Vrbi prætulisset. Dum
 hæc fierent Castruccijs quem antea Lucensium & Pi-
 storienfium Lunensiumque ducem Cæsar appellarat,
 accumulatis honoribus Senator Vrbs, comes Latera-
 nus, & Cæsareæ Aquilæ vexillifer effectus est. In eo-
 tum vno Cæsaris spes opesque sitæ erant, quoniam ne-
 mo eo vel acumine ingenij, vel consilij grauitate vali-
 dior fuit, quàm etiam cæteris eius ætatis ducibus, in om-
 ni gerendi belli negotio fortuna felicior haberetur. Is
 maximis officiorum vinculis familiæ Vicecomitū obli-
 gatus nullam prætermittebat occasionem, quin Galea-
 cium Cæsari commendaret, oraretq; supplex, ne diu-
 tius Guelphos Romani imperij capitales hostes, præ-
 stantissimi viri calamitate lætari pateretur. Verum Cæ-
 sar ne insontibus iniuriâ temere fecisse videri posset,
 æquo durius respondebat, quanquam & Sarræ & Sa-
 belli maximæ authoritatis & gratiæ procerum conti-
 nuæ preces adderentur, & Marcus admissi sceleris pœ-
 nitentia adductus castigante atq; exorâte Castruccio
 à vetere

à veterè diri odij insania discessisset, peteretq; excusis
 ingenuo pudore lachrymis, ut exutis imperio fratri-
 bus saltè cum libertate vita redderetur, quæ in eo car-
 cere breuissima censerì posset, nisi Cæsar clementiæ no-
 mine satis pœnarum eos pro veterè superbia ex bea-
 tissimis factos mortalium omnium miserrimos dedisse
 existimaret. Dum Romæ tantis deprecatoribus ad mi-
 sericordiam Cæsar inducitur, Castruccio nunciatum
 est Florentinos Pistorium urbem paucorum ciuũ pro-
 ditione in potestatem redeçisse. Qua re vehementer
 perturbatus, nec oscurè Cæsari succensus, quòd aliquã
 to grauior hostis Gibellino quàm Guelfo nomini
 præposteris consilijs euasisset, abducto suo milite ad
 recuperandam amissam urbem magnis itineribus Lu-
 cam contendit. Eius viri discessu permotus Cæsar quòd
 pecuniæ inopia premeretur, nec Romani in ea expe-
 dienda prompti essent, & propinquæ vrbi ciuitates
 in testino bello laborarent, Robertique regis exerci-
 tus ab Aquila & Latio Romanis finibus immineret,
 animi sententiam mutauit, perscriptisque literis An-
 tio Risacco, Modoctianæ arcis custodi, Gulicermó-
 que Monfortio Mediolanensi Reipublicæ præposito,
 Vicemites custodia educi, pristinaeque libertati resti-
 tuti iussit. Itaq; Galeacius cum fratribus filioq; quum à
 Nonis Iulij ad sextũ Calendas Apriles in prædura cu-
 stodia fuisset, incredibili veterũ amicorũ latitia, Modo-
 etianorumq; insigni gratulatione liberatus est, ea cõdi-
 tione, vt discedenti ab vrbe Cæsari, honoris causa Pisis
 occurrerët. Sed Galeacius curato corpore intractaq;
 ad profectionẽ veterè familiã, atq; ascitis ex numero

veteranorum lectissimis centurionibus equitumq; præfectis nihil antiquius habuit quam vt ad Castrucium, tamquam salutis, partæq; libertatis præcipuum authorem, ad agendas gratias communicandaq; consilia in Etruriam contenderet. Is tum Pistorium circumuallatum præaltis aggeribus graui obsidione premebat, ea belli ratione, vt imitatus Cæsarem dictatorem ad Alexiam, retento intra munitiones exercitu, vtrinq; vallo fossaq; munitus, eruptiones facile sustineret, nec exteriores hostium copię quanquam essent amplissimæ, adoriri munitiones auderent: vbi ingentes balistas quæ tum erant pro æneis tormentis, atq; item maiores scorpiones in ædibus aggerum propugnaculis peritissimè collocarat. Is venientem Galeacium arctissimè complexus, quod eum vnice adamaret, atq; in eo ex tot rebus bellicis fortiter atq; feliciter gestis animi magnitudinem admiraretur, omnibus copijs absoluendisq; operibus præfecit donec ipse ad explicandas ararij difficultates Lucam profecturus, confecto ibi negotio, in castra reuertetur. Eo itaq; non multos post dies reuerso, munitiones mirificè aduertas laudante, ita inter se compararunt, vt Galeacius interiores munitiones aduersus erumpentes circumpositis nocturnis diurnisque stationibus tueretur, ipse exteriores obuertendo vrbi terga cum multo maxima copiarum parte defenderet. Nam Florentini duce Philippo Sanguineto Gallo, qui Pistorium ex insidijs ceperat, ac Beltramone Baucio, is erat pontificiorum equitum magister, supra numerosum peditatum, septem milia galeatorum equitum in conspectum obsesse vrbis adduxerant, assiduo tubarum clangore
 Castru-

Castruccium ad pugnam prouocantes, quòd subire ag-
 geres aut perumpere conari, à peritissimis eius ætatis
 ducibus defensos, tum ausu stultum, tum euentu luctuo-
 sum fore existimabant. Nec multò post Florētini inde
 copias in Pisanum & Lucensem agrum vertentes di-
 scesserunt, vt Castruccius vicorum suorum incendijs
 permotus, Lucensibus opem ferre cogeret. Sed dege-
 neris consilij conatum irridente Castruccio, atq; iden-
 tidem ignauiam exprobrante, Pistorienses ita animis
 conciderunt, vt desperatis omnibus auxilijs se dederēt,
 ea conditione, vt nisi sociorum exercitus intra quin-
 tion diem, aut iustam commeatus copiam inferret, aut
 prælij fortunam experirentur; ipsi continuo vita inco-
 lumes saluo etiam præsidio portas aperirēt. Dum hæc
 agerentur vehemens atq; lethalis morbus Galeacium
 inuasit, exustum scilicet Augusti mensis solibus, perpe-
 tuisque laboribus diurnæ obsidionis fatigatum, ni-
 hil autem de sæuo impetu febre remittente, vt commo-
 dius opportuna remedia pararentur, ad Pisciam oppi-
 dum lectica delatus est: ibi eum triduo post absumpsit
 morbus, quum impleisset alterum & quinquagesimum
 ætatis annum. Videri hercle potuit infelix ex tanta vti-
 que fortuna collapsus, nisi viro ad victorias nato, uel
 exuli, in ipsa uictoria mori contigisset. Funeratus est
 Lucæ miro studio in eum supremos honores conferen-
 te Castruccio. Tumulum autem hoc epigramma
 te Poeta eo rudi sæculo, non insulsus
 honestauit.

Hic iacet in parua maiori dignus at urna.

Sanguinis Anguigeri Galeaz & gloria belli
Magnanimus, cōtemptor opum, formaq; decorus
Extulit hunc uirtus, mala sors mox fortiter urfit
Quam rursus uincens, simul & uirtute refringēs
Victor decedit, felix & in astra recedit.

Nec ipse quidem Castrucius diu uictoriae suae gloriae-
que supersuit, ingruente enim pestilenti autumno ex
hisdem Pistoriensis belli laboribus, accersita febre in-
tra uigesimum diem Galeacij fatum est consecutus, uir
haud dubiè antiquis ducibus bellica uirtute comparan-
dus, nisi Tyranni nomen ex atrocibus factis, inuidiae
expositum, uel praecellentis uirtutis famam facile pra-
grauaret. Excessit è uita tribus annis Galeacio minor,
ita ut ad consumati Imperatoris existimationem, nisi
praematura fata uitae cursum praecidissent, peruentu-
rus esse crederetur. quamquam Macchiauellus Floren-
tinus improbè corrupta historiarum fide in eum pra-
ferocem patriae suae hostem impudentissimè iocatus, di-
eius uitam commentitiè lasciueq; contra ueritatem ad-
risum, nauseamq; perscriberet, id unum malignè con-
tenderit, ut Nicolai Tegrini Lucensis, sincerissimè cur-
sta de Castruccio latine enarrantis, spectata au-
thoritas interposito mendacio apud
posterios eleuaretur.

111
A C T I V S,
 SIVE LIBER
 QVARTVS.



CTIVS uigore bellico & præalto constantis ingenij spiritu patri Galeacio facile par, efficaci uerò prudentia & longa infracti animi fortitudine aucto Matthæo persimilis, collapsam familiæ fortunam admirabili uirtute restituit, tanta quoque felicitate ut recuperato dominatu, imperij fines paucis annis latè protulerit. Sed ab initio multa ei aduersa obuenerunt: nam in exilio natus & educatus, pueritiâ simul & adolescentiâ nulla certa cum laude trãsegit. Postremò iâ planè uir Placentiæ in præsidio à patre relictus, quò is perditis propè rebus opè ferens Mediolanũ cõuolasset, eam urbẽ tantis laboribus partã unius horæ momẽto amissit, occupãte Vergusio Landa, qui ualida legati Cardinalis ala equitum & magna exulũ manu fretus irruerat, uitatis quidem diuerso itinere Actianis copijs, quæ aduersus aduentatẽ exierant: tanta porrò irrumpẽtis Vergusii celeritas fuit, ut Actius breue ad fugam spatium nactus ægrè hostiũ manus euaserit, adiuuãte præsertim matre, quæ tã subito quàm salutaris consilio, effusis in limine domus aureæ monetæ sacculis intrantes, dum eam auidè colligerent aliquandiu morata fuerat. Erat Vergusius uir bello acer, se ab ingenio maxime turbido semper inquietus, qui tametsi Gibellinæ

factionis erat princeps, commutata uoluntate ad lega-
 tum perfugerat, quòd Galeacius uxoris eius pudicitia
 procacius pertentasset. Verùm Actius collectis copijs
 suis & Ferrariensium Mantuanorumq; opibus ad au-
 ctus, Sancti Doimnini oppidum in potestate redegit,
 accurateq; bellicis operibus id muniens, aduersus ho-
 stes egregie defenso oppido bellum gessit, usque ad id
 tempus, quo Galeacius post deuictum captumq; Car-
 donium & deletas eius copias, Modoetiamq; rece-
 ptam Castruccio opem imploranti auxilia in Ethru-
 riam transmisit. Florentini enim nouas equitum alas
 ex ulteriore Gallia mercede conduxerant, coniun-
 ctisq; Roberti regis & pontificijs copijs, Cardonium
 qui nuper dimissus à Galeacio ad Pontificem peruene-
 rat, ingentis exercitus Imperatorem effecerant, ita ut
 Castruccius sibi timere & opem à socijs Galeacioq; in
 primis & Passarino Mantuano Caneq; Scaligero im-
 plorare cogeretur. Quam ob rem coactis iam auxilijs
 Actium parantem sibi iter ad Apenninum ut in Ethru-
 riam transcenderet, in Sancti Domnini oppido alie
 atq; alie Florentinorum & legati copie acriter obs-
 derant, ut deiectus spe auxiliorum Castruccius, prius-
 quam ei succurri posset, à Cardonio circa Focensium
 paludes opprimeretur. Sed magno cum dedecore obsi-
 dentium, illatus est in oppidum commeatus, & recen-
 tes demum cohortes & sociorum equites intrarunt.
 Actiusq; e ductis signis detrectante certamen hoste,
 cū ostingentis galeatis equitibus per Apuanos Ligu-
 res ad Castruccium contendit usque adeo opportune,
 ut quū collatis castris præliū differri ultra nō posset,
 Castruccius

Castruccijs eius aduētū magnopere letaretur, & Cardonius triste omen acciperet, quum fatales sibi Viperas in uexillis fulgentes aspexisset. Tum quoq; letum de ea uictoria augurium Actio obuēnit sicuti a Francisco Petrarca his uerbis scriptum legimus. Actius Vicecomes, qui postea Mediolani dominium obtinuit, iuuenis nempe uictoriosus, antequam à podagris uinceretur iussu patris profectus cum exercitu Appeninum transiit, & uictis hostibus apud Altopassum, duce quidem Castruccio, sed egregia opera eius adiuto, ad uincendum Bononienses pari impetu fortunaq; se conuertit. In ea expeditione dum sortè equo descendens re quiescit, ingens uipera nullo comite aduertente in galeam iuxta positam irrepsit, quam quum mox capiti reponeret, sinuoso quidem & horribili sed prorsus innocuo lapsu per decoras interriti ducis genas illa descendit. Eam à nemine ledi passus animosus adolescens ad omen geminae uictoriae traxit, hinc præcipue quòd ipse pro signo bellico uipera uteretur. Nec multò post commissæ est ea nobilis pugna ad Altopassum, in qua uictor Castrucius præclara uirtute Actij adiutus, uniuersas hostium copias deleuit, captis ferme omnibus ducibus, ipsoq; Cardonio Imperatore cum filio in potestatem redacto, & direptis castris: Quibus captiuis & spolijs aliquanto post splendidissimum Romano more triumphum adornauit, qua in pompa ducti ante currum Cardonius Vrlimbacacq; Germanus, & Guliermus Narseius Gallus, & pleriq; illustres Gotholani & Narbonenses equitum præfecti cum legatis Florentinis, gratissimum Lucensi po-

pulo spectaculum præbuerunt. Sed Castrucius statim ab Altopasso victoria utendum ratus, victrices copias Florentiæ mœnibus admouit, suburbanas delicias in oculis hostium euastans & pleraq; ædificia incendens. In ea expeditione Actius Florentinis è muro spectantibus, ludos equestres in Arni insula edidit, proposito ad præmium velo serico purpurei coloris, ut reddito contumeliæ talione Florentinis illuderet, qui similes de cursiones Mediolano obsessò ante Comensem portam iactanter ediderant. Inde verò Actius spoliolum parte magnificè donatus Ethruriæ finibus excedens in Mutinensi agro Passarini Mätuani, Atestiniq; Ferrariensis copijs se coniunxit, aduersus Bononiensium exercitiū legati auspicijs Mutinæ Regiõque imminentem. Nec multò post circa Sculteminam profligatis hostium copijs alteram Ethruscæ penè parè victoriam est consecutus, atq; inde ad patrem geminata cum laude Mediolanum cõtendit. Insecutus est annus, diro Ludouici Bauari Cæsaris aduentu, Vicecomitum familiæ, & toti penè Italiæ infaustus, quo Actius eandem quam pater patruiq; indignè subierunt, carceris fortunam tulit. Ceterum expiata inuidia, cum patre patruisque libertati restitutus, quamquã immaturo Galeacij patris interitu atq; importuna Castrucij morte angeretur, accisasq; spes propè omnes noua atq; inopinata calamitate confpiceret, nihil tamen (vt Magni Matthæi nepotem decebat) sese animo demisit, quin ad fortunam pertinaci virtute subleuandam cuncta experiretur. Summa consilij hæc fuit, vt datæ fidei non deesset, ab unoquoq; Cæsare à quo uulnus acceperat præsentis reme

remedij opem suppliciter peteret, postquã Marcus patruus infami suo cõsilio deceptus perosusque nõ obscure, Cesarẽ nõ dubiẽ imperij decus Gibelliniq; nominis opes uel parua ab hostibus accepta pecunia passim euertentem, ad sanitatem rediisset: eo enim deprecante Cesar post subirati Castruccij ab Roma discessum, fratres carcere eduxerat, territus utiq; aduersariũ partium secundis successibus, & non obscuro conscientie pudore uehementer timens, ne socij clientẽsque deficerent. Itaque Actius cum Ioanne patruo ad Cesarem Pisas profectus, post multa colloquia, egregiẽ nauante operam Marco, Cesaris animum inflexit, promissaq; pecunia ad summam quindecim myriadum, ut paterni imperij princeps appellaretur, impetrauit. Erat tunc Cesar multis aduersis rebus, & super hæc extrema pecunie inopia circumuentus. Roberti tum regis copia Bertholdo Ursino duce Cesarianos prefectos urbe Roma expulerant. Ioannis pontificis authoritas studio Iacobi Columnæ apud populum uigebat: Gibellinorum studia magna ex parte refrixerant, quod Syluestrum Chattum Viterbij partium principẽ indignẽ torsisset, ut eius pecunijs, quæ ingentes esse dicebantur, summa cum iniuria potiretur. Sed Cesarẽ grauis metus incesserat, quod Germani Saxones, & Chatti ualidissima pars exercitus, consternati animis & stipendia debita flagitantes à Vindelicis & Sueuis secesserant, cum quibus antea apud Velitras cruenta seditione cõtenderat, & tũ fortẽ renouato odio spretoq; Cesaris imperio Pisanorum & Lucensium agros impunẽ prædabantur, castrisque demum in Ceruleo monte positis,

qui supra Viuinaium, iam pridem à Castruccio permissus ad agendam prædam magnas habet opportunitates, eo terroris & fœdæ calamitatis circumiectam regionem adduxerant, ut incolæ incendiorum metu comeatum, vestem & castrensia instrumeta conferre cogèrentur. Nam paulò antè in Lucensi Camaioris oppidi incolas, quòd irrumpētibus aliquandiu restitissent, direpto incensoq; oppido crudelissimè trucidarant. Timebat quoque Caesar, ne ea manus quæ octingentis armatis equitibus constabat, utpote quæ nullo pudore defecisset tanquam planè venalis ad Florentinos oppima stipendia pollicentes deficeret: Quibus de causis facile cum Cesare transactum est, ut Marcus ad Saxones mitteretur: Is Actianæ pecuniæ dimidiam partem ex præteritis stipendijs à Cesare debitam promitteret, interim apud eos datæ fidei obses foret: altera pars Caesaris procuratoribus Mediolani certis pensionibus numeraretur. Non abnuit conditionē Marcus, ut prior maleficijs inuidiam nouo officij genere deliniret auideq; à Saxonibus tantæ pecuniæ vades receptus est. Addidit quoque Caesar perscriptis obsignatisque codicillis nouum munus, ut magis ac magis Vicecomites sibi obstringerentur, quum veteres iniurias accumulatis beneficijs expiandas existimaret. Ioannes enim Actij patruus à pseudo pontifice Nicolao, suffragante Cesare in senatu Cardinalis creatus est: sed vir ille summæ grauitatis atque prudentiæ gratias agens beneficium quidem agnouit, ne spernere videretur, verum usu purpuræ galerique honore semper abstinuit, nō obscure in gratiā Ioannis legitimi pōtificis, insigni
qui-

quidem ipsius cum laude commodoque, nam ei episcopatum Nouariensem postea contulit, quo permutatum cum Aycardo Camedoio, Mediolanensis Archiepiscopus effectus est. Actius & Ioannes Pisis profecti diplomata Caesaris Modoetiam detulerunt, quod eos Guliermus Monfortius liuoris plenus magnis obuiam euntium ciuium gratulationibus passim exceptos Mediolano recipere nolisset, sed eius cunctationem præbita pecunia celeriter resoluit: atq; ita Monfortius dolore amissæ præfecturæ percitus, in Germaniam reuersus est. Exinde Actius à veteribus amicis clientibusq; & ex publico ciuitatis arario pecuniã mutuo sumpsit, quæ præsentis Caesaris procuratori solueretur. Is erat Conradus cognomento Porcarius rapaci ingenio togatus miles, atq; ob id facile fidei pudorque pecuniæ lucrum anteponeus. Accepta enim quantã ferè promissæ totius pecuniæ parte in Germaniam perfugere quàm ad Casarem reuerti maluit. Eius potiunde pecuniæ spe deiectus Caesar, exacerbatisque propterea Saxonibus, efferato animo ut undique corraderet pecuniã, graue auri pondus Pisanis imperat, Rainundum Cardonium auro se redimentem, pretioque nobiles aliquot Florentinos custodia educit: Castrucci uxori pretiosa mundi muliebris ornamenta auferit, Castrucci filios Pifarum dominatu spoliatos Luca extrudit, & Francisco Interminello accepta ab eo grandi pecunia, urbis principatum adiudicat, Pisisq; discedens Mediolanum contendit. At Mediolanenses immanis auaritiæ Tyrannum se recepturos negant, eo modo exclusus ad Modoetiã iter uertit. Id oppidum

Actij praesidio tenebatur: quamobrē oppidani fortunis suis Mediolanensium exēplo non temere timentes, uenienti portas occludunt, nec per arcem aditus in oppidū datur, quōd Lambrus annis intumuerat, & si qui uadum tentarent, profluente mergebantur. Eo modo Caesar ludibrio habitus quum infamis auaritiæ poenas daret, Papiam deflexit, ubi ab Actio collata pecunia facile delinitus est. Nec multō post quum per socias urbes praedabundo similis uagaretur, nec consilijs suis dignum Caesaris nomine exitum reperiret, Gibellinis Pariter & Guelphis odiosus, in Germaniam redijt. Interea Saxones in monte Ceruleo Marcum audaci ingenio fortia quæstuosaq; consilia atq; ob id grata militibus explicantem, admiratione uirtutis ex obside capti uoque ducem sibi creauerunt. Is ante omnia Henricum & Valerianum Castruccij filios graui ingrati Caesaris iniuria Luca pulsos, & in proximo exulantes Germanis conciliat, & per eos occupandæ Lucæ consilium inuit: ab his Augustæ arcis custodes, quōd erant Germani, ueteres Castruccij milites facile oblatijs præmijs corrumpuntur, ut improuisus in urbem patēret introitus. Nec mora, Marcus ad constitutam diem à Ceruleo monte cum Saxonibus Lucam noctu peruolat, urbs capitur, Franciscus Interminellus à Cesare ad Principatum euectus, profligato eius praesidio aduersa porta profugit, contrariæ factionis ciuium domus in praedā uertuntur, sedatoq; mox tumultu per nouas acclamationes, Castruccij filijs paterna sedes restituitur. Tanta re feliciter patrata ditatisq; militibus, Marcus fortuna utendū ratus, cum Fatio Donoratici Regulo, qui Pifa-

ne nobilitatis erat princeps consiliū suscepit restituen-
 de Pisanis libertatis, & uti inde Caesariani praesides pel-
 lerentur. Nec uoto defuit euentus: Marcus enim cum
 ualida manu equitū Luca profectus, Pisis à Fatio reci-
 pitur, ingens praelium excitatur, continuoq; Ponte ue-
 tere Caesariani in ulteriorē urbis partē protruduntur,
 libertatis nomen armati populi uocibus attollitur. Ip-
 se Tarlatus Aretinus à Caesare Pisis praefectus, ubi se à
 Saxonibus circumuentū, suosq; profligatos uidet, pon-
 tes occupatos expugnare conatus, cum ea praesidij ma-
 nu quae supererat, desperatis rebus urbe excessit. Tum
 uero Pisani à Ioanne pontifice interdicti sacris, expia-
 ri promeruerūt, quod à Caesare ab eo damnato defecis-
 sent, traditusq; est ab eis consensu publico Nicolaus
 pseudopōtifex, quē discedens Caesar Fatio cōmēdarat.
 Is demū pontificijs tremibus Auenionem deuectus in-
 felix, & alieno potius quàm suo crimine miser in te-
 tra custodia perijt. At Marcus à Pisanis Fatioq; uti pra-
 clarus author libertatis magnis muneribus liberaliter
 donatus, ubi se honesto euentu è manibus Saxonū ex-
 plicatū uidet, maiora sibi agitanda ratus, accepta fide
 Florētīā cōtenāit. Offerebat Octouiris qui Reipubli-
 cae praerant Saxonum nomine Lucā urbem, si octua-
 ginta millia aureorum persoluerent, ea conditione ut
 sub fide publica Castrucci liberis honestus in patria
 locus relinqueretur. Interim ut bona fide pecunia re-
 praesentari posset, Saxones in Augustam arcem Florē-
 tini militis praesidium acciperēt, & ex numero praefe-
 ctōrū insignium obsides darent. Erat eius cōparandae
 tātae urbis facultas Florētino populo longè gratissīma:

sed quominus decretum fieret, factiosi ciues Simone Tosa principe vehementer impediebant, obtreccatione eorum laudis inducti qui eam occasionem non præmittendã suadere conabantur, quum supra ærarij difficultates Marco tanquam veteri infensoque hosti atq; ipsis præsertim fluxa fide Germanis, tanto amittendæ pecuniæ periculo, minime fidendum differerēt: nec tyranni liberis, qui atrocissimi nuper hostes extitissent, parcendum arbitrarentur. Sed non deerant ciues uti publicæ dignitatis augendæ studiosi, amâtesque patriæ, qui eam pecuniã ex priuatis opibus in eius urbis coemptionem liberaliter offerēt, modò ipsis Lucensium uestigalia non iniqua licitatione in triennium addicerentur. Interim à Marco acciti primores Saxonũ Florentiã uenerunt, & in his Bãbergus Regulus & Arnaldus castrorũ magister, ut corã Octouiris de obsidibus & pecuniæ summa transigeretur. Verũ inuidia & conceptus inter altercantes Patritios importunus liuor, Populi uotũ decora proculdubio atq; utilia cupientis, interrupit. Nec multò post Saxones irrisa tum & mox punita Florentinorum cūctatione, urbem Lucam ipsamq; Augustam arcem integrumq; in ciuitate dominatum Gerardino Spinula Liguri uēdiderunt, tanto cum dolore indignantis populi Florentini, ut in Simonem Tosam pene coniectis lapidibus omnes ordines inueherentur. At Marcus iam non obscure Actio subiratus, quòd ad se redimendum pecuniam nequaquam liberaliter ac diligenter expendisset, ad fatalem ueteris odij atque insitæ ambitionis insaniam redierat, usque adeo, ut se pōtifficis Robertiq;

regis,

regis & Florentinae reipublicae clientem futurum iuraret, si ad pellendum Actium auxilijs atq; pecunia iuuaretur. Sperabat enim Saxones qui iam planè à Ludouico Cæsere defecissent, nomen eius omnibus bellis illustre ad opima stipendia nouamq; prædam cōtinuò secuturos. Hoc concepto scelere, fœdereq; percusso, citè per triginta dies Florentiae uiros nobiles & militie claros quotidianis epulis liberaliter excepisset, & uti erat excelso corpore præaltoq; animo & facundia insigni, dignus paterno imperio uideretur, pro lauijs mille aureis liliatis publicè donatus Bononiam contendit: proficiscenti autem additus est comes prætoris filius qui ciuis erat Bononiensis: hunc iuuenem Octouiri ingenio apprimè ualidum delegerant, ut ab eo Marcus ad legatum deduceretur, eoq; arbitro cuncta ordine quæ Florentiae promissa constitutaq; fuerant iterata sacramenti fide confirmaret: itaq; magna spe inflatus à legato Bononia discedens Marcus Mediolanum peruenit, exceptusq; est ab Actio & fratribus multo cum honore & letis utiq; uultibus. Sed dum in rem suam nouandis rebus clientelas exploraret, tentaretq; ueteres amicos & turbido atrocisq; animo consilia aspera ad inuadendum dominatum agitaret, ab Actio & Luchino Ioanneq; nefariae temeritatis cogitationes facileprehenduntur. iam enim uesano uultu oreq; identidem querebatur, quòd se tam diu contra fidem datam apud barbaros sæuosq; homines reliquissent, & fortè tū se ipso amarior atq; turbidior erat effectus, quòd amatam nobilem foeminam è matrimonio Othorini Vicecomitis impudenter abreptam, subita concitatus ira-

cundia apud Rosatum in profunda arcis fossa demerserat, quod illa lenitate muliebri mentita partum, sibi alieni uentris puerum supposuisset. Sed eam ab eo flagitio ita oderat, ut necatam impotenti amore percitus fera deinde precipitis uindictæ pœnitentia deploraret, indeq; nouus perturbatæ menti furor adderetur. Eo modo Actius patruiq; ex multis indicijs quid Marcus agitare, molireturq; non obscure diuinantes, cum in unum summo consensu conspirarent uitandam omnino diæ belluæ rabiem, uindicandumq; prioris perfidiæ immane facinus statuerunt. Nec mora, Marcus in arenæ curia post epulas in cubiculum colloquendi simulatione deductus, à delectis aliquot prætorianis compreheditur, elisisq; linteo faucibus strangulatur nullo ex eius nece tumultu exorto, quum proiectum cadauer è fenestra in publicum nemo lugeret, & tanquam sponte præceps datus, sumptuosis honestatus exequijs ad Eustorgium sepulchro maiorum inferretur. Florentini uerò prætoris filius uel totius consilij conscius & funesti exitus spectator ab Actio benigne dimissus est. Nec multò post Ioannes Boemiæ rex qui Henrici Cæsaris filius, & Caroli Quarti imperatoris pater fuit, cum ualido exercitu in Italiam descendit, neq; Ludouico Bauaro Cæsari planè hostis, neque Guelpharum partium amicus. Bergomates primi eum receperunt, nec Actius dubitauit, quin amicitie quæ maiorib. suis cum Henrico patre præclara fuerat, renouãda causa, ad Bohemum trans Abduam contenderet, munera deferens utroque dignissima. Auxit existimationem Bohemo id Actij officium, & Actius ex eo colloquio confirmatæ

firmate potentie apud socios pariter atque hostes opinionem retulit, eo euentu, ut à Vercellensibus ad ciuitatis imperium uocaretur. Nec multò post Bergomates à Bohemo præsidij iniurijs exagitati, ad Actium defecerunt. Ioannes enim ingenti cursu Brixia, Cremona, Pavia, Parma, Regio, atque Mutina potitus superato Apennino Lucam occupat, Gerardino urbe eiectione, & Florentinis copijs quæ Beltramone Baucio duce Lucam obsederant longè summotis. Is rerum successus Gibellinos non secus ac Guelphos magnopere conterruit, eoque uehementius quòd Bohemus cum legato Pontificio in colloquium deuenerat, famaque ferebatur Philippum Gallie regem cum Pontifice occulto inito fœdere conspirasse, ut Bohemo duce cuncta subigerent, atq; inter se Italiae urbes partirentur. Erat enim Bohemus Gallica pecunia instructus. Quibus de causis Florentini tanquam à Roberto rege planè deserti, metu noui hostis cum ueteribus inimicis communi commodo fœdus inire coacti sunt. Itaque Actius, Mastinus Scaliger, Passarinus Mantuanus, Obbitius Ferrariensis cū Florentino populo fœdera percusserunt, ea pactione, ut coniunctis uiribus bellum gereretur, subactæq; urbes Actio Cremona, Parma Scaligero, Regium Mantuano, Obbitio Mutina redderentur, Luca Florentinis caderet. Nec multò inde quum Bohemi regis Exercitus Ferrariam oppugnaret, in genti prælio edito fusus profligatusque est, Pinalla Aliprando Actij duce felicissimè operam nauante. Nec fortuna uictorie cursum diu morata sociorum uotis defuit, pulsoq; Ponzono Ioannis præfecto Actius

Cremona potitus est, Papiamq; mox in ditionem recepit, quum in Vrbeculam compulsos hostes, desperatis auxilijs deditionem facere coegisset. Placentiã demum à Francisco Scoto pecunia coemptã recuperavit. Postremò Franchinum Ruscã Comensium Tyrannum multis illatis detrimentis eò adegit, vt accepto Bellizone oppido ad solatium amissi dominatus ultrò urbẽ dederet. Ceterum paulò ante id tempus quum pedib. eger decumberet, maximum rerum suarum discriminẽ subiit Leodrisij perfidia circumuentus. Is antea Matthæi Magni gloriæ inuidens, quanquã esset patruelis, primas partes Legationis ad pōtificis legatũ suscepserat, vt sub inani libertatis nomine Matthæus eiusq; liberi Mediolano pellerentur, cum Marco demum aduersus Galeacium atrocissimè cōiurarat. Nec animus iniquis ambitioneq; mutabilis ullis omnino donis atq; honoribus collatis euinci mitigariq; poterat, vt Actium rerũ dominum imperio potiri pateretur. Itaq; correptus uetere insania inopinato trãsfugio abducta Germanorum ala, ad Franchinum Ruscã & mox ad Mastinum Scalligerum Veronam contendit, conductisq; Rhetorum Heluetiorumq; cohortibus, & Germanis equitibus, magnãque manu exulum passim collecta ad Abduam profectus est, nec transitu prohiberi poterat, quanquam diuersa vada amnis Aliprandus Pinalla tueretur. Ea improuisa externæ gentis irruptione agriculturalum foeda & planè miserabilis fuga facta est per totum serè Insubrum agrũ, quòd tum præaltæ niues herbidi soli campos integerent. nec pecoribus armentisq; in loca tutiora refugientibus deserto pabulo, pascendi facultas

facultas daretur. Porro Actius quanquã pedibus eger
nihil de celeritate diligentiaq; remittit, quin ex omni-
bus locis milites cogat, munitioraq; oppida subitario
præsidio confirmet, donec auxilia conueniãt. Aliquot
enim diebus antequã hostes Abduam transfirent, quid
Leodrisius Veronæ moliretur, per exploratores co-
gnouerat; ita vt auxilia opportuna implorata trãsmis-
saq; à propinquis socijsq; principib. singulis horis ex-
pectarẽtur. Igitur coactis in vnum è Liguria, Ferraria
atq; Placentia magnis auxilijs, Luchinus patruus dux
uetus & multis prælijs felix Mediolano totius nobili-
tatis equitatũ & delectam ex promptissimis ciuiũ legi-
onẽ educit ad hostesq; progreditur. Confederat Leo-
drisius ad Neruianũ vicum duodecimo ab vrbe lapide
nec mora conspectum hostis ineundæ pugnæ signum
dat, ordinesq; componit. Verũ irruente Luchinno
prima Leodrisij acies sternitur, sed ex aduerso Rheti
Germaniq; more suo conglobati, secundum impetum
excipiunt, Luchiniq; equitatum primis cæsis intem-
peranter prouectum uehementer urgent, multi utrin-
que cadunt, cruentum & atrox undiq; prælium edi-
tur. Cæterum Actianis agrè sustinentibus & iam pla-
nè profligatis, Luchinus dum reparare percussam aci-
em ingenti animo contendit, interfecto equo Heluetio-
rũ securibus sternitur atq; capitur. Tum uerò Babari
clamorem attollunt & legionem Insubrum armis ani-
misq; imparem adoriuntur, tantaq; ui Placentinas co-
hortes propellunt, vt Dondatio Maluicino uiro for-
tissimo Lancilottoq; Anguisola ductibus interfectis uni-
uersa acies ad fugam respiceret. Leodrisioq; parta,

uictoria uideretur, nisi Diuus Ambrosius Mediolanensium tutelare numen, in nube equestri effigie à multis conspectus opem planè perditis rebus attulisset. Superuenit enim Hector Panicus cum ala cataphractorum Allobrogum à Ludouico Sabaudio Actij socero transmissa. Hæc Rhetos intempestiuè exultantes & cædi prædæq; solutis ordinibus incumbentes ita prostravit, atq; cæcidit, ut instaurata pugna & fortissimo quoque ex nouo euentu desumente uires atq; animos Leodrisiani terga darent, Luchinusq; ad arborè deligatus Heluetijs custodib. criperetur, & Leodrisius effugiens in manus hostiū incideret. Eo die interfecta sunt supra quatuor milia hominū, sed minus letam Luchino uictoriam fecit, Ioannes Fliscus Fusca uxoris frater, Ligurū præfectus in prima acie occisus. Externus Leodrisij miles agricolarū seuitia dum uagatur, & frustra effugium querit hyeme media, frigore uulneribusq; consumptus ferè omnis interiit. Leodrisius cū liberis in arce Diui Columbani custodia est traditus, ut post Actij & Luchini mortē, Ioannis archiepiscopi clemētia seruaretur. In eo autem campo ubi pugnatum est, inter Parabiacum & Neruiantum, Luchinus & Ioannes templum in arce Diuo Ambrosio uotum ad rei geste memoriam condiderunt, ubi quotannis insigni pompa effuso Mediolanensi populo cum prætore & Decurionibus altero & uigesimo Februarij die sacra solennia celebrarent. In eo templo ad leuam spectatur effigies Hectoris Panici cum armata Allobrogū ala perditis reb. opem ferentis, quod facile dinoscitur, quū in purpureis equitū lacinijs albæ cruces Sabaudiani principis in-

pis insignia discernantur. Secundum eam uictoriã confirmato imperio, Aëtius Mastino Scaligero graue bellum intulit, atq; ei demum, iniuriam probè ultus, Brixiã ademit. Exinde pacatis reb. Mediolani moenia iam cœpta antiquitus, ad iustam altitudinẽ educta sũt, additis per interualla altioribus propugnaculis, in quibus marmoreæ ingentes Viperae uisuntur. Perduxit etiam in urbem fluuiolos duos euerrendis urbanis foribus ad salubritatẽ opportunos, Lironẽ scilicet & Cantaranam qui iam penè defecerunt, quum negligentia publica sensim oblimati iam pridem, aluci curato ribus caruerint. Eum quoque admirandæ magnificentie curiam in arena priscorum temporum iuxta frontem templi maximi edificasse constat, addito diui Gothardi templo cuius sacram turrem nobili fastigio insignem, cum admiratione suspicimus, id ille multis admodum pretiosis diuini apparatus instrumentis referat. Mortuus est Augusto mense, octauo & trigesimo ætatis anno, quum integros nouem annos regnasset, usque adeo improbè urgente fato & articulorum doloribus assiduè lacesitus, ut ne lodicibus quidem in lectulo sine intolerabili cruciatu uolueretur. Ex Catharina autem Sabaudia uxore pudicissima nullam suscepit prole. Erat Aëtius facie candida lætaq; naso autem simo, quòd nemini superiorũ gentiliũ cõtigerat coma item barbãque ad patris similitudinem aenei coloris ualdè crispa, sed carueleis oculis, atque intempestiuo caluitio, non deformante quidem frontem sed eximie decorante. Existimatus est ex toto Aëtionum euentu, egregiè bello fortis & consilio summè prudens, & quòd ad popularem gratiam plurimã

intererat, aditu facilis, & alloquio perhumanus publicè & priuatè cum ratione liberalis. In serijs porro sine fastu grauis, & in serendis iocis omnium suauissimus euadebat, ea tamen temperie, ut cuncta ad Christianam pietatem reuocaret, sic ut Dij atq; homines, perfidiosi & turbulenti patrum necem facile condonarint. Tumulus est marmoreo insigni sepulchro ad aram Diui Gothardi, in quo celato inauratoq; opere eius iacentis effigies spectatur: pari artificio circumseptus est marmoreis tabulis sepulchri locus, in quibus scite sculpta Ludouici Caesaris solenni habitu imago conspicitur, cum supplicati ingenuitateq; Actio Mediolanensis imperij insignia largitur.

*Epitaphium Actij qui eo rudi seculo
Azo dicebatur.*

Hoc in Sarcophago tegitur uir nobilis Azo,
 Anguiger, imperio placidus, non leuis & asper
 Urbem qui muris cinxit, regnumq; recepit,
 Puniuit fraudes, ingentes struxit & aedes,
 Dignus longa uita, in fatis si foret ita
 Ut uirtus multos posset durare per annos.

LVCHI-

L V C H I N V S

S I V E L I B E R

Q V I N T V S .



CTIO immatura morte sublato, quòd sine uirile prole decessisset, duo patruí Luchinus atq; Ioannes Insubrum omniũ consensu successerunt. Sed Ioãnes æquitate liberali motus uti sacratum Antistitem decebat, diuini iuris potestate contentus fuit, quo fratri bellica laude illustri & in administranda Republica ingenio graui constantiq; prædito, integra exercendi imperij cura relinqueretur. Is initio statim suscepti principatus quod confirmandæ potentiæ, parandæq; summæ gratiæ apud ciues plurimum conferebat, à Benedicto duodecimo per legatos impetrauit, ut interdicta sacris ciuitas, tum uerè supplex clementia & benignitate æquissimi sacrorum principis expiaretur. Recepit quoque pari pontificis indulgentia ueteres thesauros, qui è templo Modoetiæ, turbulentis superiorum bellorum temporibus Auinionem asportati fuerant. Ceterum quum ad arma uocaretur, per legatos ferè semper bella gessit, tametsi antea longè acerrimus bellator fuisset utpote qui in omnibus ferè iustis prælijs honesta uulnera suscepit: in illa enim nobili cruentaq; ad montè Catinum pugna, qua Vguccio Fagiolanus uictor uires Guelpharum partium uehementer contudit, paterna

auxilia ductanti inuectoq; in medios hostes, sinistrum
 crus ualida cuspide traiectum est. Ad Alexandriam ue
 rò quum in Tanari ponte cum Vgone Baucio Roberti
 regis equitum magistro confligeret, ita Baucium inua
 sit atq; prostrauit, ut multo suo atq; interfecti hostium
 ducis cruore foedatus, opimo spolio & præclara uicto
 ria potiretur. Ad Tricellam quoq; oppositus ingenti
 bus externarum gentium copijs, quæ Pontificis & Ro
 berti regis auspicijs sub Gastone Aquitano Raimuudó
 que Cardonio ad Mediolanum obsidendum ire matu
 rabant, maxime pugnacis & periti ducis laudem tu
 lisse fertur, quum terribili longoq; certamine edito re
 parataq; sæpe acie honesta in facie vulnera suscepisset.
 Postremo ad Neruianum acriter dimicans, Heluetijs
 securibus perfracta galea suffossoq; equo prostratus
 captusq; est, & manante per nares multo sanguine
 ad iuglandis arborem tam diu nexus & semianimis
 iacuit donec recentis Allobrogum alæ superuentu, cæ
 sis Heluetijs atq; Germanis, & Lodrisio hostium duce
 capto è uinculis eriperetur. Sed qui tot bellis summa
 pericula euaserat, ex principatu demum oborta statim
 inuidia amicorum & propinquorum seuas manus
 uix effugit. Coniurauere enim in eius necem Fran
 ciscus Pusterla ex ordine patritio auitis diuitijs potens
 & ante alios duo Aliprandi fratres Martinus atque
 Pinalla, qui Actianis copijs præfuerant, nolectique à
 Luchino ad alios scilicet uti meliores translatis hono
 ribus amiciorum liberalioremq; dominum querebāt,
 coniectis utiq; oculis in Galeacium & Barnabam ex
Stepha

Steffani eius fratris filios qui decoræ iuuentæ & iam planè matura militari indole florentes intempestiua atque nefaria ambitione, quæ semper domui Vicecomitum fatalis fuit, ad imperium aspirare dicebantur. Sed dum Aliprandi fratres pertentatis amicorū intimis cōiurationi vires addere contendunt, à Ramengo Casato imita consilia produntur. Nec mora, Martinus atq; Pinalla capti diuq; torti in carcere fame necantur, ceteris in furca latronum more strangulatis: de Pusterla autem, qui profugiēs, ex Ethruria retractus fuerat, in foro supplicium est desumptum, eo quidem atrocius atque miserius, quòd duobus filijs adolescentibus in conspectu parem pœnam subeuntibus, scelestus pater paulò antè inter ciues maxime felix supremæ calamitati suæ domus interfuit. Nec multò post Margarita vxor quòd non conscia modò, suscepti eius immanis consilij, sed ad id mature patrandum peracerbâ concitatrix fuisset, perpetui tantum carceris pœna damnatur, quòd Othorino Viceconite genita Luchinum arctissima propinquitate contingebat. Ceterum ex damnatorum quæstione compertum est Galeacium & Barnabam non ignaros inite coniurationis, paratosque ad excipiendum principatus fortunam tanti facinoris euentum expectauisse. Sed Luchinus ne supra Marci fratris necem familiæ decus, uel maxime nocentium iuuenum cruore macularet, deprecante Ioanne Antifite exilij pœnam nã excessit, ita tamē, ut eos perfidiæ impietatisq; ignominia notatos, ad Oceanum in extremos Belgas & Batauos rele-

garet. Exinde Luchinum natura subtristem, planeq; se-
 uerum solito amariorem ac duriorum factum scripto-
 res tradunt, usq; adeo, ut nec in ioco, pallidam semper
 obducens frontem, ridere sit uisus, quod ad animi agri-
 tudinem articulorum quoq; dolores accessissent. Sed
 non inanis rumor de uxoris impudicitia per urbem ex-
 citatus, mœrorem usque adeo cumulauit, ut in affecto
 tot malis sene, nondum maturo fato uiam aperiret. Nupse-
 rat ei Isabella cognomento Fusca è Flischorum gente a-
 pud Ligures apprimè nobili duobusq; præsertim Pon-
 tificibus Innocentio atq; Hadriano, purpuratisq; su-
 pra triginta Senatoribus longè clarissima, unde illa fa-
 stum atq; inde luxuriam parum uerecundo gestu oreq;
 præferebat. Hæc nobiles Insubrum matronas forma, le-
 pore, mundicijs atq; una præsertim uteri fecunditate,
 qua Luchinus felix uideri potuit, anteibat. primo enim
 partu Luchinum nouellum, secundo Ursinam, tertio
 gemellos mares eximitè indolis Borsium & Forestinum
 rara quidem felicitate pepererat, nisi tantam prolem
 ex incesto concubitu concepisset. Galeacium enim for-
 mæ dignitate cunctos mortales superantè lasciue ada-
 matum ab ea constat, uti aliquot post annos defuncto
 iam uiro in extremo uite actu piæ ingenuæque con-
 fessa est, ut animum eo piaculo liberaret, uel cum cer-
 to infæstæ prolis exilio tantiq; subinde imperij hære-
 ditas ad legitimos successores uerteretur. Cæterum su-
 opte ingenio procax & leuis mulier exulante Galea-
 cio, & uiro ex podagra decumbente, quoniam spectare
 Venetias, cum situ stupendas, tum celebri festo die As-
 censionis Christi naualibus ludis & priuatarum publica-
 rumq;

rumq; opum ostentatione mirabiles concupisset, importuna uxori Luchino cuncta concedente, haud difficulter impetrauit, ut ornatissima classe per Padum deueheretur, delectis in comitatu foeminarum nobilissimis quibus & ambiguus inesset pudor, nec uiri earum tuenda pudicitiae cura tangerentur. Verum luxuriosissimi nauigationis exitus fuit, ut cum insigni probro prostrata pudicitiae apud Ugolinum Gonzagam, Dandumq; Veneti senatus principem, redierit, pari infamia desagranti, nonnullis illustribus foeminis ex comitatu quum a pudicis pariter atq; in eodem crimine maculosis leuitate muliebri per mutuas delationes singularium adulteria proderetur. Hoc tanto inexpiabilis infamiae uulnere percussus princeps, ita flagitij iniuriam tulit, ut non obscura parati ad uindictam animi signa, contrae frontis querela, demorsisq; saepe unguibus ostenderet. Itaque Fusca expedito ingenio non impudica modo sed etiam truculenta mulier poena metum celeriter auertit, agrumq; adhuc coniugem ueneno lento atq; tabifico praecipue occupat, nullo tamen sceleris extante uestigio, quum plane maturatus agri senis obitus, ad nouum insurgentis morbi impetum facile referretur. Vixit annos sexaginta duos, imperauit nouem. Tumulatus est in aede diui Gothardi iuxta Actium, regio sumptu celebratis exequijs. Luxere elatum ueris lacrimis cuncti ciuium ordines: nam summa equitate ius dicere, obliuisci factionum, tueri ab iniuria infimos, & quod maxime populare uidebatur, singulari providentia annonam curare erat solitus, bella quoq; quod opulenta tranquillitatis intererat, extra fines sepe gessit, eo animi decreto

ut & sua strenuè defenderet & socios cōstantissimè tue-
 retur. Parmā imperio adiecit sexaginta milibus aureis
 coemptam ab Obitorio Atesino agrè eam urbem aduer-
 sus Gonzagas atq; Scaligeros defendente. Pisanis por-
 rò ea conditione pacem dedit, ut honorarij tributi no-
 mine binos equos, militarem unum, alterum asturco-
 nem album, quo domina ueheretur, itemq; binos ad au-
 cupium falcones peregrinos, quotannis penderent.
 Nouissimè Ligures fluxa fide antiqua foedera uiolan-
 tes, magnis copijs inuaserat Brutio filio duce Genuam
 gentis caput obsessurus, nisi exitum ei properantia fa-
 ta uetuisent. Magnificentiae monumenta nulla ferè re-
 liquit Ætiana domo cōtentus, quum antea in Ticinen-
 si regione præaltas ædes contra Diui Georgij templū
 Palatij nomine uocatas habitasset. Foris autè ualidam
 arcē in edito monte edificatā, cui à uetere delubro Ca-
 pella nomen est, Bergomatib. imposuit. Delectatus est
 tuendæ ualitudinis causa suburbano secessu, non tam
 amœna quàm salubri, ad septimū lapidē Comensi uia
 sinistrorsū, ubi tenuis est Pagus qui sanus acr uerissimo
 nomine nuncupatur. Liberos reliquit Brutium ex con-
 cubina, qui quum Laudi Pompeiæ præferoci ingenio
 aliquandiu tyrannidem exercuisset, coniurante ciuita-
 te expulsus obscuro in pago in Euganeis imops & me-
 ritò miser interiit. Borsius autem & Forestinus detecto
 Fusce matris incestu tanquā ex damnato nati concubi-
 tu hic tetro in carcere, ille uerò fuga elapsus exilio pe-
 rierunt. Eandem exilij fortunam tulit Nouellus, qui
 nequaquam animo degeneri militiæ assuetus pro-
 pinquorum suorum hostibus semper adhæsit.

Eius autem tumulo hoc rude carmen
inscriptum est

Iustitiæ cultor, scelerumq; acerrimus ultor
Pauperibus carus, nunquam dum uixit auarus,
Egregijs factis, & cladibus ante peractis
Insignem bello laudem meruit, nisi fraudem,
Sors mala struxisset, crudeliter & periisset.

IOANNES ARCHI
EPISCOPVS, SIVE LI-
BER SEXTVS.



OST elatum Luchinum to-
tius imperij summa ad IOAN-
NEM archiepiscopum germa-
num fratrem absolute uirtutis
principem redijt: nam in omni
eximia prudentiæ & perfectæ
pictatis officio, moderatq; regendi imperij disciplina
Othoni maiori patruo par fuit, quum & ipso censu ge-
nerose stirpis Mattheum patrem & magnitudine cõ-
statis animi referret; nec Galeacio fratri de nobilitate
liberalis ingenij, uel decore formæ, uel studio prome-
rendæ gratiæ quicquam concedere censeretur; & Acti-
um perhumana illa nusquam tamen nisi graui, ad saci-
les aditus atq; sermones comitate, atq; magnificentia

operum facile superaret, præclaraq; clementiæ laude paucissimis regum concessa, quæ Luchino uti nimis duro militariq;, quanquam viro alioqui summo defuit, omnium opinione potiretur. Is inuito statim principatu, nihil antiquius duxit, quàm Galeacium & Barnabã ab exilio reuocare. Rediere illi Belgarum more brachato habitu sicuti uidere est in incolumi adhuc pictura, in templo diui Ioannis Ad Concham; Cosmæ & Damiano diuis tutelaribus uotũ soluentes, præferentesq; eximium bellicæ uirtutis specimen, quum Belgicis atque Britannicis bellis parta non obscura laude militassent. Nec multò post Ioannes propagandæ soboli firmandoq; imperio ualidas finitimorum principum propinquitates præstanti iudicio quæsiuit: sic ut Blancam Sabaudiam Aymonis Allobrogum reguli filiam Galeacius uxorem duceret, & Beatrix Mastini Scaligeri filia à fastu superbisq; moribus Reginæ cognomen adæpta, Barnabæ matrimonio iungeretur, binasq; deinceps nuptias sumptuosis ludorum equestrium spectaculis celebraret. Cetrũ Ioannes Ligustici belli causam secutus, Murtham Genuensium ducem adeo armis terruit, ut abdicato principatu, sese ciuitatemq; ad eius authoritatem contulerit, & præsidium prætoremq; à Ioanne delectum acceperit. Sed non multò post defuncto Murtha, populus uti semper factiosus & mutandis consilijs repentinus & leuis Valentem ducem creauit. Ea contumelia permotus Ioannes arma parat & bellum indicit, quo periculo Ligures territi, uel ob id maxime quòd tum magnis clasibus cum Venetis & Catalanis contendentes circa Sardinian in feliciter

feliciter conflixerant, supplices & opem imploran-
 tes ad pristinam fidem redieret. Valens quoque susce-
 pto temere principatu se abdicare cogitur. Recipitur-
 que Genuæ Gulielmus Pallauicinus, qui Reipublicæ
 præsit cum præsidio equitum & peditum. Nec mora,
 Genuenses nouam classẽ exornant Ioanne in eam de-
 lectos milites pecuniam & cõmeatum abundẽ conferẽ-
 te, addentẽq; duodecim triremes suo sumptu suoq; mi-
 lite egregiẽ instructas. Eam classẽ Paganus Auria
 præfectus, quũ Viperæ insignia in uexillis præferret
 ad Sphragiam Insulam, quæ Sapientiæ nomen habet,
 contra Methonem, cum Venetis feliciter confligit, de-
 uictaq; hostium classe, Nicolaus Pisanus qui Sardoo in
 mari cladem Liguribus intulerat, cum quinq; milibus
 Venetorum militum captus, Genuam in triumphum
 ductus est. Genuenses autem singulari ope Ioannis se
 uictoria potitos grato animo confitentes, nouo decre-
 to deditæ ciuitatis iura, quæ Ioannis morte finiebãtur,
 ad Galeacium pariter & Barnabam transtulerunt, ita
 ut totius Liguriæ urbes à Coruo Lunensi promonto-
 rio ad Herculis Monæci portum imperio Vicecomitũ
 subderentur. Per id quoque tempus Bononiam in po-
 testatem redegit. Pepulus enim uir nobilitate opibusq;
 insignis, qui patriæ libertatem inuaserat, põtificijs op-
 pugnatu armis, à Ioanne matura ope implorata, uali-
 disque Insubrum auxilijs egregiẽ defensu eò demum
 descendit, ut acceptis Crepacorio, Nouantulaq; castel-
 lis ac multo insuper auro, patriam uendere, quam su-
 cepti principatus nomen tueri mallet. Bononia parta
 Ioannes finitimis terrori esse cœpit, usque adeo ut Flo-

rentini antiquæ iniuriæ & Veneti recentis acceptæ
 cladis memores p̄tificijs copijs uires adderent, inito-
 que sc̄dere cum pontifice, confestim impetrarent, ut
 dirum illud religionis telum interdicens sacris in
 Ioannem vibraretur. Sed Olegiano duce Bononiæ im-
 posito felicibus armis urbem defendit, nec multo p̄st
 per Guliermum Grisantem pontificis Legatū qui po-
 stea Urbani Quinti nomine desumpto Pontifex factus
 est, quum is Mediolanū uenisset transactum est, ut tā
 quā beneficiario iure concessam à pontificē urbem
 retineret, & quotannis sexaginta pondo auri tributi
 nomine soluerentur. In Florentinos demum intestina
 malo laborantes, tanquam in ueteres & recentes ho-
 stes arma uertit concitantibus Vbaldinis, Vbertisq; &
 Pactijs exulibus, qui aucti uiribus Tarlatorum & Ca-
 saliorum, Aretij Cortonæq; principum, à Ioanne Anti-
 site tanquam Gibellinæ factionis principe patronoq;
 certissimo opem assiduis precibus implorabant. Ole-
 gianus qui ex eadem Vicecomitum ortus familia ip-
 sius Ioannis Antistitis filius putabatur, ab Olegioq; is
 ad Verbanum lacum pagus est, cognomen ferebat, è
 Bononia profectus Appenninum superat, ac Sambu-
 cum vicum in Pistoriensibus Alpibus capit, peruaga-
 tisque montanum agrum ad oppugnadam Scarperia
 ad duodecimum ab urbe Florentia lapidem descendit.
 Erant in exercitu supra ingentem peditum numerum
 decem milia galeatorum equitum, exules quoque ab
 Arni ualle armatis agrestibus opportunè in subur-
 banum agrum irrumpentes in seuis seuisque animis
 tecta obuia crudeli incendio deformabant: quare mœ-
 sta

sta & trepida ciuitas uti uiribus impar à socijsq; deserta, uel nō equam pacem appetebat. Nec Ioānes à pace abhorrebat, modo socijs Gibellinarum partium honesta conditione caueretur. Itaq; proclamatis inducijs indictus est locus Sergiano in oppido Lunensis agri quò conuenientibus totius Ethruriae Umbriaeq; legatis que rele omnes neglecti aut prætermisi iuris duobus disceptatoribus Guliermo Pallauicino pro Ioanne, & Carolo Strozza pro Florentinis deferrentur. Ferunt supra sexaginta urbium, illustriumq; Regulorum legationes coiuisse, pacemq; moderatis legibus singulis datā summa quidem cum laude Ioannis, qui clementi ingenio, detrimenta belli innoxii atq; immerentibus illata populis perosus, susceptum bellum optima pace quā cruciata uictoria finire maluerit. Nec obiter præmittendū uidetur magnanimi Præsulis factum inter multa memorabile, quo pontificium summæ seueritatis imperium facetissimo obsequij genere magnificat, simul & elusit. Paulò enim antè id tempus quum à pontifice expetentibus Florentinis Auenionem sub anathematis pœna citaretur, letissima fronte respondit se eò uti fidelem dictoq; parentem seruū decreet, instructa maturè profectio, uenturum, ut præsentis obsequio pro uolutus ad pedes sacrosanctum pontificem ueneraretur. Ceterum legatos præmisit qui per omnes urbis regiones amplissimas domos, persoluta eius anni pensione conducerent, ingentēque omnis generis comēatus copiam compararent, qua numerosus comitatus aleretur. Porro quæstor multa onustus pecunia, adeò in id profuse operā intendit, ut & mirū in modū

annona in foro cresceret & peregrini negociosiq; ho-
 mines ex omni Europa Auenionem ad pontificiam au-
 lam confluentes nullum omnino tectum aut hospitium
 in subri omnia occupante uacuum reperirent, & pro-
 palam populus & inquilini de annonæ caritatæ que-
 rerentur. Quibus uocibus permotus pontifex Medio-
 lanenses legatos cuncta prodigè coementes uocat, cau-
 sam quærit cur tantum commeatus accumulent, totq;
 passim amplissimarum adium hospitia inani sumptu
 ad querelam publicam conducant? Legati ita parare
 se iussos à Ioanne præsulæ respondent, qui septem mi-
 lia armatorum equitum, totidemque peditum, præsi-
 dij & comitatus causa sit adducturus. Intellexit illico
 pontifex quo rerum suarum periculo, Ioannes tantis
 instructus uiribus foret expectandus, leniterq; subri-
 dens tanti itineris laborem, præsuli tanquam occupa-
 to & præclare pontificij nominis studiose benignè se
 remittere dixit. Legati autem quum dimitterentur, ho-
 nestissimis uiris uirtutis nomine aut parum ditibus cõ-
 ductas domos gratuitò concesserunt, ita ut commeatũ
 quoque omnem, aut sacratis Cœnobijs aut è Plebe mi-
 seris & egentibus largirentur, tanta cum laude, ut ne-
 mo esset qui Ioannis causam non studiosissimè tuere-
 tur. Sed non multò post crescente potentia, ut plerun-
 que fit, inuidia uirtutis & felicitatis comes pariter cre-
 uit: formidabilis enim uel amicis ueteribusq; socijs ap-
 parebat, usq; adeo ut consternati metu Atestini, Gon-
 zaga, Scaligerique principes, fœdus inter se percute-
 rent, coactòq; numeroso exercitu castra fossis aggeri-
 búsque uallata, prope Mutinam adorirentur, sustinen-
 teque

teque impetum praesidio fortiter repulsi in Cremonam
sem agrum cuncta uastantes irrumperent. Haec castra
muniti instar oppidi Ioannes aduersus Regienses con-
struxerat, uidebaturq; inde non Regium modò, sed e-
tiam Mutinam inuasurus, ut à Bononia Placētiam suæ
ditionis continuum iter pararet. Hæc agitantem et se-
ptimum regnantem annum Augusto mense concepta
febris et lentis demum accessionibus producta in Se-
ptembrem, climacterico ætatis anno leniter extinxit.
Conditus est marmoreo tumulo iuxta Othonem ante
sacrarium templi maximi, ubi hæc carmina rubro la-
pidi incisa leguntur: quæ ex eius rudi sæculi memoria
ad iucundam ingeniorum æstimationem præterire
nolumus.

Quàm fastus, quàm pompa leuis, quàm gloria mūdi
Sit breuis, et fragilis humana potentia quam sit,
Collige ab exemplo qui transis, perlege differ,
In speculo speculari meo lachrymabile carmen,
Qui sim, qui fuerim licet, qui marmore claudor
Sanguine clarus eram, Vice comes stirpe Ioannes.
Præsul eram, pastorq; fui, baculumq; gerebam,
Nomine, nullus opes possidebat latius orbe
Imperio tituloq; meo mihi Mediolani
Urbs subiecta fuit, Laudense solū, Placen. grata,
Aurea Parma, bona Bononia, pulchra Cremona,
Bergoma magna satis lapidosis montibus altis,
Brixia magnipotens, Bobiensis terra, tribusque
Eximjs dotata bonis Derthona uocata,

Cumarum tellus, nouaq; Alexandria pinguis,
 Et Vercellarum tellus, atq; Nouaria, & Alba,
 Ast quoq; cum castris Pedemontis iussa subibant.
 Ianuamq; ab antiquo quondam iam condita Iano
 Dicitur, & uasti narratur Ianua mundi,
 Et Sauonensis Rax, & loca plurima quæ nunc
 Difficile est narrare mihi, mea iussa subibant,
 Tristia tota meum me: u:bant languida nomen,
 Per me obsessa fuit populo Florentia plena,
 Bellaq; sustinuit tellus Perusina superba
 Et Pisæ. & Senæ timidum rei. e: enter honorem
 Præstabant; me metuebat Marchia tota.
 Italiæ partes omnes timuere Ioannem.
 Nunc me petra tenet, saxoq; includor in isto
 Et lacerant uermes, laniant mihi deniq; corpus,
 Quid mihi diuitiæ, quid & alta palatia prosunt?
 Cum uibi sufficiat quòd paruo marmore claudor.

MATTHAEVS SECVNDVS.
SIVE LIBER VII.



Xtestamento Ioannis uniuersum imperium æquissima ratione trifariã diuisum, tribus Stephani liberis cecidit, ea conditione ut Mediolanum & Genua cõmunis essent ditiois, ab uno que tantum prætoze regerentur, quem pari iudicio delegissent. Reliquæ porrò urbes

bes nobilioraque oppida à grauiſſimis Iureconſultis amicisque communibus fideliter æſtimata, digeſtæque in tres portiones ſortè ex urna ſequerentur. Mattheo Bononia obuēnit, quæ ex ſolēni tranſactione quatuor urbes tanquam ſua membra ſecum trahebat, Laudem ſcilicet Pompeiam, Placentiam, Parmam, & Bobium in Apennini uallibus ſitum: item Lucum & Maſſam Togatæ Gallie, Pontemque tremulum ſupra Macram annem Apuanorum Ligurum caput, & Sancti Domini oppidum quod in Aemilia uia à Tarro anne ſeptem milibus paſſuum diſtat. Sed Matheus nequaquam diu Bononia potius eſt, Olegiano eius urbis imperium occupante. Is enim ſub id tempus quo Ioannes Archiepiſcopus ſuprema tentatus uale tudine decūbebat, cum rebellantibus patritijs atque arma capientibus in foro proſperè conſlixerat, coniurationiſque principes captos ſecuri percufferat: in quibus nonnulli ex Blanchis, Gozadinis, Bentiuoliſque & Sabadinis fuerant. Poſt id factum quum edificatam à Ioanne Antiſtite ueterem arcem egregiè permuniſſet, inuaſit eum libido arripiendi imperij, cuius ipſe præcipuus deſenſor extitiſſet. Itaque fortuna nefarijs cœptis aſpirante, prætorem militarèque præſidium Mathei, inſigni compoſita fraude urbe expulit, Bononiensèſque armis territos in nomen ſuum iurare coegit. Erat Matheus ingenio ciuili potius quam militari, nec ideo ad uindicandam iniuriam parato, ut pote qui nihil ex magno auro, ſi ſpeciem corporis demeres, præter nomen referret: ignobili enim ocio delectatus nequaquam bellica laude ducebatur, eiſque ſummis

curæ summæq; uoluptati erant accipitres, atq; ea omnis uenatio quæ uel scæminas admittens prorsus sine sudore exercebatur: has autè diurnas exercitationes, nocturnæ libidines excipiebant, quibus adeo intemperanter corpus atq; animum effœminauerat, ut interdus sæpe concubinas eneruatis uiribus cubitans, instillaret (ut Corius in historijs author est) muliebribus locis unguenta peregrina, quibus intermortuæ ueneris segnitiam prodigiosa titillatione suscitaret. Per huc modum fractis lateribus quum ad Seronum oppidum, ubi munitam pinnis domum ædificarat, medio itinere inter Mediolanum & Comum secessisset, diuturna febricula tabefactus interiit anno secundo post Ioannis patruï mortem: Valentina matre multis cum lachrymis à fratribus ueneno sublatum, usque adeo constanter asseuerante, ut Galeacio & Barnabæ diras imprecaretur. Matthæum enim ex sermone quodam inuidiæ pleno apud fratres exitiale odium parasse referebat, quod Crescentiaco in uico, ubi auum obiisse retulimus, quum fortè in coena Galeacius & Barnabas tanti imperij à maioribus conditi amplitudinem atq; opulentiam laudarent, omniumq; pulcherrimum fortunæ munus principatum esse fateretur, Matthæus incautè subiunxisset, id quidem sine controuersia uerum esse incomparabileq; uideri, modò Principatus socio confortè que careret, adeo ut non obscure Ioänem patruï perstrinxisset uideretur, qui secus ac magnus auus fecisset, non unum, Galeacij primi, atq; Actij exemplo: sed tres simul iniquo iure diuisi imperij heredes scripsisset. Id dictum sub amaro sale scômatisq; nomine prolatum,

latum, usque adeo in pectus fratrum altè descendit, ut sequenti cœna suillos lumbos cuius obsonij Mattheus erat appetentissimus, toxico illitos apposuerint. Duas habuit filias absq; ulla uirili prole, ex Liliola Gonzaga, Philippi Mantuæ principis filia susceptas, Cathari nam scilicet & Vrsinam, hanc Balthasari Pusterle patritio ualde opulento, illam uerò Vgolino Gonzagæ bellica uirtute illustri nuptui dedit. Tumulatus est ad Eustorgij templum iustis exequiis à Serono Mediolanum usque perductis, sed sepulchri marmorei honore titulòque Epitaphij caruit tanquam fratribus inuisus, & nihil laudis à literatis promeritus, quos in ea turpi supina uitæ desidia contempisset.

GALEACIUS SECVNDVS.

SIVE LIBER VIII.



GALEACIO Secundo cuncta prope quæ expeti mortalibus possunt, cum naturæ, tum fortunæ rarissima dona contigerunt, corporis enim dignitate & decore formæ lectissimos iuuenes supergressus, tum maxime seipso celsior & pulchrior euadebat, quum nouo more comam aurei coloris promitteret, complicatamque sepe in tricas & nonnunquam diffluentibus cincinnis per humeros expansam reticulato pileolo, aut florea corona castigaret, id enim eum decebat alio

qui lacteo colore atque ænea barba conspicuum uti
 uidere est ex multis eius imaginibus unaque præfer-
 tim equestri thoracata, quæ Ticini in arce ad sinistra
 porticum spectatur. Balthei militaris dignitatem Hie-
 rosolymis promeruit, quum religionis causa Christi
 sepulchrum inuisurus in Iudeam nauigasset: Belgico
 item bello, non secus atque Otho familiæ princeps su-
 periore sæculo in Syria Viperam, perpetuum gentis
 insigne ipse quoque prostrato nobili Belga, nouum
 gestamen insigni aquæ & ignis argumento, tanquam
 opimum spoliū retulit. Ex ipsa enim clypei pictura
 ardentes bini torres pendentibus totidem aquarijs fi-
 tulis, contrariæ potestatis facultatem exprimebant,
 usque adeo specioso emblemate, ut id ad posteros ipsos
 que Sfortianos in Vicecomitum familiam adoptatos,
 manarit. A Carolo autem Quarto Cæsare qui Medio-
 lanum aduenerat, solennibus codicillis rite confectis
 in Cisalpina Gallia atque Liguria imperio Vicarius
 est appellatus, pari dignitatis beneficio fratri Barna-
 bæ communicato, interque sacra solennia Cæsar Am-
 brosiano in templo, utriusque filios quanquam planè
 pueros, militari baltheo cinxit, Ioannem scilicet Galea-
 cium, qui demum totius imperij heres potentia formi-
 dabili supra cæteros Italiae principes euectus est, qui
 ex nomine nequaquam temere indito, duos summae uir-
 tutis atque prudentiæ patruos reserret, & Marcum
 Barnabæ, qui malè auspiciatum infelicis patruī nomē
 sortitus, ad frugem non peruenit. Cæsare ita multa pe-
 cuniæ a magnisque muneribus iam donato, in Germa-
 niam redeunte, multo certior quam antea nominis au-
 thoritas

thoritas amborum creuit, quæ demum perpetuo benevolentia studio & fraterna charitate adeo stabilita est, ut concordibus animis usque ad uitæ exitum quamquam diuiso imperio regnarint, mutuisque opibus bella gesserint, communem eum ducentes hostem, qui in ipsorum alterum arma moliretur. Ea enim æquitate defuncti Matthæi fratris hereditatem inter se diuiserant, ut urbem Mediolanum ab ortu Solis ad occasum per regiones ducta linea partirentur, & in urbe singulas arces ambo conderent, Galeacius ad Iouiam portam quæ Comum ducit, Barnabas ad Romanam, quod huic Conchana domus, illi Actiana curia, sicuti Matthæo antea Antistitis Ioannis ædes sortè obuenissent. Cesserat Barnabæ Bononia, quæ quum uehementibus armis repeteretur, Olegianusque pontificijs adiutus copijs strenuè resisteret, diuturni grauissimæque belli causam præbuit. Nam plerique principes & cum his Florentini Pisanique quibus odio atque timori consentientium fratrum opes erant, Conradum Landum Germanorum ducem & Marcoaldum cum Bohemis à Carolo Cesare Pisis impositum, præbita in triplex stipendium ingenti pecunia aduersus Vicecomites concitabant. ea tempestate ualidæ externarum gentium manus, ut tum aiebant, fortunæ auspicijs militantes, per Italiam prædabundo agmine uagabantur, hisque omnium regionum exules spe prædæ se commiscebant. Itaque Landus & Marcoaldus mira celeritate confectis itineribus, in agrum Insu-
brum peruolarunt, eorum aduentus cuncta ferro atque igne uastantium, magnam trepidationem

Mediolanensibus incussit, pertulere eas clades tantisper Galeacius & Barnabas, donec accitæ undique copie in una castra cogerentur, nec multò post instructo exercitu contra hostes progressi ad Casæ auratæ pagum signis collatis conflixerunt, eo quidem euentu, ut Marcoaldo capto Landus ipse post sauciatus ferme toto eius exercitu caeso captoq; effugeret, in quo sexmilia equitum, quatuor peditum fuisse narrantur. Secundum eam uictoriam Barnabas ad oppugnandâ Bononiam profectus ualidiores quàm putarat hostes inueniens multis acceptis illatisq; detrimentis longo & difficili bello implicatur: nam Florëtini, Pisani & principes Ferrariensis, Mantuanus, & Veronensis, communicatis consilijs cum Egidio Pontificis legato fœdus renouarant, ea mète ut defensa Bononia duorum præpotentium fratrum uires non paterentur nimio plus crescere, parte alia Ioannes Marchio Montisferrati à fœderatis incitatus, Galeacio graue bellum inferret, cum capta ex insidijs Alba Pompeia, & Ticino urbe prodentibus Guelfhis occupata, Anglorum ualidam manum in Italiam exciret. Ea gens ex Britannia insula in continentem Gallie transfueta, confectis Belgicis bellis in Prouinciam sese effuderat stipendia & prædam passim querēs. Sed ea fuit Galeacij felicitas ut ab Anglis Albam reciperet, & Ticinum uarijs prælijs famèq; perdomitum in potestatem redigeret, capto Busfulario cucullato sacerdote, qui nefarijs concionibus Ticinensem populū circumducēs, miseræ urbis crudelis Tyrānus euaserat. His rebus prosperè gestis Galeacius coactis undiq; copijs Barnabæ uires attenuatas duobus aduersis

aduersis prælijs faciliè restituit. Quibus auctus uir acer & indomitus tanto impetu Bononiensium agrum populatus est, ut Olegianus desperatis rebus, urbem temere occupatam Egidio legato tradere cogeretur, Firmum Piceni agri urbem perfidiosæ pactionis præmium accipiens. Sed quum Barnabas iratus Egidio non secus atq; Olegiano nihil de belli apparatu remittendum arbitraretur, foederatæ ciuitates ingentes copias Vgolino Gonzaga Imperatore in agrum Insu-
brum miserunt, rati Barnabam fraterno periculo ad-
ductum Bononiensi agro detrabi, & trans Padum re-
uocari posse. Sed Barnabas Vgolinum traiecto Pado, & Nouaria capta magnam perturbationem Galeacij reb. afferentem, parib. belli artibus auertit, insecto enim exercitu Mantuanorum fines ingressus perrupto-
que Serrallio quæ est munitio ab amne Pado ad Muti-
nam perpetuis aggeribus suburbanū agrum comple-
ctens, Mantuanos duce præsidioq; nudatos adeo per-
culit, ut Vgolinus uel in ipso felici speratæ ingentis ui-
ctoriæ cursu, de imperio salutēque ciuium suorum ma-
gnopere sollicitus, pacem petere cogeretur, cognatio-
nemq; nouo foedere confirmaret. Eo modo pace parta
& Barnaba nihilo secius pertinaci studio Bononiæ
principatum tanquam sibi fraude creptū ualidis armis
repetere, Galeacius externas affinitates, decoras quidē
regio fastu, sed sibi & posteris dānosas & ferē exitia-
les quæsiuit, Isabella scilicet Caroli Galliæ regis sorore
Ioāni Galeacio filio expetita, Leonatoq; Clarētio Bri-
tāniæ regis filio in generū adscito, huic enim ex nuptijs
Violantis quum ducenta milia aureorum nummūm

dotis nomine recepisset. Mons etiam Regalis atq; Alba Pompeia urbes cesserunt. Isabella autem quæ Mediolanum uenerat usque adeo socero grauis fuit, ut ducentis milibus aureorum constiterit, quanquam Virtutis oppidi ditio, honestissimæq; appellationis titulus, nouo sponso nomine dotis accessisset. Leonati porrò aduentu tantæ opes admirabili liberalitate profusæ sunt, cum, & nuptiale epulum daret, & equestres ederet ludos, & Britannos ex generi comitatu supra ducentos eximiiis donis adornaret, ut opulentissimorum regum splendorem superasse censeretur. In conuiuio enim in quo Franciscus Petrarcha inter principes conuiuas discubuit, singulos serculorum missus, qui supra triginta fuere, totidem inusitatæ magnificentie munera sequebantur: ea omnia Ioannes Galeacius delectæ iuuentutis princeps, ad mensam perducens Leonato obtulit. Fuere in uno tantum missu septuaginta equi insignes argenteis & sericis ephippijs strati: In alijs uerò uasa argentea, hierofalcones, uenaticicanes, equestria arma, nobiles lorice, solidoque ferro splendidi thoraces, galeæq; item & cassides præaltis conis exornatæ, indumēta margaritis picta, baltheimilitares: postremò præstantes aliquot gemmæ aureis emblematis insertæ, & aureæ purpureæq; telæ ad uiriles uestes uis ingens. Is porrò conuiuij apparatus fuit ut relatæ à mensa dapēs, decem milibus hominum abundè sufficerent. Sed non multò post Leonatus quum nouæ nuptiæ operam daret tempestiuisque conuiujs ad patrum moris disciplinam, alieni cœli ignarus intemperantius uteretur, ad Albam morbo consumptus interiit. Violantes

demū Othoni Marchioni Montisferrati, nuptui data est, sed nihilo felicioribus auspicijs, quum Ottho in mōtibus Parmensium ab agresti agasone confossus, ignobili fato perierit. Cæterum Galeacius diu antea seuissimis articulorum doloribus iactatus, quum filius præalta indole militaris Imperij munia capescens Asta recepta, Vercellisque defensis Subalpinum bellum felicissimè confecisset, in supremum incidit morbum, Nonisque Sextilibus defunctus est, anno à partu Virginis septuagesimo octauo supra Millesimum & trecentissimum, uitæ quinquagesimo nono, Imperij autem uigesimo secundo. Delectatus est in toto uitæ cursu, quum ex bellicis occupationibus subcisiua ocia suraretur, nobilioribus literis, historijsq; præsertim, habuitq; in honore præstantibus disciplinarum omnium & nobilium artium studijs insignes, ex hisque præcipuè Franciscum Petrarham amœna ingenij fertilitate florentem, cuius hortatu bibliothecam condiderat, quum munere beneficioq; Caroli Cæsaris Ticini celebre Gymnasium instituisset. In puniendis reis etiam si natura planè lenis & exorabilis uideretur, ita clementiam cum seueritate miscebat, ut præscriptas leges non temere præteriret. Magno autem incorruptæ iusticiæ, exemplo fuit Picardonus Vassallius è Vercellis in furca latronum more strangulatus. Hunc Belgici exilij comitem, proptereaq; ex humili fortuna ad præfecturam ærarij prouectum, indeque seui prædonis more, nullo metu pudoreue immensas opes cõgerentem repetundarum & peculatus reum populus fecerat, iudicesque damnarant, ita ut princeps nihil omnino ex

damnati bonis neq; in fiscum neq; in ararium se re-
 ducturum testaretur, liberèq; responderet sibi lege a-
 gendum uideri, atq; eo quidem seuerius, quòd supra
 furti noxam grauioris flagitij nomen ferret, quando
 mortalium ingratisimus fuisset. Nimia quoq; & penè
 crudeli seueritate in prætorem ad uicum Iriæ animad-
 uertit, quòd præscriptos ex indice quosdam exules fa-
 ctiosos atq; sicarios persequi, captosq; statim laqueo
 necare iussus propinquorum præcibus, pœnam tã diu
 suspenderat, donec Ticini princeps adiretur: ex ea e-
 nim cunctatione Galeacius quòd iure actum credebat
 amicis supplicantibus facile damnatorum uitam qui-
 dem concessit, sed mox prætor tanquam officij oblitus
 fontibus seruatis, atq; ante carceres inspectantibus, se-
 curi ictus est. Sumptuoso autem ædificandi studio, ma-
 gnificisq; operibus Romanæ potentie monumenta lu-
 culenter imitatus, Mediolani arcem Portæ Iouis mira
 celeritate construxit, quum antea è regione templi ma-
 ximi, anteriorem curiam uastis porticibus atq; cœna-
 culis & media latissima area ad equestres ludos admi-
 randam Actianis ædibus adiunxisset. Pontem uerò la-
 pideũ Ticino anni Papiæ imposuit, mirabilis structu-
 ræ, cum perpetuæ contignationis tectum aduersus so-
 les & pluuias sustinentibus ab utroq; podio siliceis
 columnis superinduceret, & utraq; pontis capita sin-
 gulis propugnaculis muniret: arx demum in superci-
 lio decliuis urbis ad boream extructa, condecorataq;
 eximijs picturis ita spectantiũ oculos ad admirationẽ
 conuertit, ut Petracha nihil adulatus Galeacium, eo
 incomparabili ædificio quum ceteris operibus ma-
 ximos.

ximos Europæ reges anteiret, seipsum superasse perscripserit. spatium enim quadratæ formæ ducentorum ferè stadiorū perpetuo muro circumplexus opprtunè ad omne genus uenationis addiderat, fundis nonnunquam antiquis possessoribus iniquo pretio ademptis usque adeo impotenter, ut Bartholus è Xysta familia quū paterno agro pelleretur iniuriam frustra deprecatus, equitanti Galeacio uentrem cultello perfoderit leui quidem inflicto uulnere, quòd magno casu in ipsa balthei fibulam cuspis incidisset. Cæterum in fronte arcis supra portam ad uiridaria perducentem hoc uel rude carmè in marmorea tabula legebatur, antea quàm tormentis Gallicis ea muri pars cum inscriptione perfracta concideret: extabant & lata insignia gentilitiæ Viperæ insculpta scuto, uti moris est superstante galea cum frondoso cono ad similitudinem eius qua in prælijs uti erat solitus. Id autem eo libentius ne periret apposuimus, quòd Galeacius temporario ligneoq; tumulo conditus, dum ad nobile sepulchrum sero marmora pararèntur; Epitaphio caruit.

Hac Galea Galeæ castrum defendit & urbem,
 Et ferus oppositos uiolenter comprimit hostes,
 Inque fugam uertit timidam mucrone potenti,
 Tractabitq; suos ut fratres frater amicos
 Et sibi subiectos cultu pietatis, & omnes
 Defendit populos, sibi quos Diuina potestas
 Credidit, & longam dabit his per tempora pacem
 Præ cunctisque piam mens est seruare Papiam.

BARNABAS

SIVE LIBER

NONVS



ARNABAS materni aui
nomen tulit, eo quidem euentu
ut ab Auria gēte naualibus ui-
ctorijs incliyta, atq; innata uir-
tutis nomine maxime superba
feroces atque indomitos spiri-
tus accepisse diceretur. impe-
riosus enim, immitis & asper euaserat, plane maio-
res Aurias æmulatus, Brancham Paganum, Lambam,
& Lucianum, qui iuxta rei naualis disciplinam natu-
rali conditione prædurā atq; atrocem, cruentis exer-
citati prælijs crudeles apparuissent. Sed qui tantoperè
seuerus existimari poterat infracto quodam corporis
atq; animi uigore, uti semper armatus atq; auidè pu-
gnax, unaq; ea quæ cuncta uitia præclare contegit, &
studia militum parat, insigni liberelitate, cæteris eius
ætatis ducib. præcellebat. In toto uitæ cursu, quum bel-
la continenter gereret, nunquā conquieuit, quod bella
ex bellis sererentur, neq; pax stabilis neq; induciæ diu
uigerēt, inter suspectantes atq; hostilia ex obliquo mo-
lientes. Id enim unum ei non iniquæ ambitionis, uerū
maximè odiosæ pertinaciæ consilium fuit, ut Bononiā
Olegiani perfidia sibi ereptam interceptamq; demum
fraude Egidij legati, in potestatem redigeret. Qua si se
mel po-

mel potiretur, Florentini, Lucenses, Pisani, & uicini principes nequaquam diu se tutos fore providebant. Factum est ex ea contentione, ut cum Pontifice coniu-
 rarent, coniunctisq; maximis uiribus pellendos excin-
 dendosq; Vicecomites arbitrarentur, propterea cōdu-
 cti sunt cōmuni ære in Italiã Angli & Britones ex Ar-
 morico Oceano, Hispaniq; Albornocio duce, & Hun-
 gari demum ex Pannonia Simone præfecto & postre-
 mò iterum accitus in Italiam Carolus Quartus Impe-
 rator. Sed bellum uaria fortuna utrinq; gestum cum fi-
 nem habuit, ut Barnabas non longè à Bononia ad Ra-
 phaelis templum profligatus uictusq; iterum ad Gua-
 stallam, detrimenta accepta nouis uictorijs ingenti ani-
 mo resarciret. Nauali enim certamine in Pado infra
 Vitellianam hostes superarat, constructaq; insigni mu-
 nitione ad Burgum fortè ita locum aduersus præsentè
 Casarem defenderat, ut perruptis demum Padanis ag-
 geribus, totū penè profluentem in Mantuanos agros
 effunderet. Quibus detrimentis illatis, omnibusq; iam
 planè fessis, & pecunia exhaustis, necessaria pax, sed
 non planè stabilis cum pontifice ceterisq; foederatis
 facta est, non abnuente Carolo, qui Arionisto Baiorio
 Vindeliciæ Regulo Barnabæ propinquo interprete:
 quum belli tadio in Germaniam uocaretur, accepta
 pecunia & confirmata uetere cum Vicecomitibus ami-
 citia non multò post domum redijt, sic ut ab ea pace
 Barnabas tota spe recuperandæ Bononiæ decidisse ui-
 deretur. Verim eo minore cum dolore, quòd ad sola-
 tium irriti conatus Regium Lepidi à Feltrino Gonz-
 ga præsentì pecunia coemptū in potestatè redegisset.

Incredibile dictu est quantum utriq; fratrum appetita oppugnataq; Bononia constiterit, quæ nouem bella ex hisdem causis rediuiua, cum summo amittendi imperij periculo paucis annis adduxerat. Ferunt enim in bellicos sumptus supra trecentas myriadas signati auri expensas, ita ut mirum uideri possit tantas pecunias ex urbib. imperio subiectis imperari atq; exigi potuisse, quum ambos fratres pari atq; insatiabili mutue æmulationis libidine ad insaniam ædificantes, multo maiorem pecuniam in calcem & lateres contulisse uideamus. Inter nobilia opera Barnabæ præstantissimū fuit Tritianæ arcis pons admirabili forniciis structura anni Abduæ impositus, usq; adeo in altum exurgens, ut tribus super ædificatis transitorijs aditibus, infimo currus cum machinis & impedimentis, medio equites summo peditatum uno tempore transmitteret. Cōstruxit quoq; arcem ad Romanam portam, quæ Conchanæ domui iungebatur ponte pensili supra tecta priuararum ædium perducto, instar longissimæ porticus, cuius adhuc aliquot intercisa membra, supra Crassorum domos spectantur. Brixie arcem condidit, quæ ex molli cliuo urbi imminet. In suburbanis autem Modoetiā maiorum opus luculenter imitatus, ad Lambri annis ripas Melenniano in uico domum per amplam munitæ arcis persimilem cum latericio ponte construxit, & quod egregiæ pietatis opus adhuc extat, laxos carceres Mediolani instituit, in quo egestatis ultimæ debitoribus & extra capitalem poenam damnatis alimenta gratuita præbentur. Sed uel immensas ærarij diuitias uni dotales sumptus exhaurire facile potuerunt,

quum

quum numerosam prolem nobilissimis Europæ principum domibus insereret. Viridem enim Leopoldo Austriæ Norici regulo, Thadeam Stephano, Magdalenam Federico Baioarijs Vindeliciæ principibus. Valentinam Federico Cypri regi collocavit, quum Agnetem Franciscò Gonzaga, Catharinam Ioanni Galeacio fratris filio, Antoniam & Anglesiam Conrado & Federico Wirtembergensibus Sueviæ regulis nuptui dedisset, Lucia subinde Edmundo Britannia regis filio tradita, ut in remoto etiam Oceano sobolem propagaret. Ex filiabus autem nequaquam ex Regina uxore susceptis, generos sibi adsciuit bellica uirtute clarissimos, quum Ioanni Aucutho Britanno Donninia, Lucia Lando Germano ad Brigantium lacum illustri traderetur. Quarum omnium dotes cum luculento mundi mulieris apparatu, uicies centena milia aureorum excessisse constat, nec tot sumptus tamq; immodici Barnabam deterrebant, ut quicquam de splendore uitæ remitteret quin filios diuersis magnis in domibus cum frequentibus & liberaliter ornata familia alendos arbitraretur. Erant legitime prolis Marcus, Ludouicus, Rudolphus Carolus, & Mastinus, quibus imperij urbes atq; oppida per æquas partes diuiserat, quum totidem ex damnato coitu susceptis, latifundia & domos honestosque redditus, donationis iure tribuisset. Erant ij Ambrosius, Eustorgius, Palamedes, Lancelotus, & Sacramorus, cuius stirpis se esse fatentur ij Vicecomites qui præcipuam nobilitatem à Matthæo Magno repetunt, quum legitima soboles in Philippo principe defecerit: ex his autem Ambrosius tanta militaris ingenij indole supra cete-

ros omnes emicuit, ut eo duce Britānisq; militibus præfecto, Barnabas cum Romano Pontifice, Ioannaq; Apuliae Regina, Florentinisq; itē atq; Liguribus uario euentu bella gesserit. Sed Ambrosius in Bergomatū montibus quum auide rebelles persqueretur, præceps datus in insidias, ab agrestib; est interfectus, tanto patris dolore, ut montani uindicante irato patre supremæ cladis poenam subierint. Cæterum hæc diuisi imperij sortitio eum habuit euentum, ut unusquisq; eorum dolore nimis angustæ ditionis Ioanni Galeacio patrueli multo opulentioris imperij fortunā inuideret, & de eo cuncti sepe contemptim & criminose loquerentur. Regina siquidem mater ambitiosa superbaq; mulier iuuenes suo pte ingenio elatos & supra censum sumptuosos quotidianis sermonibus impulerat, ut immoderata percuperent, audendoq; & moliendo aliquod insigne facinus, ad præ alta, uti generosos deceret, aspirare cōdiscerent, sicut non obscure indicare uideretur sublato patruuele, hoste uerius quàm propinquo, ipsos confestim ex opulenta hereditate potentes & planè beatos euasuros. Cæterum non multò post Regina fato funesta Barnabas cum liberis eadem spectare coepit, ut pote qui tot filios arario suo graues prætenui atque ob id infirma ditionis conditione regnatos prospiceret. Sed dum scelestæ consilia miscet, & diri odij cogitationes extendit, Ioanni Galeacio cuncta produntur. Is graui callidoq; ingenio, audita explorataq; dissimulat, & aduersus insidias sese domi & foris præmunuit intimi officij ministeria coarctat: abdicatō que luxu mensam certis dapibus astringit: custodiam uerò

corporis ex fide ueteranis adauget, nec arcis limine pedē effert: nisi explorato præcuntib. scilicet armatorum turmis, & prætoriam cohortem circumfusa; ante omnia porrò ad struendū ex longinquo dolū suburbana templa supplicabundus sæpe inuisens conceptæ religionis, & demissi pauentisq; animi signa præbet. Quibus artibus usque adeo in contemptum uenit, ut nihil uirile, uel ab astuto patruo sene cogitare putaretur, & patruales nonnunquā dictarent aliquanto eum opimo sacerdotio quàm tanto imperio digniorem uideri. Itaq; cōmunicato cum paucis consilio, edicens se Mariæ uirginis templum quod est in mōte supra Varesiū oppidum multis miraculis atq; donarijs uenerabile, soluendi uoti causa profecturum, è Ticino Mediolanum contendit. Nec differt Barnabas quin ueniēti honoris causa occurrat, quāquam improviso aduentu perturbatus pudore metum uincente paululum cunctaretur. Nec multò post Vercellensi porta prodeūtem dato signo armati equites inermem & mulauectum comprehendunt, & in proximam portæ Iouis arcem cū Marco atque Rodulpho filijs deducunt. At Ioannes Galecius continēter armata agmina in urbē introducit, domosq; capti fratris tanquam hostis ad excitandam plebem, opportuno astu diripiendas populo præbet: fit maximus in urbe tumultus cunctoq; temporis memorabili fortunæ ludibrio tantæ opes euertuntur: nec quisquam omnino repertus est qui opem ferret, quum amici pariter atque hostes in opulētissimæ Gazæ accruos auidè grassarentur, & maledictis Barnabam, uti crudelem Tyrannum incesserent; nec in ea licentia

publicanos & quaestores uti populo inuisos ulla uel in
 sterquilinijs latebrae diu tegunt, arx quoq; ipsa attoni-
 tis custodibus paucas post horas deditur, e qua septem
 plaustra elaborato argento & pretiosa suppellectile
 omniusta signataeq; item aureae monetae septingenta mi-
 lia educta fuisse referuntur. Nec tanta calamitas prodi-
 gio caruit: domus enim Palatina septimo die ante cla-
 dem adeo uehementer de caelo tacta est, ut intimi cubi-
 culi peristromata deflagrarent, & Viperæ marmoreæ
 fastigio superstantes fulmine frangerentur, uates quo-
 que domesticus cognomento Medicina ut nonas Maias
 eo anno trium syderum coitu infaustas caueret, multò
 antè prædixerat, & tum in fata sua properantè, reten-
 tare fuerat conatus, occulta enim uis fati tū maximè ur-
 gebat, quum misero mentis arbitrium eriperet. Eius se-
 rat paulò antè Barnabas ad inexpiabile odium popu-
 li, seipso acerbior & seuior, durum & atrox eius in-
 genium, senecta nihil molliente: quippe qui inopia ra-
 pax, infamis auaritiæ nomen immanni crudelitate cu-
 mularet: nam præter perpetua inclementer imperatae
 atq; exactæ pecuniæ detrimèta illata populis, noua
 etiam atq; atrocissima lege promulgata, inquiri com-
 prehendiq; eos iusserat, qui quinquennio antè contra
 uetus edictum apros occidissent, aut ex his uel in alie-
 na mensa comedissent, usq; adeo in exorabili damnatio-
 ne, ut supra centum ex miseris agricolis laqueo suspen-
 derentur, reliqui uniuersa substantia mulctati exilio so-
 lum uerterent, diuiserat enim per pagos uenationib.
 opportunos multa milia uenaticorum canum grauissi-
 mo incolarum sumptu alenda curandaq; cum uicatim
 per sa

per familias distribuere, & præfetti uenatorio
 apparatus multis cum ministris passim regiones circu-
 irent tremendo superba censura instituto singulos can-
 nes ex indicis uolumine inspectantes, ut insolenti iudi-
 cio quos uellent uerberibus pecuniâq; punirent, quum
 pari mûlta damnarentur, qui strigosos & graciles tã
 quam inedia malignè eneruatos, & contra obesos tan-
 quam nimia pinguedine inertes factos, aut impexis uil-
 lis malè curatos produxissent. At Barnabas in Tritia-
 nam arcem ab se edificatam deductus, septimo carce-
 ris mense cum regnasset annos triginta, uixisset sexa-
 ginta sex, ueneno fasellis indito, ut fama tum fuit, ex-
 tinguitur eo quidem æquiore animo tolerata calami-
 tate, quòd in manibus Donniæ Porre adamatæ an-
 tea concubinae, in ipsa extrema uitæ sorte non planè
 miser expirarit. Hæc Ioannis Aucuthi Britanni socrus
 fuit, quæ calamitatis ultro consors supremum in tantis
 ærumnis misero seni solamen attulerat. Cadauer Me-
 diolani Conchano in templo tumultatum est, statua e-
 questri ex marmore Lunensi superstans in eo ipso ar-
 morum cultu, expressiq; oris habitu, quo bella gesserat,
 nullo tamen epigramate addito, cum iuxta cubans Regi-
 na uxor marmoreo sepulchro tale carmen meruisset.

Italiæ splendor Ligurum Regina Beatrix

Hic animam Christo reddidit ossa suo,

Quæ fuit in toto rerum pulcherrima mundo

Et decor, & sanctæ forma pudicitiaë,

Laurea uirtutum, flos morum, pacis origo,

Nobilibus requies, ciuibus alma quies.

Quam patris extollunt Mastini gesta potentis,
 Veronæ nuptam magnificiꝫ; Canis,
 Barnabas armipotens vicecomes gloria Regum
 Naturæ pretium conspicuumq; decus,
 Qui Mediolani frenos, & lora superbæ
 Temperat Ausoniæ, quem timet omne latus
 Hac consorte thori felix consorte laborum
 Exegit longa prosperitate dies
 Hanc deus elegit secum periturus & inde
 Spiritus ætheri regnat in arce Poli.

IOAN. GALEACIVS

SIVE LIBER

DECIMVS.



N IOANNE Galeacio à primis statim pueritiæ initijs usque adeo mira grauitatis atque prudentiæ species enituit, cum in eo supra captum eius ætatis solertia, iudicium memoriæq; uigerent, ut eum pleriq; ex ratione physica citissime morituum crederent, neque unquam tantas præcocis eius ingenij dotes ad opimæ frugis maturitatem peruenturas arbutarentur. Ferunt enim sicuti in Petrarchæ uita legimus Galeaciũ patrem quum ex consuetudine consilium aduocasset, multiq; insignes togati uiri in intimũ conclaue admissi consediissent, à puero tum sorte intentis oculis procerũ ora at-

ora atque habitum contemplante per iocum quasi uis-
 se, quis nam sibi ex eo numero sapientior uideretur: tū
 uerò puerum qui tum erat quinquennis suspēso uultu
 consideratis singulis demum accessisse ad Petrarham,
 quem nunquam antea uiderat, & blandè arrepta toga
 eum orasse, ut se ad patris sellam sessum perducere pate-
 retur, statimq; magnum cum admiratione omnibus ri-
 sum obortum quòd puer perspicaci iudicio omnium
 longè clarissimum ea tempestate poetā delegisset. Nec
 eum per omnes ætatis gradus summa cura à lectissi-
 mis præceptorib. atq; nutritijs educatum, quin in eun-
 dem iudicij morumq; tenorem incumberet, natura de-
 stituit. à pueritia enim ad integram ætatem prouectum
 in tanta actionum uarietate tale semper ingenij speci-
 men edebat, ut eius opinionem naturæ præsidio firma-
 tam corroboratamq; multa historiarum lectione, atq;
 usu rerum nemo falleret, atq; omnia uel planè fortuita
 præsentens consilio Fortunam regere uideretur. Nec
 id hercle mirum erat, quum inueterata consuetudinē
 multū ipse solus deambulando meditari, cum peritissi-
 mis in omni negotio deliberare, exempla rerum ex an-
 nalibus repetere, instituta maiorum quæ euentus belli
 comprobasset diligenter imitari esset solitus. Nullæ e-
 nim cum uoluptates uenationis aut aucupij, non aleæ
 ludus, non illecebræ muliebres, non sannionū aut scur-
 rarum fabulæ à negocijs auocabant: exercebat corpus
 modicè ad rationē tuendæ ualeitudinis, animū remitte-
 bat eruditorū colloquijs & frequēti lectione, secretisq;
 item cōmentationib. ad iustitiam pietatemq; reuocatis.
 Cōduxerat liberalibus stipendijs omnium disciplinarū

professores, qui in Gymnasio Ticinensi à patre condito iuuentutem docerent. Bibliothecam porrò, erecto iuxta delubro in quo diuorum & martyrum reliquie pretiosis distincte loculis seruabantur rarissimis codicibus referferat. Ex ordine profitentiu celeberrimi tũ fuere, qui monumenta ingenij posteris reliquerunt, in iure ciuili Baldus & duo Raphaeles, Fulgosius atq; Comensis, & Segnorolus Amadeus. In philosophia Vgo Senesius, & Blasius Pelacanis à Parma cuius etiã extant in Astronomicis, disciplinãq; optices subtilissimæ quaestiones; Tres quoq; medici, Marsilius à Sancta sophia Syllanus Niger, & Antonius Vacca, quorum cõmentarij in Scholis hodie præleguntur. In tradendis autẽ Grecae linguae præceptis eminebat Emanuel Chrysoloras Byzantius. Sed supra doctores omniu disciplinarũ erat cõspiciuus Petrus Philargus Cretensis, sacrarũ literarũ interpres, qui postea Pontifex euasit & Alexander Quintus est appellatus. Ex hoc præsertim lectissimo genere hominũ, & ex his qui usu rerũ & prudentia ualere cõsiliaros uberrimis honestatos supẽ dijs ascuerat, ut nõ planè mirũ uideri posset, postquã ipse illustri iudicio polleret, si in cõsilio exactissime deliberata dicussãq; ex uoto plerumq; felix euentus sequeretur. Cuncta sub eo officia quæ tanti imperij administrationẽ respicerent admirabili ordine constabant: nihil enim in toto humanarum rerũ negocio, domi & foris ipso ordine esse præstantius differere erat solitus; quo uno & ipsa in primis res militaris, & actio ciuilis omnis, & domestica disciplina, ueluti certissima compage regerentur. Imperia autem iussãque in maximis
 minimisq;

minimisq; rebus de scripto exhibant, & rerum omnium
 sumptuaria rationes, amplissimis codicibus mandabā
 tur; ex quibus ministrorū fidem & diligentā exigebat
 & per censores quidē spectatae probitatis, qui singula
 pro meritis ad pœnā & premiū reuocarent. Erant au
 tem in eius aula infiniti propè librarij amanuenses,
 atq; notarij, qui per singula officia rationū præfectis
 operā nauarent, tanta cura religioneq; ut non modò
 totius imperij urbiumq; stati redditus, & custodiarum
 sumptus, sed si quid in publica ludorum spectacula im
 penderetur, & quot fercula sigillatim in solennib. con
 uiuijs uenirent, & quid claris hospitibus donaretur,
 ad exemplum atq; ad memoriam scriberentur. Vidi
 mus in archiuorum eius armarijs, admirandos codices
 in membranis, qui in singulos annos ducum & præ
 fectorū ueteranorumq; militum nomina, singulorū
 que stipendia, & alarum ac turmarum indices contine
 bant descriptaq; item exempla literarum, quæ in gra
 uissimis gerendi belli & conficiēda pacis negocijs aut
 ipse ad principes scripsisset; aut ab illis accepisset; ut si
 quis iustā historiam condere uelit, non aliunde uberio
 rem certiorēque materiam desideret; quando ex
 his bellorum causæ, consilia, & rerum gestarum
 euentus facillimè deprehenduntur. Apud patrem pa
 truumq; Barnabam Germanorum & Britānorum ad
 uentu rudimentum militiæ posuit: nec multò post quū
 uigesimum tertium ætatis annum impleffet, à patre
 commentitio nomine emancipatus est, in patrimo
 nij partem Nouaria, Vercellis, Asta, Alexandriaq;
 ei traditis, ut inde Othoni Montisserrati Regulo sēper

hosti, nec unquam quieto, dissimulante patre arma inferret. Sed dum in eo bello uersaretur, prodentibus. Gaclphis Vercellas amisit. Allobrogum enim Regulus, quanquam ei esset auunculus, & Elisci Ligures periculi sui admoniti, Othonis sibi finitimi iniurias defendebant; accinerantque auxilia Pontificiarum copiarum, arcemque Ioannis Galeacii presidio custoditam circumuallarant, usque adeo ualidis circumpositis stationibus, ut Ioannes Galeacius non semel obsessio presidio, opem ferre conatus, quod hostes castra castris contulissent, plane circumuentus obsideretur; tandemque presidium urgente fame, & desperato comite ex conditione arcem dederet. Sed aliquanto infelicius Britannorum aduentu arma tractauit: nam a Ioanne Aucutho Britannorum clarissimo duce qui ab amicitia Barnabae discedens, Pontifici & Florentinis adhaeserat, in Brixiano agro acie uictus profligatusque est usque adeo graui accepto detrimento, ut eius duces ferme omnes cum uexillis caperentur, & ipse celeri fuga e manibus hostium agre sese eriperet. Ab his infaustis susceptae militiae iniurijs, cum satis superque cum uirtutis, tum fortunae suae periculum fecisse uideretur, mortuo patre per legatos bella gerere constituit, quod unicus patris haeres ex tra infesti Martis discrimina sibi omnino parcendum, alienaque uirtute quae pecuniae mercede pararetur, subeundam praeliorum aleam existimabat; rebaturque uti natura cautus exacteque prudens, & uti mox apparuit, consilio quam manu ualidior, se domi quam foris felicior euasurum, pollicentibus praesertim ex genitura Matheisticis maximas opes, ad auctum imperium, hostium calamitates.

calanitates, sumamque gloriam si armorum pericula deuitaret. Neque fatidici uates, aut ipse naturæ Genius humanæ uoluntatis arbiter, fidem sefellerūt. Paucis annis admirabiles adeptus uictorias, ita inimicos perdidit, cecidit hostes, imperij fines protulit, ut aridentis fortunæ fiducia subnixus, totius Italiæ regnum affectaret. Iam enim eum Ladislaus Cæsar nouo honoris titulo honestarat, quum ex sollemnibus codicillis primum Mediolani Ducem sceptro pileoque eius dignitatis insignibus per legatos transmissis appellasset. Formidandæ ambitiosi Principis erant opes, & quod longè omnium amplissima, & quod ultra summam prudentiam ueterano milite, strenuisque & præclare fortunatis ducibus niterentur. Scalligeris Veronam atque Vincentiam ademerat, Carriensibus uerò Patauium, Francisco seniore in Modetianum carcerem coniecto; præterea Taruisium, Feltrium, Bellunum, montanæque oppida cum Tridento in potestatem redegerat. Perusini & Assisiatæ ad eum à pontifice defecerant. Senenses tedio incertæ libertatis, ad eius auctoritatem finitimos Pisanos secuti se contulerāt; quū nec Lucenses imperiū eius abnuerent, propterea Florentini non obscuro percussime tu, potentissimi hominis uim suspectantes ei undique circummissis per omnem europam legationibus, graue bellum concitabant, Roberto præsertim Cæsare in Italiam excito, & Gallis duce Armeniaco cis alpes perductis. Sed eos externarum gentiū conatus ita sustinuit, ut Gallos uirtute Iacobi Veruij ad Alexandriam ingenti pugna superatos, inter

fecto duce deleuerit, Casaremq; à Brixianis alpibus se
 dimittere ausum, opposito Facinio Cane, primas Ger-
 manorum alas profligante, in Germaniam retruserit.
 Exinde ad uindicandas iniurias pergens, Franciscum
 Gonzagam Mantua obsessum, deriuatis Pado atque
 Athesi per amissarios, & penè summersa urbe, pacis
 conditiones accipere coegit. Nouissimè ad Casalectū
 iuxta Bononiam, Pontificis, Florentinorum & Bono-
 nienisum ingentem exercitum, Bernardone Aquitano
 fortissimo duce capto, collata acie profligauit, ab eaq;
 statim uictoria urbe Bononia potitus est, pro qua ab
 excessu Ioannis Antistitis per quinquaginta frè an-
 nos fuerat dimicatum. Nec multo post uictoricibus co-
 pijs in Etruriam per Apenninum tantum terrore Flo-
 rentinis intulit, ut demissi animo ciues, nequaquam in
 domesticis praesidijs, sed in una tantum impotentis atq;
 irati hostis morte salutem reponerent. Nec eorum uo-
 tis Fortuna defuit: in arce enim Melenniani, Romana
 uita supra Lambrum pestilenti febre correptus excessit
 è uita, pridie nonas Septembris, anno à partu Virginis
 supra millesimum quadringentesimo secundo quum
 etatis annum quinquagesimum quintum attingeret,
 imperasset autem annis uiginti quatuor. Duos ex Ca-
 tharina Barnabae filia impuberes filios Ioannem &
 Philippū reliquit. Cū autē ex Isabella Caroli Galliae re-
 gis filia, priore uxore, nullā prolem suscepisset, ad in-
 staurandam cū Gallo rege propinquitatē, Valentinam
 ex eadem Catharina primo partu genitā, Ludouico
 Aurelianorum principi regis filio, nuptui dederat.

Quo coniugio Aſta Colonia dotis nomine Valentinæ obuenit, ad liberos uerò eius hæreditatis titulo, Medio lanenſis imperij iura transferunt, quòd Valentinæ fratres ſine legitima prole deceſſiſſent. ſiniſtro quidem ordine inſigniꝑ; detrimento Italiæ Galliaꝑ; quòd in repetenda ea hæreditate, diuturnum & atrox bellum ſit exortum, cuius adhuc nullum omnino certum finẽ uidemus. Arſit per aliquos dies ante eius mortem comes ingens, lurida & ſinebri oblongaꝑ; cauda, uerſus eam celi plagam, quæ in Corum uentum obuertitur. Nec eo cæleſti prodigio indignus uideri potuit, cùm nemo principum in Italia à Gothicis uſq; temporibus repetita memoria, Imperij magnitudine & uitæ ſplendore eo clarior atq; potentior extiterit. quod ſi uictorias inter fortunæ munera numeremus, nemo certè ei uel innatæ grauitatis atq; prudentiæ opiniones, uel i-
pſa oris ac corporis dignitate, uel exornandæ uirtutis ſtudio, ad cenſum ueræ gloriæ comparandus eſt: quãquam tanti nominis famam prægrauaſſe uideatur patruus Barnabas exutus regno, in Tritianoꝑ; demum carcere necatus, atq; illa immenſa proferendi imperij cupiditas. Sed hanc quiſq; non iniquus, neq; immoderatus Tyrannus, C. Ceſaris exemplo facile excuſauerit, ſi regnandi cauſa iuſiurandum uiolandum eſſe exiſtimet, & Ipſe Ioannes Galeacius in exercenda ſeuitia, tempeſtiuus Barnabam, pares atq; immeritas ſtruentẽ inſidias, rectè præoccupaſſe cenſeatur. Contraxit tamẽ inuidiam eius animo grauem, uti ſeuẽ rapax & immittis, atque perpetuus urbium ſuarum expilator, quum

quum à subiectis imperio concepta odia detegi exerce-
 riq; nequirent, quæ demum in morte eius per singulas
 urbes eruperunt. Neque enim perpetuo imperata pe-
 cuniæ onere fessis, satis digna toleranda iniuriæ causa
 uidebatur, accersita sæpe ultro gerēdi belli necessitas,
 quòd nunquam ex bello pacem expeteret, sed ex pace
 semper alia atque alia bella quæreretur. Nec mirum,
 quum serendis bellis uiginti milia equitum & totidem
 peditum perpetuò alenda suscepisset, nec ullis omnino
 sumptibus parcendum arbitraretur, modò fortissimè
 quemq; ex omni militari ordine inuitatum, uberiori-
 bus stipendijs, ob idq; faciliè detractū hosti, sibi adsci-
 sceret. Profiteri enim erat solitus, nihil esse ea mercatu-
 ra nobilius, qua uiri insignes pararentur. Obiecit autem
 & ei probrosas libidines in historijs Antoninus Flo-
 rentinorum Antistes, inepto & improbo maledicendi
 genere, in hostem patriæ insolenter inuectus. Nullum
 autē eius ædificium paulò luculentius extat, quum ma-
 iores eius usq; ad insaniam domi & foris curias, ar-
 ces, prætoria sumptuosissimè condidissent. Singularita-
 men pietatis & magnificentiæ studio, Carthusiæ tem-
 plum construxit ad quartum lapidem à Ticinensi pa-
 terna arce, ubi ferarum septa terminantur, addictis in
 alimenta sacerdotum latifundijs. In eo templo humari
 uoluit, spectaturq; post aram maximam cælati operis
 admirabile sepulchrum, subscriptis ad historias rerū
 gestarum, quæ marmoreis imaginibus decentissimè fi-
 gurantur, his carminibus non omnino indignis,
 ut alibi quàm Carthusiæ
 perlegantur.

Cum ducis Anguigeri uarijs diuisa sepulchris
 Membra cubent, sic iussit enim: nã uiscera seruat
 Antoni tua sancta domus celebrata Viennæ,
 Cor Ticinensis Michael, Carthusia corpus:
 Hic quoque ad æternum populi patriæque dolorẽ
 Vexilla, & Clypei, & lachrymosæ insigniapöpæ
 Exequialis honos, monumentum flebile pendent.
 Instar & hoc tumuli semper memorabile nostris
 Impositum signum est oculis, lege principis ergo.
 Hic etiam titulos nomenq; genusq; supremi
 Cuius ab Angleria primus quos protulit olim
 Natus ab Ascanio Troiani sanguinis Anglus,
 Comitibus, si prisca petas primordia clari
 Nominis, atque domus Vicecomitis extat origo
 Talibus exortum proauis dixere Ioannem
 Hunc Galeaz, quo non fama uulgatius ullum
 Nomen in orbe fuit, factis ingentibus Heros.
 Ille quidem Anguigerã super aurea sydera gentem
 Extulit, & sese uirtute æquauit Olympo
 Dux Ligurum, patriæq; pater, Comesq; Papiæ,
 Virtutumq; fuit, quantum splendebat in illo
 Imperiosa oculis uis maiestatis, & altæ
 Frontis honos, tantum specie mortalibus ibat
 Altior, ut dominum sola esse doceret imago,
 Quantum lux animi specioso in corpore fulsit,
 Cognita per uarium testantur plurima casum
 Consilia alta Ducis cuius pietasq; fidesq;

Sacraq; iustitia, & clementia sanguinis experts
 Innocuam fecere animam: Nec dulcior alter,
 Eloquio, nec magnificis præstantior alter,
 Nec fuit in totis Europæ fimbis unquam
 Aptior imperijs princeps, nec sanctior alter
 Religione fuit, nec pacis amantior illo.
 Hanc propter sæpe auspicijs iusta arma secundis
 Induit, & claros superato ex hoste triumphos
 Cepit, & ultrices qua nulla est gloria maior
 Nullaq; compositæ maior constantia mentis,
 Ipse sui victor de pectore depulit iras
 Permisitque pius victis ad sana reuerti
 Consilia, & medijs pacem quæ fuit in armis.
 Ipse graues populis cruda de sede Tyrannos
 Deiecit, fregit tumidos, strauitque superbos.
 Hic erat unde quies magnorum certa laborum
 Italiæ speranda foret, Duce læta sub isto
 Illa sibi antiquisiam promittebat honores
 Nanque uidebantur cælo demissus ad unum
 Natus, ut indeptis componeret aurea terris
 Sæcula, & afflicto tandem daret ocia mundo.
 At deus Ausoniæ dederat quod sydus agenti
 Transtulit ad superos, siue illo ornare beatos
 Angelicosue Choros uoluit, seu lumine tali
 Indignam est ratus Italiam, mundumq; nocentem
 Consilij ratio alta latens & causa superstat,
 sed nos o miseri quorum ille pijsimis heros

Destitit optatæ, nunquam uigilare saluti,
 Flete Ducem Ligures, talem lachrymate parentem
 Vosque urbes uiduæ, Princeps quas ille sub altis
 Felices sceptrisque suis cum pace fouebat.
 Aeternas oculis lachrymas effundite uestris,
 Ante alias Mediolanum patria inclyta magnum
 Principis atq; caput tantæ ditionis, & olim
 Longobardorum domus augustissima Regum,
 Magnanimoque Duci nuper gratissima sedes
 Papiæ, illustris titulis quas fecerat urbes,
 Et uicina sequens matris uestigia laude
 Vrbs Pompeiani de laude uocata triumphæ,
 Brixia ciuili nec eneruata duello,
 Funde pares lachrymas quibus alta Verona, sororq;
 Ingenijs ornata bonis Vicentia, duris
 Cognita temporibus, paruæque in montibus urbes
 Bellunum, Feltrumque adeant, & pulchra feraci
 Planitie Cremona sedens, memoresque laborum
 Vercellæ antiquis tellus agitata procellis,
 Et cum Derthona fecunda Nouaria pingui
 Piscosumue Comum, Populoque animosa superbo,
 Bergoma, & occiduis quas nūquam uictor adiuit
 Nomen Alexandri retinens urbs fertilis oris,
 Quæque tot egregios in prælia amittit alumnos.
 Parma potens animos, & opima Placentia campis
 Et Bouium, & uicina malis urbs ducta priusquam
 Sub ducis imperium, & iugo non metuenda ueniret.

Te quoque Lucensis regio, licet obruta Lunæ
 Mœnia sint, reliquis plorantibus urbibus addas
 Quas inter magno est lacerata Bononia fletu
 Et gemitu, & lachrymis proprium confessa labore,
 Quæ sibi syderios subito mors improba uultus
 Principis eripuit, nec passa diutius illam
 Maiestate frui, dulcis dulcedine sceptri.
 Ite simul, sic fata iubent, sociare querelas
 Vrbs Pisæ, quondam Tyrrheni Roma profundi.
 Massa; Corsetum, manu uehat inclyta secum
 Et cum uicino turrata Perusia ploret
 Assiso, & mcestæ saliant ad sydera uoces:
 Romanum gemat Imperium, Romanaq; plangat
 Ecclesia, hi lachryment oculi duo lumina terræ
 Raptus uterq; pugil, Latijs quo maior in oris
 Non erat, ex Italis Germanos depulit hostes
 Finibus, & Gallos bello confixit acerbo.
 Ante Quirinalem posset quam cernere Romam,
 Mille quatercentum atq; duos cum duceret annos
 Sol, hunc atra dies Septembris tertia ademit.

IOAN

175
IOANNES MARIA,
SIVE LIBER
VNDECIMVS.



MORIENS Ioannes Galea-
cius ad testamentum antea ritè
conditum additis codicillis, Io-
annem Mariam maximè par-
tis imperij, nouiq; tituli here-
dem instituit, ea conditione, ut
Philippus Papiam urbem obti-
neret, Nouaria, Alexandria, Asta, Vercellis atque Der-
thona adiunctis Papiæ comes appellaretur. Gabrieli
autem ex Agnete Mantegatia spurio, qui erat legiti-
mis ætate superior, Pisas, Cremânque legauit, atq; ita
Ioannes Maria desumpto Ducis nomine susceptisque
paternæ dignitatis ornamentis ad imperium euectus
est, funestis utiq; auspicijs: nam illico ciuile bellum e-
xarsit Gibellinis & Guelphis inter se uecordi impetu
concurrentibus. eæ siquidem diræ factiones cõtemp-
to adolescente principe, uetera ciuium odia refricarant,
quæ superiorum principum uirtute sublata uideban-
tur. Is longè grauisimus & summè lugubris tumultus,
non urbibus modò atque oppidis, sed pagis agrestibus
que familijs, eodem insanie morbo correptis, uastita-
tem attulit, quò cædibus incendijsque grassari, cogna-
tis & affinibus ultimam uim afferre, sacra denique
non secus ac profana uiolare fas putarent, uirtu-
tisque & gloriæ loco ducerent, si ad ostendendum in-
signe factionis studium, maximè crudeles euassissent.

Sed dum Mediolani per singulas regiones cruentos euentus alternante fortuna certaretur, eadem pestilentis mali lues, reliquas Imperij ciuitates celeriter inuasit, insigni perfidia praefectorum & ducum, qui orientes tumultus quum facile opprimere possent, turbidis rebus magnopere gauderent. ij enim modò his, modò illis fauentes, alteras partium expulsa, altera uerò attritis fessa uiribus, subnixi ualidis praesidijs, urbium dominatus arripere è medio cogitarat. per hunc modum nullo pudore uiolati militaris sacramenti, Pandolphus Malatesta Brixiam & Bergomum occupauit, cuius factum infame scelestumque subsecuti Gabrinus Fundulius Cremonae, Facinius Canis Papiae atque Alexandriae, Ioannes Vineatus Laudi Pompeiae, Cremae Benzones, Placeniæ Arcelli, Othobonus tertius Parmae, Franchinus Rusca Comi, Brusati, & Tormelli quondam exules Vercellis atque Nouariae dominatum inuasurunt. Qua foeda & repentina ducum atq; urbium defectione consternatus princeps, docente & hortate matre, consilium suscepit de creando gubernatore, qui militari cū imperio urbem regeret, & salutem dignitatēque principis praesentibus armis tueretur. Veteres enim consiliarij amiciq; , quos pater in tutelam adolescentis reliquerat, diuerso aestu turbulentae tempestatis iactati, aut securi colla praebuerant, aut exauctorati, aduersarijs locum occupantibus metu mortis diffugerant. Itaq; Mediolanū accersitur Carolus Malatesta. is introductis copijs factiosorum audaciam coerceat, praeclearum restituendi imperij & parandae quietis studium ostendit, Fratrisque filiam prin
cipi

tibi matrimonium collocat. Sed non multò post, quòd
 Guelpharum partium nomen præferret, urgentibus
 patriijs Mediolano excedere cògitur. Euocatus subin-
 de est in eius locum Facinius Canis bello dux impiger,
 sed impense rapax & uehementer factiosus. Verùm is
 multis expeditionibus prosperè confectis, quum pa-
 rum æquus & reipublicæ utilis foret, quòd Gibellina-
 rum partium se defensorem & ducem profiteretur,
 Guelphorum insidijs petitus, atque urbe usq; adeo uio-
 lenter exactus est, ut cum circumfusis in eum coniura-
 tis, ne caperetur per auersam Actianæ curiæ portu-
 lam adactò equo in fugam se proriperet, contusa ue-
 hementer fronte in ualuarum angustijs, relicto cocci-
 neo capitis integumento, continenti cursu Rosatum
 usque percurreret. Tum uerò Guelphi Antonio Tur-
 riano cohortante, qui apud principem quanquam nõ
 mine familiæ odiosus esse deberet, tamen plurimum
 gratia ualebat, Ioannem Mariam perpulerunt, ut in
 Facinij locum, cum eadem imperij potestate Bucical-
 dum Gallum acciret. Is tum à rege Galliæ deditis ultro
 Ligurib. præpositus Genuæ præsidem agebat, uir cor-
 pore pariter & ingenio uastus. Itaque stipatus Gallis
 equitibus, quum Mediolanum uenisset, ante omnia in-
 fido consilio, ut arce potiretur custodis animum obla-
 ta pecunia tentauit. Id facinus malignè susceptum, quum
 minimè ex sententia processisset, cuncta ad superbum
 arbitrium reuocanda ratus, edictis propositis & per-
 cussa sub nomine suo moneta, ita impotentis animi libi-
 dinem nudauit, ut non Ioanni Mariæ modò, sed utri-
 usq; etiam factionis ciuib. in suspitione affectati prin-

cipatus uenerit. Sed dum Mediolani hac inani spe im-
 modicos spiritus alit, atq; odium sibi ingens parat, illu-
 dente Fortuna uotis eius Gallica præsidia occiso à Spfi-
 nulis Serratore præfecto, Genua pelluntur, Theodo-
 rusq; Montisferrati Marchio, strenuè operã nauante
 Facinio, Genuæ Princeps acclamatur. quo nuntio per-
 territus nec ab re sibi timens, priusquam tanti accepti
 incommodi fama uulgaretur, simulata expeditione in
 Ticinenses, copias Mediolano eduxit. quem Facinius
 euadentē ad Nouium oppidum adortus, adeo oppor-
 tunè commissa pugna profligauit, ut Bucicaldus amif-
 sis copijs Genuæ & Mediolani præfectura, uno tēpo-
 re exutus, per asperos Alpium tramites in ulteriorem
 Galliam perfugerit. Hic est ille Bucicaldus, qui Gabri-
 elem Ioannis Galeacij filium, auaro truculentoq; iudi-
 cio Genuæ securi percussit, ut prægrandi ea pecunia
 potiretur quæ illi obuenerat, quum Pisas Florentino
 senatui uendidisset. Per id tempus Ioannes matrem ami-
 sit, tantis curis, ut erat corpore imbecillo, facile succū-
 bentē; cuius peruerso consilio non multò antè, ut pro-
 pinquas urbes facilius tueretur, aut occupantibus Ty-
 rannis eriperet, cæteras quæ remotæ ditionis erant,
 Bonifacio pontifici tradendas censuerat, scilicet ut eo
 insigni munere inanem promereretur amicitia, & tu-
 telare focdus afflictijs & planè perditis rebus impetra-
 ret. Per hunc modum Bononia tantis impensis atq; la-
 boribus parta; itemq; Assisiū atq; Perugia Umbriæ ur-
 bes Mediolanensi imperio adiectæ, quum ex calamita-
 te leuitatēque Ioannis Fortuna eodem pertinaci uesti-
 gio nixa, alienæ felicitati aspiraret; in ditionem Pon-
 tificij.

tificij imperij concesserunt. Pari quoque ignauia aut desperatione Senensibus obruncato Corregio profecto desciscensibus, libertatem cruentis admodum seditionibus implicatā reliquit. Ceterum nihilo secius Mediolani certabatur, recrudescentibus ciuium odijs, permutuas cædes, quòd neque uicti uindictæ cupiditate pacem uellent, neq; uictores uictis inducias tanquã successu damnosas dandas putarent: quibus rerũ difficultatibus adductus princeps, quòd unum omnino remedium in tanta ciuitatis perturbatione tranquillitatẽ afferre posse uidebatur, Facinio datis obsidibus, sese recõciliat, eumq; iterum accersit, & bellicarũ ciuiliũq; rerum moderatorem cum suprema potestate creat, cuius aduentu Guelfi qui sub Bucicaldo insolentes euaserant, arma posuerunt; quiescentibusq; demũ Gibellinis atq; urbe pacata, Facinius Bergomatibus bellũ inferre iussus trans Abduam ducto exercitu, rebellantis urbis agros omni belli clade uastauit. Sed cũ Bergomates cõsumptis hostili igne suburbanis tectis ne extrema paterentur, se dedere decreuissent, Facinium articularis morbi, renumq; dolores usque adeo grauiter inuaserunt, ut abscedere irritò incepto, Papiamq; deserri cogeretur. Is morbus qui Facinio supremus fuit, nouandis rebus occasionẽ præbuisse fertur: summae nãque audaciæ turbulenti ciues in necem principis coniuurarunt. in quibus eminebant Baucij fratres Andreas & Paulus ex intimis familiaribus, duo Pusterle pernobiles, & Franciscus Mainus, Bertonus Mantegatius, & Acontius Triuultius. Hos tanquam duces ex utroque factionis ordine alij supra triginta

sequebantur, neq; fuit quisquam è tãto numero qui in
 summa spe amplissimi præmij fidem prodendo fallere
 uoluerit, quum in uitæ periculum ex suspecta conscio
 rum multitudine subiret: oderant enim cum omnes tan
 quàm inusitatæ immanitatis Tyrannum, quòd in tan
 ta per nouè annos ærumnosi imperij rerum omnium
 asperitate, insanæ feritatis morbum concepisset, usque
 adeo horrendum, ut iracundia in rabiem uersa, dam
 natos aut sibi inuisos uoracissimis canibus laniandos
 objiceret, eoque atroci spectaculo magnopere letaretur,
 haberetq; in delitijs Squarciam Giramum alioqui
 honesta ortum familia, inhumanae seuitiæ ministrum,
 qui ad eam carnificinã ingentes molossos humana car
 ne alendos suscepisset. Dijs itaq; atq; hominibus tale
 monstrum abominantibus postridie Idus Maias sacro
 rum causa in templum diui Gothardi descendente
 Baucij fratres, reliqua coniuratorum manu incum
 bente duobus uulneribus confecerunt, discissa usque ad
 oculos fronte, & dextro crure ad suram detruncato.
 Exanimè & aliquãdiu ab omnibus desertum pauci ex
 infimo familiæ ordine in templum maximum detule
 re. Ibi cum foedis uulneribus & multo cruore deforma
 tus non sine ludibrio spectaretur, infimæ sortis mere
 trix tempestiuae pietatis officium usurpans, totum ca
 dauer multa recenti rosa contextit. Inde postea à Philip
 po successore opulentam dotem ut honestè nuberet in
 genuæ charitatis nomine habere promeruit. Eodè die
 Giramus scelestus carnifex concursu populi latebra
 extractus, quũ uiuus unco traheretur pro ianua dam
 nata & mox ad solum æquata domus, horribili meri
 toque

toq; supplicio affectus est. Ipse quoq; Facinius copiarum Imperator, quum ei insuperabilis morbus uitæ finem afferret, nunciata cæde principis duces militesq; suos obtestatus, ut percussores persequerentur, Philippoq; ad principatum hereditatis iure contendenti fortem atque fidelem operam præstarent, paucas post horas expirauit, magno quidem coniuratorum commodo, qui nemine principis cædem uindicante, Hastorem Barnabæ ex concubina filium bello strenuum paternosque spiritus gerentem magnis acclamationibus ad principatum extulerant.

PHILIPPVS. SIVE LIBER DVODECIMVS.



I O ANNE Maria interfecto, atq; eodem die expirante Facinio, Philippus qui captiuo per similis incertusq; salutis in arce Papiæ supremum urgentis Fortune impetum expectabat, inopinato Facinij dudum hostis mu-

nere subleuatus, animum erexit ad non dubiam spem recuperandi principatus, cohortantibus Facinianis ducebus, qui quum in supremam morientis imperatoris sui uoluntatem, per coniunctas dextras fidem datam fallere nefas putarent, uti uiri militares etiam gerendo bello materiam quærebant. Deerat pecunia exercendæ uirtutis neruus, sed ea subitario prouentu à Beatrice

Tēda uxore Facinij celeriter impetratur propositis cū nouo principe nuptijs, quas ipse Facinius in extremo uite actu suasse ferebatur. Nec eas abnuuit Philippus tanq̄ etate fortunaq̄ impares. Itaq; leuis mulier intēpe sine libidinis, & maioris imperij auida, uix deterfis la chrymis inauspicati coniugij thorum subit, quaterq; centena milia aureorum nummūm dotis nomine dinumerat: nec mora instructo exercitu Philippus Mediolanum contendit, obsidebat arcem Hastor circumualla tam magnis operibus: sed ductu Francisci Carmagnole Castelliniq; Beccarie, Philippi milites munitiones perrumpunt, Hastoremq; ad Comensem portam acerrimē resistantem profligant. Tum uerō Philippus urbē ingressus per precones in compitis pronuntiari iubet, se nemini exceptis fratris percussoribus hostem futurū statim acclamatus princeps singulari totius populi studio in curiam Actianam deducitur. In eo tumultu Paulus Baucius, & Franciscus Mainus principes coniurationis & cedis intercepti, teterrimo supplicio admissi sceleris pœnas dederunt. Exinde Philippi duces ad oppugnandam Modoetiam, quo se receperat Hastor profecti sunt, nec multis inde diebus id oppidum in potestatem deuenit, & Hastor qui in arcem refugerat, quum ad puteum sederet, tormenti in incertum emissi lapide coxā ictus interiit. Extincto graui æmulo, & propter studia Guelfharum partium magnoperē metuendo, Philippus auctis opib. Tyrānos adortus incredibili felicitate aliquot urbes paterni imperij recuperauit, Pandulpho in primis Malatesta Bergomo Brixiaq; depulso Ioanne

so Ioan. Vignato Laudensiu Tyranno capto & latronu
 more in furca suspensio: Arcellis Placentie necatis, aut
 in exiliu pulsis: & Franchino Rusca, qui Comum occu-
 parat, certa premij conditione ea urbe cieto. Verum
 incredibili letitia Philippum affecit Gabrinus Fundu-
 lius Cremonensium Tyrannus felici hastu captus. Is cu
 medio in foro Mediolani conspecta supplicij machina
 ceruices securi subdere cogeretur, hortarenturq; eum
 de more cucullati sacerdotes, ut ex disciplina Christia-
 na composito animo uitae exitum ferret, patratoremq;
 scelerum sperata inde a Deo Maximo uenia ritè poeni-
 tere uellet, contortis atrocibus oculis, Desinite inquit
 mihi indignè perfidioseq; prodito molesti esse: nam ta-
 tum abest ut me iure belli factorum poeniteat, ut maxi-
 mè etiam doleam, quod Papam simul atq; Casarem ad
 immortalem clarissimi facinoris famam, è mea tur-
 re minimè præcipitarim. Paucos enim ante annos Bal-
 thasarem Cossam, Ioannis x x iij. nomine pontificem,
 & Sigismundum imperatorem hospitio exceptos, stu-
 dioq; per amœni atq; admirabilis prospectus in summâ
 celeberrimæ turris coronam inuitatos incessente atro-
 cem animum dira libidine in subiectum forum prouo-
 luere cogitarat, neq; aliis omnino uel grauissimè rei
 respectus duo totius orbis lumina seruauit, quam
 in nefario Tyranno non ignobilis obortus pudor
 ne hospitalis mensæ religionè, cui ipse honoris cau-
 sa conuiuia adhibitus eo die fuerat, non crudelis quidè
 sed ingrati animi piaculo sceddasse uideretur, Caterum
 Philippus & fraternam cædem & Tyranos probè ul-
 tus fretusque mirifica uirtute clarissimorum ducum

Carmagnola & Nicolai Picinini, ad recuperandas remotiores paterni imperij urbes animum adiecit: Vero nam enim Veneti, Pisas Florentini, & Bononiam pontifex Romanus ademerant. Sed ab eo consilio non iniquo iure suscepta bella gestaq; demum per triginta & septem annos aliquanto maiore uirtute quam fortuna totius Italiae urbes grauissimis cladibus affecerunt, eumq; postremò belli euentum Philippus tulit, ut conspirantium inter se liberarum ciuitatum consilio atq; opibus impar, Bergomum & Brixiam amitteret, & Genuae dominatu pelleretur, quum ipse domi sederet paternoque exemplo, sed nequaquam pari fortunae conditione gerenda bella per legatos arbitraretur. Verum in hac perpetua & semper ancipiti difficillimarum rerum agitatione, maxime constantiae & generosi consilij laudem tulisse uideri potuit, quum septies terrestri aut nauali acie uictor, sed saepius uictus eodem semper spiritus indomita uirtutis gesserit. Intentus enim & erectus ad tuendum nominis decus, quum saepe fortunae aleam subiret, nullo sumptu nulloq; periculo deterreri poterat, quanquam natura esset pertimidus usq; adeo, ut uel mediocri tonitru auditoforidine quateretur, & subterraneas latebras amēti similis quaeritaret: secreto cubiculo maxime gaudebat & in id paucissimos admittere, arcere salutates, negocia tractare per interpretē, & deniq; reformidare coetus hominum solebat: hebetata enim oculorum acie quòd adētium facies non planè discerneret, assiduo nomenclatore & monitore dissimulanter utebatur, ne omnino captus oculis à minus familiaribus putaretur, oblectabat

autem

autem ocium historiarum lectione, quarum Antonius
 Panhormita literarum nomine præcipuo in honore
 habitus, aliquandiu fuit anagnostes. Verū incolumi ad
 huc oculorum lumine, libentissimè adolescentium pila
 ludentiū, aut luctantium certamina obducto ad fene-
 stram speculari despectabat, ut ludentes eum spectare
 nescirent, cū tamen adesse crederetur. Inde enim corū
 formæ decus, explicatos artus animiq; uigorem inspi-
 cere, & quos ex eius exercitationis indole maximè
 probasset, ad mensæ cubiculiq; ministeria deligere erat
 solitus. Sed eam uoluptatem Candidus December illius
 ætatis scriptor iniquo felle turgidus, cū omiſſis laudib.
 que in Philippo celebrandæ fuerant, uitia notaret, ad
 suspensionē libidinis reuocauit. Erat Philippus inflexus
 præsertim ætatis ingenio suspicaci, seruido, mobili, sæ-
 peq; sæuo, quum teneræ eius aures delatorum aculeis
 figerentur. Nec deerant ex intimis amicorum factiosi,
 alienaq; laudis obtrectatores, qui rectè sentientem sæ-
 piſsimè deprauarent; inter quos Oldradus Lamponia-
 nus ab adolescentia cubicula asuetus gratia authorita-
 teq; tantum ualuit, ut Carmagnolam summum duce-
 magno Philippi incommodo alienare, atq; extrudere
 potuerit. Adijt & graue salutis periculum ipse Fran-
 ciscus Sfortia iam ascitus gener, falsis scilicet criminib.
 oneratus, cū uino innocentiæ præsidio à multis beniuolis
 ægerrimè defenderetur. Verū Philippus ingrati sæuiq;
 animi infamia sese turpiter scēdasse uisus est, cū Beatri-
 cæ uxorem adulterij cum Orumbello Citharædo ad-
 missi reā, nec in tormentis quicquam contra pudicitie
 decus confitentem securi percussit, imparis ut ferunt

coniugij pertæsus, cuius tamen nõ dubijs opibus ad ime-
perium peruenisset, ut demum Amadei Sabaudij filiã
euentu sterilem duceret, non sine dote modò confectis
nuptijs, uerum ut soceri societate promeretur, ultro
traditis Vercellis. Id quoq; famam eius uehemeter pre-
mit, quòd alioqui in amore odioq; instabilis, tum maxi-
mè firmus atq; inexorabilis euaderet, quum ueteres in
iurias nouis beneficijs nequaquam pensandas arbitra-
retur, ut in Castellino Beccaria mox apparuit, non ob
aliam causam in carcere necato, quàm quòd recentis
operæ fideliter strenueq; præstitæ obliuio, ueteris perfidi-
æ qua is Papiam Facinio prodiderat meminisset. Sed
uno memorabili inusitatæ uirtutis præconio Philip-
pus uitiorum labes præclare aut deterisit, aut operuit,
quum Alfonso regem nauali prælio ad Pontiam su-
peratum & captum, incredibili benignitate magnitu-
dineq; animi non custodia modò liberarit, sed excultũ
eximijs muneribus & prægrandi pecunia instructum
ad repetendam Neapolim dimiserit. Rarissimo quidem
& in comparabili generosæ clementiæ exemplo si ui-
decerpendæ gloriosæ laudis prouentu superiorum at-
que eorum qui postea toto orbe regnarunt principũ
animos nobili censura metiamur. Superauit etiam ma-
iores suos domestici splendoris munificentiã cũ claris-
simos hospites acciperet, in quibus fuisse Martinus Colũ-
na Pontifex Maximus, cui marmoreã statuã posuit, &
Sigismundus imperator ingenib. donis cum uniuerso
comitatu liberaliter expletus. Excessit è uita non dum
sexagenarius ex atroci febre & in multã bilẽ soluta re-
pète aluo, pridie Idus Augusti, anno a partu Virginis
qua-

quadragesimo octauo supra Milesimū & quadringente
 simū, cū circūuentis Venetis armis & Mediolani ferē
 obsessus, Franciscū Sfortiā generū diu antea pro hoste
 habitum, opportuneq; in gratiam receptum, e Toga-
 ta Gallia euocandū curasset, ut grauissimis hostib. sum-
 ma uirtutis atq; felicitatis imperator opponeretur. Fe-
 runt eum iusto odio contra Venetos aestuantem diu agi-
 tasse animo, an Alfonso regem genero praeferret, im-
 perijq; heredem relinqueret, ut eo inclyti opulentissi-
 mūq; nominis propugnatore, ambitiose & prae-
 tentis Venete gentis audacia frangeretur, sed amore
 Blancae filiae quae iam Galeacium Sfortiā ad spē impe-
 rij in agro Piceno pepereat, generum eundemq; solem-
 ni adoptione filium prae tulisse, praecipuis supremi de-
 creti suasoribus Andrea Birago & Petro Pusterla; cū
 diuerso studio Brocardus Persicus & Franciscus Lan-
 drianus pro Alfonso contendētes uictiq; suffragijs, ab-
 sententia popularis inuidiae plena discessissent, multis
 ciuium indignantibus, quod pro homine longē omni-
 um humanissimo atque fortissimo, qui iam adoptio-
 ne filius Blancae q; unicae Philippo genite maritus atq;
 obiter Vicecomitū stirpi insertus esset, externi sangui-
 nis ignotaeq; linguae, suspecti deniq; ingenij uir stultissi-
 mo paucorum consilio ad patriae dominatum uocaretur;
 quo consilio, breui colonis Hispanis urbem Medi-
 olanum totamq; Insubrum regionē, ad non dubiae ca-
 lamitatis euentum esset repleturus. Fama tamen in uul-
 gus manauit exaratum fuisse condicillū, quod priori
 testamento subderetur, sed expirante Philippo prius-
 quam testibus adscriptis obsignaretur, fuisse discerptū

quod usque adeo grauius Alfonso tanquam malignè
 exclusus tulit, ut ea suppressi codicilli iura Alfonso ne
 pos etate nostra respiciens, ut sibi totiq; Italiae clades
 pararet, intemperanter aspirarit. Caruit marmoreo
 sepulchro Philippus, quum in arca lignea au-
 reo cōtecta panno conderetur, eam in
 sublimi fornicis intercolumnio sustinē
 tib. tignis supra arā maximam
 suspicimus, sed in infi-
 mo pariete affixū
 tale carmen le-
 gimus.

Clementissimus atque liberatis
 Insubrum dominus, Philippus hic est,
 Victis regibus unico duobus
 Qui bello, manicasq; compedesq;
 Leuari iubet, in suasq; abire
 Donatos opibus Lucullianis
 Sedes, & sua regna liberatos
 Tetro carcere. Discite hinc Tiranni,
 Sunt hæc munera Principum, superbos
 Debellare, pios & esse uictis,

ARGVMENTVM DEVOLVTAE
HAEREDITATIS AD AVRELIANO-
RVM PRINCIPVM DOMVM

*brevissima narratione ex historijs
explicatum.*



PHILIPPO uita functo, quòd in
eo Vicecomitum principum ue-
tusta progenies à Matthæo Ma-
gno ducta defecisset, Mediolanè
ses sese in libertatem uendicarūt
Nam Barnabæ principis legiti-
ma uirilis proles, ex tot liberis
atq; nepotibus præter quosdam spurios, tota perierat
Neq; Ioannes Maria à coniuratis properè sublatuſ è
Malatesta, neq; Philippus ex Beatrice Tenda, nec de-
mum ex Maria Sabaudia planè sterili, inauspicatis u-
xoribus liberos susceperant. Relinquebatur Blanca,
quam Philippus ex Agnete Maina nobili concubina
susceptam Francisco Sfortiæ concessa in dotem Cremo-
na collocarat. Verùm hæc quòd spuria nomen præfer-
ret, quanquam ascititio iure legitimã pater fecisset, pa-
terni imperij hæreditate indigna putabatur. Ita ut tota
ea directo iure possessio Valentiniæ Philippi sororem
omnino respiceret. Hanc Ioannes Galeacius pater Lu-
douico Caroli Quinti Gallie regis filio nuptui dedit
Asta urbe dotis nomine concessa, ad id quoq; superad-
dita conditione ut si fratres noue nupte sine liberis de-
cederent, ipsius demum Valentiniæ filij legitimiq; succes-
sores Insuſbrum principatu potirentur. Sed tabulis eo

modo confectis Romani Caesaris auctoritas decrat, cuius muneris esset appellare principes, Regna dona dare, in clientelâ Regulos asciscere, & translatijs hereditatibus assentiri. Itaq; ut Valentinae, eiusq; liberis ritè caueretur, quòd nullus tū ex interregno certus Caesar extaret, altercantib. in comitio Germaniae proceribus ad Romanum pontificē est decursum. Is praecclare assensu suo Caesaris uices impleuit, quòd supremæ potestatis iure ritè prestare posse uideretur, à summo scilicet sacro rō principe præcipuoq; humani atq; diuini iuris interprete, & conditore legū. quoad quidē Caesar ipse qui antiquo Romani pontificis beneficio in media Germania septēuirali suffragio crearetur; Inungēdus demum ab eo appellādusq; Augustus & deniq; aureo diadema te coronandus foret. Cæterum cōfirmatis eo modo doctoralibus tabulis nōnulli ex ordine Iurisconsultorū Caesareo nomini impensè fauentes reperti sunt, qui dissentire uiderentur, ut pontificem auctoritate spoliarent, in terposita scilicet subtiliore quadam legis interpretatione, quòd nullum omnino ius pontifici esse uideretur in transferendis adiudicandisq; regnorum feudis, tametsi per amplum foret, in his litium cōtrouersijs quæ à præsentis iudicio festinatæ decisionis remedia flagitarent. Verum hæc aliquanto cauillosius quàm probum Iuris professorem deceret, inducta, uel hoc uno uiuidæ rationis exemplo falsissima Aureliani censere, quum & Delphinatus per ampla ueterum Allobrogum ditio & Arelatensis Prouinciæ regnum auctoritate Pontificia non dubio tum, sed certo iure translata atque adiudicata fuisse constet. Itaque Valentinam Ludouicum con

eum coniugem, insidijs Ioannis Burgundiæ ducis apud
 Lutetiam immaniter interfectū, suo fato subsecutam fi-
 lijs susceptis Gallie Cisalpinae principatum certissimo
 hereditatis iure reliquisse. Quanquam alios prioribus
 iure consultis nihilo doctiores sed prudentiores tamen,
 quòd causā prioris quæstionis, de Pontificia facultate,
 tanquam reiectam passim & explosam deserant, adin-
 uento diuerticulo obliqui tramitis in causæ caput de-
 ferri ut in dubiū reuocare non dubitent, an Valenti-
 næ pater legitimi ueriq; Cæsaris munere Mediolanen-
 sis ditionis princeps & dux fuerit appellatus; quasi La-
 dislaus insigni studio maximè partis suffragantiū Ger-
 manie procerū Cæsar salutatus, & acclamatus, id li-
 quidissima potestate prestare nequiuerit, quoniā à Ro-
 berto Baiuario pseudo Cæsare seditiosis armis ex infe-
 lici emulatione peteretur. Id igitur cū facile tanquā in-
 ane commentitij iuris argumentum, ab omnibus resel-
 latur, Valentina sua iura probè defēsa relinqui. Pe-
 perit autem Valentina tres mares: Carolum scilicet,
 qui in Aurelianorum principatu Ludouico patri suc-
 cessit, & Ioannē Angolismorum regulum, qui huius
 Francisci primi Gallie regis bellica laude, & optimo-
 rum studiorum amore ualde inelytis paternus auus
 fuit, & Philippum Virtutis oppidi Comitē in quē diti-
 onis titulū, Ioannes Galeacius ducta Isabella Caroli so-
 rore, nomine dotis uocatus antea fuerat. Tribus quoq;
 fratrib. accessit soror quæ, quòd minimè prætereundiū
 uidetur, Fusio in Aquitania nobilissimo regulo nupta,
 Gastonem inusitata uirtutis adolescentem, protulit. il-
 lum inquam antè imperatorem quàm nulitē terrificū

belli fulmen in ipsa parte uictoriae gloria Rauennae extinctum. Ceterum ex Carolo qui Britannico bello captus multis annis Londini in custodia fuerat, Mariaeque Cleuensi Menapiorum principis filia natus est Ludouicus rex Galliae eius nominis Duodecimus. Is Carolus audita Philippi auunculi morte occasione minime defuit, quin transmissis in Italiam cum iustis copijs Raynaldo duce haereditatem uindicaret, uerum à Raynaldo strenuo hercule duce, sed ualde prepropere, Fortuna nequaquam stetit. Alexandria enim ferme tota ultra Tanarum capta, quum oppidum Castellaccium oppugnaret, eo euentu cum Bartholomeo Coleone, Astoreque Fauentino Mediolanensis Reipub. ducibus, praelio decertauit, ut profligatis eius copijs, fortiter, sed postremo frustra repugnans caperetur. Eo tempore Veneti inualidum adhuc incertae libertatis statum inuaserant, ita ut singulae imperij ciuitates, quum Mediolanensibus ciuibus parere, subesseque indignarentur, non uos sibi dominos quererent. Placentini & Laudenses sese ultro Venetis dediderunt, Papienses & Derthonenses Franciscum Sfortiam recepere, Nouarienses Vercellis proximi ad Sabaudiam inclinabant. Sed Franciscus Sfortia Mediolanensium auspicijs Venetos adortus expugnata Placentia, Laudeque recepta, ita eorum uires memorabili praelio, ad Carauaggium contudit, ut Veneti maximi periculi metu, & felicitate tanti ducis perterriti, cum Sfortia pacisci cogerentur, ea tum insidiosè oblata conditione, ut si in Mediolanenses arma conuerteret ad parandum ex soceri testamento Principatum, ipsi in id bellum ualidas copias, praegrandemque pecuniam.

pecuniam conferrent. Itaq; Sfortia deterſo pudore, in ſuam ſpē à Fortuna ſubleuatus cum alienati animi cauſas prætenderet, illico diremit amicitiam, armaq; intulit. Nec multò poſt uotis eius uehementer aspirante uictoria, Veneti ab eo pari impudentia ad Mediolanenſes defecerunt. Sed Mediolanenſibus turbidè & crudelitè Rempublicā adminiſtrantibus, inuicti ducis uirtutè Fortuna comes fuit. Nam breui Mediolanenſes armis fameq; perdomiti, fruſtra adiuuantibus Venetis Sfortia ſe dederunt. Idem fecere reliquæ ciuitates: pacatisq; demum rebus, Franciſcus, ut imperiū armis partiè Cæſaris authoritate ſtabiliret, per legatos poſtulauit à Cæſare, ut quod adoptionis iure cōſecutus eſſet, Auguſtali diplomate cōfirmaretur. Verūm quod id multò maiore pecunia quàm putarat, coemendū foret, Cæſaris munus generoſe cōtempſit. Vir enim magnitudine uirtuteq; animi nemini ſecundus, ineptum & ab erarij tenuitate prorſus alienum exiſtimabat, eum dignitatis titulū ex uenali membrana ceraq; Cæſaris præferre, quem ſpectata bello uirtus, & inuicta arma detuliſent. Galeacius quoq; eius ſucceſſor paternum ſecutus exemplum, in ea re comparanda ne mediocrem quidē ſumptum faciendum putauit, ita ut primus Sfortianæ gentis Ludouicus, id Cæſaris diploma à Maximiliano quatercentū millib. aureis nummis impetratum, ambicioſè quaſierit, excluſo Galeacij fratris filio: quoniam ipſe Franciſco patre domināte, hereditateq; potito natus eſſet, ſecus ac fratri Galeacio, apud Firmum Piceni agri nato educatoq; in priuata patris fortuna contiſſet, qua natalitij iuris prærogatiua, ex hiſtorijs Cor

nelij Taciti repetita, fratrem eiusq; liberos & nepotes
 antecedere uideretur. Ea diplomata impetrata sunt,
 quo Carolus octauus Galliae rex ad repetendum ex an-
 tiquo iure Andegauensis hereditatis Neapolitanū Re-
 gnum superatis alpibus Papiam uenit, ut Ioannem Ga-
 leacium inuiseret, biduo post moriturum. Quo non si-
 ne suspitione ueneni uita functo, Ludouicus patruus
 desumptis insignibus Mediolani dux & princeps ac-
 clamatur. In eo autem diplomate, tanta scilicet pecu-
 nia coempto, disertè appositum fuerat, ut ipse liberiq;
 eius & successores legitime procreati Mediolani du-
 ces appellarentur. Subiungit quoq; Corius historiariū
 scriptor huic diplomati ad unguem transcripto inser-
 toq; historiarum uolumini, codicillos appositos fuisse,
 aliqua, ut credi par est, superaddita pecunia, quo beni-
 gnus ac apprimè liberalis Cæsar ad nothos & spurios,
 si legitima proles interisset, eadem principatus iura
 transferebat. Sed horum solemne exemplar non com-
 paruit, suppressum utiq; si extitit, quod non affirmaue-
 rim, à Ludouico demum à Maximiliano Franciscó que
 liberis: at mox extincto Franciscó in manus Cæsaria-
 norum à Maximiliano Stampa arcis custode ex scri-
 nijs Sfortianis traditum, quanquam is, ut nonnulli Sfor-
 tiano nomini fauentes predicant, exempli copiam
 Ioanni Paulo Ludouici ex concubina filio, benignè
 sed occultè fecisse dicatur. Cæterum non toto uertente
 anno quum rex Carolus ex incuruenta celeriq; uicto-
 ria eieclis Aragonijs formidandus euasisset, propterea
 que non inani metu ad arma consternati principes à
 Carolo discessissent, Ludouicus Aurelianus ab Asta sua
 urbe

urbe promotis regijs copijs Nouariam occupauit, ut inde fretus occasione noui belli, cernendæ hereditatis iter aperiret. Iamq; Insubres trepidante Sfortia, ad defectionem animos inclinabant. Sed is conatus ad recte exploratam facilemq; uictoriam secundo euctu caruit: Quum Ludouicus ingenti fœderatorum hostium exercitu post Tarrensem pugnam oppugnatus, & obsessus Nouaria excedere cogeretur, Carolo rege cunctatius atq; trepidius quàm opporretet opem ferente. Verum triennio post Carolo sine liberis uita functo Gallie regnum consequutus, inito cum Venetis fœdere, Sfortiam uehementi impetu expulit, reuersumq; demum ex Germania ad Nouariam uiuum cepit. Eo modo sine uulnere Insubrum principatu potitus, quanquam nihil sibi ullo tempore timendum putaret, uti erat eximie prudens, & utramq; fortunam probe expertus, quod hereditate legitima & iustis armis uendicatum arbitraretur, autoritate Cæsaris corroborandum existimauit. Igitur cum Maximiliano Cæsare, qui ex Tridentinis Alpibus ad Benaci lacus fines peruenerat, numerata pecunia transactum est, procurante eius negotij tabulas Georgio Ambosio Rothomagensi cardinale in hanc formulam, ut Ludouicus eiusq; gener ex Claudia filia, Franciscus Angolismorum Regulus liberiq; demum eius posterii successores beneficiario iure, Mediolani duces appellarentur. Verum Germani Cæsaris consiliarij in ipso concepti diplomatis contextu, particulam trium uerborum inserebant, quæ concessionem sine præiudicio alieni iuris factam ostenderet, quod Cæsar pudore incolumi prioris diplomatis septennio antè

Ludouico Sfortiæ eiusq; liberis concessi penitus obli-
 uisci non posset. Aderat tum Georgio cardinali Gio-
 fredus Carlius Senatus Mediolanensis Præses iuris in-
 telligentia clarus. Is ad auertendas serendæ litis occasi-
 ones egregiè cautus eam trium uerborum sententiam,
 nequaquã ex usu regiæ petitionis esse differebat, quòd
 non extincta omnino, sed rediuiua Sfortianorum iura
 nõ obscure denunciaret. Sed Georgius ut quoquo mo-
 do transigeretur, constantibus in id Cæsaris consilia-
 rijs, ea uerba generosè contempsit, quum diceret ipso
 Ludouico Sfortia patre in Locensem carceris caueam
 coniecto, filios impuberes, qui apud Belgas in hospita-
 li diuersorio inopem uitam traducerent, potentissimo
 regi serò litem moturos. Neque Giosfredus in præsentia
 lite falsus omnino uates fuit, quando ea demum am-
 bigui ac ideo funesti iuris particula non Italiam modò
 sed Europam omnem inuecto exitiali bello maxime
 conturbarit. Siquidem Ludouico Duodecimo post sub-
 actos Ligures, Venetosq; terrestri imperio penitus e-
 xutos, ad conuellendam Iulij Pontificis auctoritatem
 Concilium Pisis indicente, non aliunde Iulius pontifex
 quàm ex his tribus uerbis tuendæ dignitatis occasio-
 nem arripuit, ut Maximilianus Sfortia in paternum
 principatum reduceretur. Sicuti & Leonem pontifi-
 cem octo post annos, eandem belli causam secutum, ut
 Parmam Placentiamq; recuperaret, Mediolano Gal-
 los depulisse meminimus. Non desuere tamen summæ
 grauitatis Iurisconsulti, qui ea uerba tâquam obscure
 dissimulanterq; prolata & descripta in solemnes codi-
 cillos, non perinde ualere iudicarent, ac si disertè ex-
 pressèq;

presseq; ad declarandam sinceri sensus sententiam ap-
 posita fuissent, præsertim in grauisimis, ut aiunt, seu-
 dorum concessionibus, in quibus apertè & planè sci-
 enter ad non dubiam æqui iuris intelligentiã cauissè
 oporteat. Sed huiusmodi controuersias uel erudissimi
 legum interpretes nunquam tempestiuè desiniunt, quã
 magnæ lites non in foro, sed pro castris Marte iudice
 dirimantur. Dedit itaq; Franciscus rex, non grauatè
 multis obtestationib. Clementis & totius Italiæ preci-
 bus, quòd non aliter grauisimo bello finis imponi pos-
 set, ut tantisper de iure suo decederet, & Sfortiam re-
 gnare pateretur, quem à Cæsarianis Maiestatìs reum
 factum, ac impotentibus circumuentum armis paulò
 antè transmissis auxilijs adiuuarat, ipso præsertim Ca-
 rolo Cæsare magna tum æquitate moderati animi Frã-
 ciscum Sfortiam Bononiæ in gratiam Augustiq; impe-
 rij clientelam recipiente. Sed Sfortia eo Cæsaris bene-
 ficio & Francisci regis indulgentia diu uti non potuit:
 repentina enim & inexpectata populis morte subla-
 tus est, ut nouas fatalis belli causas aperiret, quo iterũ
 Europa uastaretur. Igitur rex Franciscus Sfortiana stir-
 pe penitus extincta, tota eius ambigui iuris suspitione
 liberatus, à Cæsare, qui tũ ex Africa nobili parta uictor
 reuersus, Neapolim Romamq; peruenerat, postula-
 uit ut Mediolanensis principatus redderetur, qui sibi
 & liberis præclaro hereditatis iure & Maximiliani
 demum Cæsaris legitima concessione in non dubiã di-
 tionem obueneret. Verum Cæsar qui regijs legatis ali-
 quam propinquæ sed nondũ maturæ liberalitatis spẽ
 dedisse uidebatur, Vbi Romæ fuit, opinione Gallorum

198 MEDIOL. HAEREDIT.
durior est inuentus, usque adeo auerso obfirmatoque
animo, ut cum legati regij inanibus promissis se circū-
duci, & Franciscum suo legitimo iure fraudari quere-
rentur, Carolus ad pontificem senatumq; omnem & le-
gatos principum orationem haberet, luculentam her-
cle, sed aequo amariorem, quum pro tuenda dignitate,
auertendaq; inuidia ueteris odij memoriā refricasset.
Ceterum exitus orationis fuit, ut negaret quicquam se
facturum ex uoto regis, nisi Subalpina oppida cum
Taurino Gallicis armis Carolo Sabaudio nuper adema-
pta redderentur. Agnouere tum plures id esse Caesaria-
ni animi decretum, ut quamdiu arma ualere, ab Ita-
lia Gallos arceret. Ipseque opportuno atque opulento
Insubrum principatu potiretur. Atque ita non multo
post auctus uiribus, terra mariq; Narbonensem pro-
uinciam, uno simul tempore Belgicis armis Galliae in-
ferioris fines inuasit, scilicet ut Franciscus domestico
oppressus bello Subalpinæ regionis praesidia deduce-
re, Italicarumq; rerum penitus obliuisci cogeretur.
Sed Gallis utrinque fortiter suos fines defendentibus
ex eo bello, quod tum frustra susceptum fuit, alia atque
alie summæ calamitatis secuta sunt bella, quum uiolatis
inducijs, & desperata concordia, post afflictas nostras
opes, Barbaro hosti aditus ad occupandam Pannoniam
sit patefactus. Nec herclè sperandum uidetur, ut ille fa-
tali nostra soccordia factus ingens hoc anno, qui est,
ab excessu Francisci Sfortiæ huius diri belli duodeci-
mus, omnino conquiescat, quin reliquas Pannoniæ No-
riciq; urbes nouis illatis cladibus perturbet, nisi Caesar
ad uictorias de Barbaris natus, pio generosoq; animo
recenter

recenter isti ad Sueſionum urbem fœderis condi-
 nes respiciat, patremq; tuum orbatum præſantiſſimo
 filio, deiectumq; obiter ſpe pacis benignè conſoletur,
 adiuuenta ſcilicet tolerabili aliqua æqui iuris condi-
 tione, ut Chriſtianus orbis pace tandem, uel ſera
 ipſius maxime immortalis beneficio per-
 fruatur, & uere demum ſummæq;
 laudis & gloriæ trophæa,
 Barbarico in ſolo
 deſigan-
 tur,

FINIS.

VITA SFORTIÆ CLARISSIMI
DVCIS A PAVLO IOVIO CON-
SCRIPTA, AD GUIDONEM

*Ascanium Sfort. à Sanctaflora Cardina-
lem Aerarūq; Praefectum.*



VVM honorem Senatoriæ dignitatis, quem tibi planè adolefcēti maternus auus Paulus Tertius Pont. Max. insigni iudicio, sed maturius fortasse. quàm speraras, mandauit: cum virtutis indole, tum claritate familiaræ, adeò egregiè sustentens, ut maiore fortuna dignus esse uideare: pergratum omnino futurū existinaui, si tibi ardenti animo uirtutē cōplectenti, faces nouæ adderētur, ductæ scilicet à maiorum tuorum exemplis, Sfortiæq; præsertim ab aui tui, qui summa cum laude amplissimis rebus gestis familiaræ uestre immortalē cognomen dedit. Eius enim viri bello memorabilis dicta, factaq; solerti indagatōne ex varijs, ineptisq; sæpe rerum scriptoribus excerpta, in enchiridion descripsi, ut ad imaginē tanto frontis honore conspicuam, quam domi pictam assiduè contemplaris, excelsi quoq; animi similitudo ad ueram effigiem stilo expressa, non indecenter accederet. Itaq; enitere Guido Ascani virtuteq; plurimū. & literarū studio contēde ut paterni, materniq; generis famā & æques, & superes. Nec id tibi omnino difficile videatur. pulchrum. n. erit, & valdè decorū, sacratō viro inter tanta maiorū lumina pietatis, & literarū fulgore procul ab inuidia fulsisse. Vale.

De nati-

CAPITVM ELENCHVS

De natiuitate eius.	Cap. I.
De fama natalium	II.
De Horoscopo, & genitura, & nomine eius.	III.
De diuinatione Astrologorum.	IIII.
De educatione & rudimento eius	V.
De prima militia eius	VI.
De altitudine animi, & cupiditate gloriae	VII.
De Ioanne Aucuto Britanno duce	VIII.
De Brolia, Biordo, & Alberico magnis ducibus	IX.
De Alberico cataphractorum equitum inuentore.	X.
De cognomento ex re quaesito	XI.
De primis commilitonibus eius	XII.
De praefectis ab se dilectis à proportitudine viriū	XIII.
De amicitia cum Braccio inita	XIIII.
De causis amicitiae cum Braccio abruptae	XV.
De causis inimicitiarum cum Tartalia	XVI.
De prima equitum praefectura	XVII.
De insignibus gentilitijs à Roberto Cesare dono acceptis	XVIII.
De honoratiore militia eius	XIX.
De caede Othonis tertij	XX.
De diuersitate fama ex Othonis caede.	XXI.
Quibus principibus operam nauarit	XXII.
De Ludouico Secundo, & amore Reginae Ioanna	XXIII.
Quoties prosperè infeliciterq; pugnarit	XXIIII.
De Angelo Pergulano profligato	XXV.
De Ladislao Rege ad Lirim superato.	XXVI.
De praelio ad Aquilam feliciter commisso.	XXVII.
De Tartalia ad Tuscanellam deuicto	XXVIII.
De pugna ad Sebethi pontem egregiè depugnata	XXIX.
De Roma libertati restituta, & Picinino acie capto.	XXX.
De Alphonso Rege acie profligato	XXXI.
De infelicitate praelij ad Viterbium	XXXII.
De clade ad Cryptam acceptam.	XXXIII.

202 CAPITVM ELENCHVS

De infelici pugna ad Capuam	XXXIIII.
Quoties prælio & infidijs fit captus	XXXV.
De prælio ad Caselecium facto	XXXVI.
Quomodo ex infidijs fit captus	XXXVII.
Quomodo ad Beneuentum fit captus	XXXVIII.
Quomodo Iacobus ex principe rex fit appellatus, & Sfortia seruatus.	XXXIX.
Quibus conditionibus Sfortia necem effugerit	XL.
De supplicio Cæsaris, & Sfortiæ felicitate.	XLI.
De Regina capto Rege liberata	XLII.
De iniurijs eius deorum iudicio uindicatis	XLIII.
De cæde Alopæ	XLIIII.
De nece Iulij Cæsaris, Peretti, & Cecholini	XLV.
De calamitate Iacobi Regis	XLVI.
De Sergiano magno Senescalcho trucidato	XLVII.
De Nicolai Vrsini fœda morte	XLVIII.
De Paulo Vrsino Braccij infidijs interfecto	XLIX.
De Armalerij proditoris supplicio	L.
De infelicitate Braccianarum partium, & Sfortianarum prospero successu	LI.
De vulnere ad Viterbium accepto	LII.
De periculo eius in expugnatione Capitonis	LIII.
De uitæ discrimine, in quo Romæ uersatus est	LIIII.
De infidijs ad Calorem amnem strenuè uitatis	LV.
De infidijs ad Saranum astu superatis	LVI.
De periculo ad Caietam paruo casu facilè superato.	LVII.
De moderata liberalitate eius, & abstinentia, contempnitiuè pecuniæ	LVIII.
De duabus eius concubinis	LIX.
De uxore eius Antonia Salimbenia	LX.
De Secunda uxore Catella Alopæ	LXI.
De tertia uxore Maria Martiana	LXII.
De liberis eius ex Lucia Trezania	LXIII.
De affinitatibus summa prudentia cōtractis	LXIIII.
De clementia, & seueritate erga suos	LXV.
De Martino Pasolino conseruato	LXVI.
De clementia erga Bisum	LXVII.
De inusitato pœnarum genere	LXVIII.
De Cra-	

CAPITVM ELENCHVS 203

De Gratiani supplicio	LXIX.
De mansuetudine erga Brandolinum Comitē	LXX.
De inuidia ex nece Tartaliae parta	LXXI.
Denatura ingenij	LXXII.
De disciplina domestica, & militari	LXXIII.
De cultu eius, & conuictu	LXXIIII.
De pietate eius erga superos	LXXV.
De pietate erga patriam	LXXVI.
De pietate erga propinquos	LXXVII.
De præceptis Francisco filio datis	LXXVIII.
De prudentia ex alienis iudicijs quæ sita.	LXXIX.
De candore ingenij, & memoria eius	LXXX.
De studio literarum Hetruscarum	LXXXI.
De generositate animi erga inimicos.	LXXXII.
De fortitudine eius in dolore tolerando	LXXXIII.
Deurbanitate eius	LXXXIIII.
De facete dicto	LXXXV.
De falsissimo dictorio	LXXXVI.
De Statura corporis eius	LXXXVII.
De agilitate membrorum eius.	LXXXVIII.
De infelicitate mortis eius	LXXXIX.
De Braccij iudicio, & laude erga defunctum, & eadē ipſius	XC.
De prodigijs, quæ mortem eius significarunt	XCI.

FINIS.

DE VIYA MAGNI SFORTIAE
DE NATIVITATE EIVS
CAP. I.



NATVS est SFORTIA Co-
tignolæ, antiquo Togatæ Gallie
oppido, iuxta uiam Aemiliam,
agri Fauentini, patre Ioanne,
ex Attendula familia, honesta
potius quàm nobili, sed maximè
opulenta, & quæ numerosa, &
militari iuuentute floreret. Mater ei fuit Elisa, uirilis a-
nimi mulier, ex Petracina factiosa gente: Ea erat serui-
dis admodum, asperisq; moribus, sed pudicitia & faci-
ditate mirabili: Peperit enim alterum & uiginti libe-
ros, quos ueluti ad arma natos ita educauit, ut facile cõ-
ptiora indumenta, exquisitasq; epulas, & mollia strata
contemnerent uerterentur autem rubusto quodã cor-
poris atq; animi uigore ad tuendum familiæ decus, &
id sæpius armis, quando grauissimas simultates cum Pa-
solinis æquè potentibus exercerent: quum Martinus
Pasolinus eius familiæ princeps puellam nobilem Bar-
tholo Sfortiæ fratri ex chirographo desponsatã, quòd
in eius dotem per ampla hæreditas ueniret, arroganter
intercepisset. Ob id sæpius iusta propè acie dimicatum
est, magnæq; cædes editæ, in quæ Bartholus uulnera-
tus est, & Martini filius: iteq; duo propinqui eius ceci-
derunt. Sed res eũ habuit euentũ, ut Martinus orbatus fi-
lio expoliatusq; omnibus amicis, atq; fortunis, oppido
pelleretur. Per id tẽpus uidere erat in Attendula domo
conclauia

conclauia, atq; cubicula non auleis, sed scutis atq; thoracib. exornata, atq; item lectos ingenti amplitudine sine loricibus, in quibus loricatae affinium cohortes promiscuè cubitarent, adeoq; uigilantes & intenti omnes erant, ut nullo cum honore mensarum, sed plerunq; stantes, & sine ullo ordine cibum caperent, quem exiguo sumptu, & nulla arte agasones, uel armigeri pueri tumultuariè parauissent.

De fama Natalium. Cap. II.

Non desuere qui diceret, sed in gratiam Braccianae factionis, ut Sfortianis demum principibus nouitas generis obiectaretur: Sfortiam paterno in agro ita operis praefuisse, ut & sua manu faciundo operi uomeres, & ligones strenuè tractaret, quod uel ob id inuidiosè confictum uidetur, quoniam tredecim annorum puer in Boldrini castra concesserit, neque inde redierit, nisi equestris ordinis miles. Sed iucundo prorsus mendacio fabula fidem fecit perennis fama, quae manauit ad posteros. Ferunt enim, quum agrum foderet, duro labore fatigatum, ab ea indignitate operis suspexisse in calum, & de tota uita fortuna uota suscepisse, ea sorte precatum Deos, ut uoto benè uerteret, cui brassaeq; protinus ligonem in praetam quercum, ut credi par est, antiquitus Marti consecratam, eo animi decreto, ut si decideret, cum aequissimè ad perpetuum laborem esset resumpturus: at si ramis haesisset castra continuò sequeretur. Verum Marti ligonem Fortuna appedit, ut satis uia aperiret. Gloriabatur hac fabula Franciscus pronepos quòd uel ob id familiae nomen nequaquam antiquae nobilitatis, sed spectatae uir. utis auspicio niteretur: adeo,

ut quum mihi humaniter arcem ab excellenti munitio-
ne, structuraq; toto terrarum orbe longè clarissimam,
armamentarijs patefactis ostendi iussisset, cōuersus læto
ore & hanc inquit, P. Ioui, quam miraris, & hoc im-
perium quo potimur, ab illo ligone habemus, quum fe-
lici nostra sorte in arborem à proauo cōtortus, fataliq;
ramusculo suspensus minimè decidisset. Vnde & illud
Pontani in defunctos intemperanter genuinum dētēre
exercentis, quum dixit. dux ab aratro Sfortia. Quasi
non in summa gloria sit, aut certè dispudeat C. Marij
exemplo ex aratore imperatorem euasisse

De horoscopo, & genitura, & nomine eius

Cap. III

Editus est utero matris, die Martis, quinto Calendas
Iunij sub auroram, Anno à partu Virginis-Millesimo
trecentesimo, & sexagesimo nono: sub id ferè tempus,
quo Carolus Quartus imperator auaritia infamis Ita-
liam reliquit. Lustrico autem die, quo ritè sacro fonte
ablutis nomen inponitur, puero Iacobi & Mutij no-
men indiderunt. Sed aliquanto pòst, obliterato primo
nomine, tantummodo Mutius est appellatus, donec ab
ingenij, uiriumq; indomito quodam uigore SFOR-
TIAE cognomen tulit, Mutij uerò nomē, & hodie quo
que in nepote Ludouici Sfortiæ principis repetitum
uidemus: quem Paulus eius filius, sed ex damnato coitis
susceptus è tãta sobole unicum, atq; legitimū reliquit.

De diuinatione Astrologorum. Cap. III.

In genitura eius Mathematici præcellentem syderū
posituram & sedes, aspectusq; mirabiles conspicati, ei
magnum imperium, immortalem gloriam, felicemq;
sobolem

sobolem prædixerunt: idq; demum subiunxere, eum nequaquam exacta ætate, & morte quidem repentina periturum.

De educatione & rudimento eius. Cap. V.

Ab ea, ut diximus, domestica educatione uulnere & periculorum contemptor factus, quum tredecim annos natus miram indolem ad militiam afferret, clam arrepto domi equo, & inuito quidem patre euolauit ad Boldrini Panicaliæ castra, qui Pontificiæ militiæ sceptrum tenebat: Eo nemo ducum felicior fuit: Nam dum uiueret, acie semper uictor, etiam post mortem sæpius uictorijs, triūphisq; militum suorum interfuit. Uti siquidem ducis sui cadauer exsiccatum conditumq; aromatibus in feretro circumferebant, quum neminem qui succederet militari imperio dignum putarent. Tēdebatur ei prætorium, non secus ac uiuo, & circumpositis uexillis, belli tessera petebatur, ita ut mortui cōsilijs quadam sorte exceptis, ad res gerendas feliciter uterentur. Adhæsit primum Spoletano equiti, cui ab iracundia Scoruccio cognomen fuit. Apud hunc quatuor annos permansit, adeo pertinaci corporis, ac animi contētione semper usus, ut ex armigero puero ferocium equorum domitor, & mox Lateronis nomine strenuus miles, cuncta officij munia Scoruccio charus adimpleret.

De prima militia eius. Cap. VI.

Posito apud Boldrinū tyrocinio, domum redijt intestino reuocatus bello: sed ibi demum pace parta, militiā repetiuit oppignorato fundo, ut armis & equis instructior domo emitteretur, propinquis uno
patre

patre excepto, sumptum improbantibus: ad quos iuuenis conuersus, desinite, inquit, mussare: Militari enim questu aut cuncta rependam, aut idem mea hereditas, si ita erit in fatis, ut acie occisus cadam, cumulatè persoluet. Itaq; primo cataphractus eques (Hic tempore quaternos equos trahabant) & non multò post turmæ & demum alæ præfectus sub Alberico, Broliæ, & Aucuto secunda fana militauit, adeò, ut uberiore se per stipendio & maiore præfectura dignus haberetur.

De alitudine animi, & cupiditate
gloriæ. Cap. VII

Excitabatur die noctuq; ad magnorum Ducum nomen, qui tū bellica uirtute prouecti ad ingentes opes ac imperia peruenerant, adeò, ut in corona, quum ali quid bello præclarè gestum nuntiaretur, commoto ueluti animo suspiraret: ut pote qui honesta emulatione inductus, felicitati eorum haud mediocriter inuideret.

De Ioanne Aucuto Britanno
Duce. Cap. VIII

Erat ante alios in oculis Ioannes Aucutus uir Britannus, qui ab extremis Oceani finibus, traducta in Italiam Anglorum manu clarus euaserat: quum rebellantem à Gregorio Pontifice Togatam Galliam expugnantis aliquot urbibus, pacauisset; tulissetq; in præmium nauatæ operæ quinque oppida, & in his Cotignolanam ipsius patriam: adeòq; mox inclaruisset, ut Bernabou Vicecomiti Italiæ Principum longè potentissimo gener ascisceretur, & cum Florentini demum ingentis exercitus ducem crearent. Vnde illi, uti de Republica benemerito, imaginem colosseam equestrem, supra se
pulchrum

pulchrum in templo maximo posuerunt.

De Brolia, Biordo, & Alberico magnis
ducibus. Cap. IX.

Militari etiam uirtuti apprimè nixus Brolia uir Al-
lobrox Afsiaturum in Vmbris tyrannus euaserat: quum
Florentinorum, & Romani pontificis dux fuisset. Bi-
ordus quoq; qui in Gallia aduersus Britannos magna
mercede, & multo maiore cū laude militarat, apud Pe-
rusinos principatū fuerat consecutus. Sed unus præ cæ-
teris Albericus Balbianus illustri fulgore gloriæ claris-
simus & ipsū, & Attendulos omnes ad obeundā militiā
accēdebat. Hic enim unus, quòd externæ gentes merce-
narijs armis Italiam quaterent, multaq; passim inma-
ni rabie baccharentur, indignitate permotus, Itatorū
animos qui tum per socordiam, amissamq; libertatem
ueteris belli gloria decidissent, in spem recuperandi no-
minis erexerat. Fuere sub eius imperio ingentes alæ ca-
taphractorum equitum, qui auspicijs diui Georgij mi-
litantes, sacramento adacti, nunquam se terga daturus
externo hosti coniurarant. Ab his demum non uno in
loco Britones profligati, cæsi Galli, pulsī deuictiq;
Germani, Hispani fusi, Allobroges, Angliq; deleti, a-
apud Italos non omnino extinctum antiquæ uirtutis
decus iusta confessione docuerunt.

De Alberico cataphractorum equitum
inuentore. Cap. X

Hic est ille Albericus, qui equitem cataphractum
ea specie, què m uidemus, formauit, & instituit, adin-
nento hoc conclusæ duplicisq; galeæ genere quo nunc
maximè utimur, & Gothico nomine Helmettum uo-

citamus: Imposuit & tegumenta equis quæ Bardæ uocantur, recocto è corio, ut Clibanarios equites à Persis ad Gothos, priusquam ad Italos reiectis loriceis adductos imitaretur. His enim nihil ualidius, si tormenta aenea ad exitiū humani generis, corruptelāq; ueræ militiæ reperta, consensu publico tollerentur: quādo iam egregiæ uirtutis decus nequaquā ad fortem, spectatāq; duris in prælijs dextrā, & inuictum corporis, ac animi robur, sed ad fortuitos uolantiū pilarū ictus, cæca semper sorte, & in his temeraria sæpe fortuna reuocetur.

De cognomento ex re quæsito. Cap. XI.

Quum in Alberici castris esset ferè imberbis, animoq; ferox, & manu promptus, sæpe turbas iurgiatq; misceret, nec quēquam ante se pugnam capeffere pateretur: in eo peracutus imperator animi, atq; oris habitum notauit, prædixitq; eum, nisi immaturè caderet, & paululum feruidi ingenij impetum prudentia temperaret, absoluti ducis nomen habiturum. Nec multò post suborta altercatione inter commilitones in partienda præda, immortale cognomē adeptus est: quum eam minus æqualiter diuidi immodicè quereretur. Siquidem tota licè ad ducis arbitrium delata, iudicataq; ad Albericum subirato & minaci uultu conuersus: Mihi, inquit, imperator, hoc tuo iudicio rata pars prædæ periniquè surripitur ita, ut in posterum similitè iniuriam æquo animo non sim laturus. Ad ea Albericus renidenti, & contracto ore respondit: An & mihi quoq; uti alijs soles, adulescens uim afferre uoles? Desume ergo tibi Sfortiæ nomen: atq; ita abolito Mutij nomine, ut ab omnibus uocaretur,

ēaretur, edixit: quæ uox Latinè exprimit uiolentum.

De primis commilitonibus eius. Cap. XII.

Eduxit autem patria peregrinæ iuuentutis manū, ad auctam mox cōcursu insignium equitum, quum bellicosissimus quisque spe laudis, & lucri cupiditate ad eum deferretur. In his fuere ex numero propinquorum Bartholus & Franciscus germani fratres: Sed in Francisco mira indoles efflorebat, cui ab insita ingenio eius audacia Boccaletto cognomen fuit: Præterea Bosius, Laurentius, Michaletus, & demum Foschinus Attenduli cum sancto parente Petracino auunculi filio, & alijs plerisq; , qui ē finitimis urbibus amicitia, & partium necessitudine coniuncti, crescentis in eo nominis famam uehementer obseruabāt. Hos omnes serè in historijs celebres uidemus. Verū illustris admodum euasit Michaletus, qui accumulatis ab humili gradu bellicis honoribus, Venetorum demum imperator effectus, ad exactæ ætatis terminos peruenit.

De præfectis ab se dilectis à promptitudine uirium. Cap. XIII.

E Turmarum, cohortiumq; præfectis eos maximè adauit, fraternoq; amicitia iure sibi obstrinxit, qui manu præcipuè ualere. diuisa enim inter Ducem, & militem esse militiæ munera dicitabat, ut uictoria pareretur: quum in illo ante omnia rationem, atq; prudentiam, in his autem expeditam uim, peracrem impetum, & indomitum robur omnino requireret. Propterea eos maximè deuitare, damnareq; erat solitus, qui in coronis sollicitè nimis, atq; subtiliter de belli ratione, exituq; rerum differendū

quid statuendum, quid ue tentandum foret, imperato
 ri consulere atque præscribere uiderentur. Cæterum
 ipsi perlibenter aspera queq; & periculosa munia de
 tractarent, soloq; & inani sapientiæ nomine contenti
 fortibus uiris ueræ laudis materiam relinquerent: qui
 imperantibus alacriter parère, uehementerq; pugna
 re, nec uulnera, & mortem timere didicissent. Ex hoc
 ordine primores ardentissimi dilexit Martinum Fa
 uentinum, qui aliquot post annos à Pandulpho Mala
 testa Ariminensium tyranno necatus est, quum inhiat
 ret eius pecuniæ, & crescenti insontis uiri gloriæ uir
 crudelis inuideret: Præterea Eustorgium Vicecomitem
 Ludouicum Columnã, Thomam à Typherno, & Scor
 pionem, atque Tarantulam à luco Flaminis, Zeno
 nemq; item Cribellum, & Parinum Derthonensẽ, &
 Gentilẽ Montaranũ, Angelumq; Lauellũ, cui ob hæsi
 tantiã linguæ, tumultũq; oris Tartaliæ cognomẽ fuit.
 De Amicitia cū Braccio inita. Ca. XIII.

Cum uno autem Braccio Montonensi, ætate, fortu
 na, uirtuteq; fermè æquali, arctissima familiaritate cõ
 iunctus adeo fraternè, & liberaliter amicitiam exco
 luit, ut aliquot annis inter se duo longè omnium in Ita
 lia maximi futuri duces, consilia, arma, equos, pecu
 niam, & tabernacula in communem usum conferrent
 iisdemq; uexillis, & laciniarum coloribus uterentur.
 Militaria enim sagula singulis equitib. ab humero dex
 tro in obliquum femur, coccineo colore; è contraria
 uerò parte, per transuersum albo, & cælesti alterna
 tim undulato destinguebatur. Verum ut aliquot ex pro
 pinquo discrimen foret, per acutos Sfortia fluctus,
 obtusiores.

obtusiores uerò Braccius eleganter expresserāt. Quorum insigniū argumentis atq; coloribus, hodie quoq; utriusq; factionis studiosos uti uidemus, quum centum quinquaginta & quatuor anni numerentur, ex quo ea ipsi authores, & Principes gestare cœperint.

De causis amicitiae cum Braccio
abruptae. Cap. XV.

Sed eam demum amicitiam iam pridem obtrectatione gloriae, & uirtutis æmulatione comminutam, Sfortia grauisimis offensus iniurijs, post XXX. annos adaperto tandem animo, & libero ore penitus abruptit: quum ipso Sfortia ad Beneuentum in carcerem coniecto, Braccius nihil amici calamitate permotus, uiolata repente amicitia, ea oppida, quæ sunt in Thuscis inter Cassiam uiam & Aureliam Sfortianæ ditionis, Tartaliæ inuadenda, occupandaq; tribuisset: idq; eo infestius à Braccio factum fuisse uidebatur, quoniam ab initio ipsius fidei commendata fuerant, & subinde Tartalia grauiorem iniuriam occupatis oppidis addiderat: quum Sfortianas turmas in hybernis oppressisset, fortissimo quoque decurionum, & equitum in uinculis retento. Braccius enim in Umbria felici rerū successu elatus, uasta cupiditate animum intenderat, ut urbis Romæ imperio potiretur. Tribus siquidem ea tempestate Pontificibus immani Cardinalium ambitione, atque superbia creatis, Crisiana religio lacerabatur: Romaq; terrarum quondam Domina, famē, pestilentia, ac incendijs deformata, obsessa latronibus, ac orbata Pontifice, factiosorum libidini seruebat. Ad id audendum, patrandumq; facinus, idoneus & opportunus

erat Tartalia, quum sub signis eius mille equites, & bis totidem pedites militarent. Fœdere itaq; icto, ut mutuis auxilijs atq; opibus fines proferrent, & sese aduersus vim hostium tuerentur, Tartalia facile cuncta usq; ad Senensium fines in potestatem redegit, præter Aquenses & Porsenianos, qui Sfortianorum præsidio tenebantur. Braccius uerò positus ad Anienem castris, fufisq; tumultuario prælio Romanorum copijs, urbe potitus est. Per eos quoq; dies Braccius Michaletum, qui capto Sfortia, ad eum amicitia iure cum trecentis equitibus confugerat, omni pudore dissoluto missum fecit, nec persoluto quidem stipendio. Quam demum cōtumeliam indignatus Braccio Picininus, magno, nobiliq; animo resarciuit, quum ex domestico abaco argentum omne, ut æs alienum cum milite dissolueretur, ad Michaletum detulisset. Per hunc modum inter se diducti, accensiq; odio Sfortia, & Braccius Italicæ militiæ principes effecti, magnosq; exercitus ductantes, de nomine sectas condiderunt. Quibus demum liberarum ciuitatum, Regum, atq; Pontificum opes uehementer attritæ, conuulsæq; sunt: quum ueluti ex condicto, pudenda eius seculi conditione, ad alenda bella sæpe altercantes, & semper aduersi, modò his, modò illis, mercenaria arma inferrent, aut sustinerent.

De causa inimicitarum cum Tartalia,

Cap. XVI.

Graui etiã de causa multis antè annijs cum Tartalia amicitiam diremerat: quum ad Casalecium, malignitate aut metu deserente locum Tartalia, se ab hostium cibus ex obliquo irrumpentibus cum turma protritum, & captum quereretur. Ea res, uti multorum ocu-

lis liquidissime spectata, euulgataq; utrinq; in castris di-
lui non potuit. Ob id in Tartaliæ pectus alte taciteq;
descenderat, adeo ut occultum uigeret odium, & co-
quidem lethalius, quòd illa eadem familiaritatis imago
officijs quibusdam, & alloquijs sustentabatur.

De prima equitum præfectura. Cap. XVII.

Suo primum ductu apud Broliam uigintiquinque
equitibus præfuit: qui numerus equitum eo tēpore tur-
mam implebat. Apud Albertum autem Ferrariæ prin-
cipem iustæ alæ uexillum sustulit, coniuncto sibi Lau-
rentio: in ea fuere equites ducenti. At confecto ibi bello
reuerfus ad Broliam haud multum ibi permansit acci-
tus à Raspantibus, qui tum Perusiæ popularem statum
induxerant: Oppugnabat eorum libertatem Ioannes
Galeacius Vicecomes: illi ex aduerso contractis auxi-
lijs, uno maximè Sfortia duce, seipsos acerrimè tueban-
tur. Sed ciuitas uiribus impar opulentissimo hosti tandē
cessit. Eo bello Sfortia uigilantis, intrepidi, maximeq;
pugnacis ducis famam consecutus, utrinq; uirtutis &
fidei præmium tulit. Donatus enim est publicè ad orna-
mentum abaci, celato argento, & ab hostium duce,
duplicato stipendio Ioannis Galeacij militiæ adscri-
ptus. Inijt tum arctiorem amicitiam, societatemq; cum
Parino certa lege communicatis turmis, ut equali au-
spicio regerentur. Sed profecti ad Insubres, quum non
uno in loco equali sorte, sed dispari cum laude milita-
ent, obscuriusq; indies fieret Parini nomen, Sfortia sci-
licet fortibus factis duorum famam uendicante, li-
uore atque perfidia Parini exauthoratus, dimis-
susq; est: quum falso accusaretur apud suspicacem

Principem tanquam occultus, & capitalis Gibellinarum partium hostis, & genere Guelphus, cui factioni se maximè aduersum Galeacius, quod ita sibi conduceret, factis & dictis profiteretur. Eo modo proditus, sed cum multo uerborum honore à Galeacio dimissus, ad Florentinos se contulit, qui tum Gallorum Reges, & Germanos Cæsares aduersus Galeacium concitarant.

De insignibus gentilitijs à Roberto
Cæsare donato acceptis.
Cap. XVIII.

Sub id tempus Sfortiam iam pridem eximiæ uirtutis opinione percelebrem, Robertus Cæsar Augustus Romanorum imperator illustrem fecit. Descenderat is in Italiam Florentinorum pecunijs euocatus ad bellum, ut Galeacius Mediolano pelleretur. Sed demum duob. tumultuarijs prælijs ad Brixiam pulsus, repressusq; cū Patauium reparandis copijs diuertisset, obuiam honoris & præsidij causa Sfortiam habuit, qui tum statiuus in castris ad Montagnanam Patauino principi, Venetorum oppresso armis opem tulerat, præpositus Florentinorum auxilijs, quæ socio, amicoq; principi iure fœderis mittebantur. Exceptit Cæsarem perornato, compositoq; more militiæ, toto equitatu circumductis, & in duplices alas digestis ordinibus, ita, ut Cæsar ea specie cataphractorum equitum, qui cristati, bardatiq; omnes procurrerant, mirum in modum oblectaretur, erigeretq; animum, renouando bello, si ijs maximè copijs, & Sfortia duce iuuaretur. Commouit & in admirationem Robertum simul, proceresq; Germanos Sfortiæ equus tanta arte concitatus, circumactusq; in gyros, rursusq;

rursusq; tum plenis, tum suspensis saltib. reflexus, ut sese fore Sfortia nemo peritior, aut habilior reperiri posse uideretur. Qua una arte Germani grauiores, segniorresq; habentes equos, dudum ad Brixiam se uictos fuisse memorabant. Visebatur in Sfortia uexillis citonium pomum, uetus Attendula gentis insigne ductu scilicet ab oppidi nomine, uti principem familiam decuit. Ad id aspiciens Cesar, & ad Sfortiam se conuertens: dignu inquit, uirtute tua Leonem dabo, qui citonium leua sustineat, & minaci dextra tueatur, ne quis attrectet, atq; corripiat. Atque ita tabulis lata membrana confectis, Leonem fuluum erecta ceruice, alteri pedi innixum, dono dedit, concessitq; ut Attenduli omnes eo argumeto uterentur, essentq; in clientela Baioariae principum, quorum essent a prisca origine gentilitium insigne. Na Robertus ipse, Norici regulus, e Baioaria familia suffragijs Germaniae procerum de more ad imperium accesserat.

De honoratiore militia eius Cap. XIX.

Regressus in Hetruriam Florentinis aliquot annos militauit, Bononiensi primum bello, quo uel ab aduerso pugnae euentu, quum in hostium potestatem uenisset & fama clarior, & stipendio auctior euasit. Pisano autem bello id magni ducis specimen dedit, ut Nerij Caponij manu, de Angelo Pergulano hostium duce profligato, lauream acciperet, atq; item liliatum uexillum, decretoq; demum publico annua pecunia donatiui nomine donaretur. Sed pisanis in seruitute redactis, cum Florentini quiete, atq; otio fruerentur, ad Nicolaum Atestinu Ferrariae principem contendit. Is tum ab Othone ter-

tio Parmensium Tyranno accerimè premebatur. Galeacio enim Vicecomite morte sublato, duces, dilacerato eius imperio, singuli singulas urbes occuparant, Parma, Regiumq; lepidi cum multis oppidis Othoni cedere. Is ueteranis instructus copijs, in queis supra quatuor equitum milia fuerant, Mutine, atq; Ferraria imminebat, populabaturq; effusè agrum & cuncta bello terrore complebat. Ceterum superuentu Sfortie, eius impetus fortiter est repressus, bis conferta pugna, semel pro Mutine portis, quum Sfortia in eum ad suburbana usque tecta insolentissimè prouectum duabus portis feliciter erupisset: ac iterum non longè à Robertia, ubi Othoniani loco pulsi, ponteq; deiecti, multis suorum amissis terga uerterunt. Nec multò post, ad Regiolum ancipiti euentu ex itinere dimicatum, cum Sfortianos à Guastalla maioris pecoris agentes prædam, Otho ferociter adortus ancipiti periculo conflixisset. Suffosso enim equo circumuentum, & captum, tanta ui ueterani equites, ut opem ferrent, signa intulerunt, ut erepto duce ipso ex Sfortianis ad triginta equites cum Michaleto caperentur. Hos Otho contra morem militie compedibus oneratos, duro in carcere quatuor menses detinuit, adeoq; inhumaniter cruciauit, ut media hyeme nudos gelida aqua perfunderet. Sed perrupto demum carcere feliciter effugerunt, ut eam iniuriam Othonis cæde uindicarent.

De Cæde Othonis Tertij. Ca. XX.

Otho ubi conatibus suis sustinente, urgenteq; Sfortia, acerimè resisti uidet, pacem, ut falleret se appetere simulauit, sperans Nicolaum, prægrauate stipēdijs Sfortianas,

tianas copias esse dimissurum, ut demum ex occasione incautum, exutumq; armis repentinus inuaderet. Posulabat igitur Otho ut Nicolaus in colloquium deuenire minimè grauaretur, ut coram de pace liquidissimè agi posset. id bis abnuerat Nicolaus ab insidioso, astutoq; homine dolum ueritus, sed tandem assensit, ut eius perfidiam præoccuparet: res eo modo composita est, ut ambo inermes, binis stipati equitibus, pariq; spacio à suorum agminibus prouecti ad primum à Roberia lapidem militari in uia conuenirent. Aderant Othoni Guido Taurellus, & Antonaccius Aquilanus clari duces: Nicolaum uerò Sfortia, & Michaletus medium tenebant. Ceterum uix dum cæptis sermonibus, Sfortia præalto & feroci equo in Othonem repente concitato cum per lorica, quam lacinia testâ frustra induerat sub costis gladio transfodit, prostratum confecit Michaletus, Taurellus & Aquilanus, quum signo dato undiq; ex insidijs procurreretur, capti; comitatus uerò eorum in fugam præceps, magna ex parte armis, & equis exutus est. Extemploq; Sfortia promotis Castris Parmam contendit, receptusq; à ciuibus, qui liberatori, & tyrannicidæ insigni studio fauendum existimabant, Othonis filium in arce obsedit: Is erat Nicolaus cognomèto Guerrerius, quæ uox bellicosum sonat. Ea dedita pari demum euentu, & Regium, & sancti Domini oppidum, cum triginta amplius castellis in ditionem Atefini deuenere, ita ut Fortuna puncto temporis Othonis imperio pariter, ac uitæ finem attulerit. His rebus biennio confectis, Sfortia quum à Nicolao discederet, Monticulo Parmensis agri oppido donatus est:

atq; item uexillo, in quo adamas turbinatus aureo inclusus annulo depictus erat: quo insigni postea, & ipsius & posteros eius perpetuò usos fuisse conspiciamus.

De diuersitate famæ ex Othonis
cæde. Cap. XXI.

Fuere ea tempestate, qui clarissimi facti nomen accumulata cum laude celebrarent. Porro alij contrà interpretarentur, ut pote qui sacrosanctam colloquij fidem singulari perfidia uiolatam, iusq; gentium foedo in posteros exemplo temeratum, atq; sublatum dictarent, adeo ut Sfortiæ militari iudicio, magna quidem inuidia, sed Nicolao multò maxima conflaretur. Quamobrem Sfortia, ubi se acrius perstringi didicit, publico in loco, ita, ut à multis insignibus uiris exaudiretur, in hunc modum est prolocutus: desinant, inquit, ex occulto uerbis criminari, quicquid de Othone transactum est: quãdoquidẽ ego eũ iure occisum, si quis improbet, singulari certamine sim ostensurus. An nõ ego etiam in gratus, & nequam existimari potuerim, si principi, qui me ipsum copiasq; meas alit, parère, operamq; præstare recusassẽ? in eo præsertim homine tollẽdo, qui perfidia, & seua tyrannide infamis, contra fas & æquũ, sceleratis armis aliena appetebat: cũ & ego quoq; immuni lacebitus iniuria eum priuato nomine, & iure quidem optimo, uel ad aram fuerim occisurus.

Quibus principibus operam nauarit
Cap. XXII.

Quatuor demum Pontificibus Maximis, & totidẽ regibus, aut dux summus, aut æquali cum imperio operã nauauit: Gregorio XII. primũ, ac Alexandro V. cũ

Ludo-

Ludouicum II. Andegauensem in paternum regnum reduceret, ac demum Ioanni XXIII. à quo insigni liberalitate, ut merita stipendia soluerentur, Cotignolâ patriam dono accepit. Quo munere nihil uberius, aut omnino iucundius in toto uitæ cursu sibi euenisse fatabatur, quòd honestissimo dominatu parto, ciuium suorum princeps esset effectus. Afferuit demum in libertatem Romanos Braccio urbe depulso, legatumq; Vselanum in arce diu obsessum dignitati resituit, Stephanuccio Cardinale in carcerem coniecto qui ordinis & patriæ dignitatis oblitus, auersusq; Pontifici, Braccij partes sequebatur. Martinus enim in concilio apud Constantiam, Ioanne in ordine Senatoriũ redacto, omniũ suffragijs pontifex renuntiatus in Italiam venerat. Nec multo post, Sfortia, uti decuit pontificiæ dignitatis assertorem, urbe Roma Iordano Columnæ tradita (is à fratre Pontifice præmissus fuerat) sacrosanctæ militiæ Vexillifer creatus est, ut eo honore, qui in Italia supremus habetur, supra cæteros duces emineret.

De Ludouico Secundo, & amore
Reginæ Ioannæ. XXIII.

A Ludouico Secundo insignem tantum beneuolentiam, gratiãq; promeruit, cū ille Ladislao ad Fregellas memorabili acie superato, uictoria uti nesciisset, interrupto scilicet secundarum rerum cursu pessimis Pauli Vrsini artib. Transiuit demum magnis, frequẽtibusq; iniurijs, ab eodem Paulo urbe extrusus ad Ladislaum. Ab hoc rege qui totius Italiæ imperium ingenti animo affectabat, quatuor oppidis in Samnio donatus est: cū & antea Franciscum filium urbis Tricarici Comitem

fecisset, qui tredecim annorum puer, ut paternæ fidei obfes foret, è Ferraria Neapolim aduenerat. Ladislaus autem immatura morte surrepto, sorori eius Ioannæ Reginae adhaesit, iactatusq; est uario euentu, magnis fortunæ fluctibus, quum modò insigni gratia floureret, modò graui pressus inuidia mergeretur. Incredibile quidē dictu est, quantos æstus receperit Reginae animus, cum insanis amoribus perditissimè deseruiret. Nam Alopo, Urbanus Aurilia, atq; eo prætextu legationis in Germaniam ablegato Carracciolus successerant. His admiscebatur Sfortia, procacibus Reginae oculis ad amorem pellectus: Eò ceteris grauior riuualis, quòd omnes simul ingentis animi uirtute, copiarumq; inuictis opibus anteiret. Inter tantos rerum motus, quibus modò aduersa modò secunda, & semper instabilis fortuna Sfortiani exercuit, obuenerunt ei largiente Regina Beneuentum, Manfredonia, Barolum: itemq; Trannium urbes, & supra XX. oppida, partim in Apulis, & Sannio partim in Brutijs, atq; Lucanis. Sed diductus demum à Regina, quum Sergiani dolis, ac insidijs peteretur, Ludouico tertio Secundi filio se coniunxit, ita iubente Martino Pontifice, qui Ioannam Reginae maiestatis nomen perpetuis stupris dedecorantem, regno exturbandam susceperat. Sed amantium iræ, bella, suspiciones, eum rebus exitum dederunt, ut Sfortia rursus in gratiam, pristinumq; militiæ honorem reciperetur. Quo etiam tempore cum Braccio ueterem amicitiam repetiuit, quum duo longè clarissimi duces, manentibus inducijs, in colloquium Saccomania in sylua deuenissent. Desciuit de-

uit demum ab adoptante matre Regina ingratus filius
 rex Alfonsus: adeo ut capto Caracciolo in arce Capua
 na Regiam oppugnaret. Qua indignitate permotus
 Sfortia, obsessæ celeriter opem tulit, memorabiliq; pu-
 gna, Rege profligato, Catalanos in arcem nouam cõpu-
 lit; neq; postea unquam ab officio amicitiaq; discessum.

Quoties prosperè, infelicerq; pugna-
 rit. Cap. XXIII.

Septies iusta acie feliciter pugnavit, ter tantum alte-
 rã fortunam expertus, & ea quidem conditione, ut ad-
 uersis aliquanto clarior, quam secundis haberetur. Ne-
 mo enim eo constantius hostilem impetum ferre, perti-
 nacius resistere, nobilius pedem referre, & denique for-
 tius ducis simul, ac militis officia implere didicerat: ut-
 pote qui nunquam propinquo, & ferienti hosti terga
 ostenderet: nunquam nisi omnium postremus, & ora
 ferociter obuertens, & acriter repugnans se reciperet.
 Da Angelo Pergulano profligato. Ca. XXV.

Pisanis graui bello, & prædura obsidione fermè op-
 pressis, quum Angelus Pergulanus incomparabili ui-
 ctoria de Heluctijs parta admodum clarus, qui opem
 ferret Aurelia uia per Senensium oram aduentare nũ-
 tiaretur, unus Sfortia obuiam eundi reprimendiq; ho-
 stis munus alacriter suscepit: quanquam Bertoldus Vr-
 finus ad quem belli summa respiciebat, ne ancipiti præ-
 lio pugnandum foret, remoturus à muris castra id con-
 siliu damnaret, & minus ab ipso quoq; Tartalia pro-
 baretur. Concedente igitur Nerio Caponio legato, qui
 promptu in eo animi uigorẽ admirabatur, magnis ac-
 iustitatis die noctuque confectis itineribus, syluisq;

etiam ac impeditis fluminibus magno labore superatis
 improuisus ad hostes contendit. Quo repentino incur-
 su, cum signa e syluis educeretur, tantum terrorem im-
 paratis intulit, ut Pergulanus bis frustra cōposito agmi-
 ne, bis pugna strenuè instaurata, fusus, fugatusq; sit, si-
 gnis ac impedimentis omnib. amissis, & uix quarta par-
 te equitum ex uehementi cursu seruata. Ad eam quoq;
 uictoriam memorabile facinus adiunxit, quum detra-
 cta hostibus saga equites suos induere, praelatisq; Per-
 gulari uexillis ad proximi oppidi portam procedere
 felici dolo praecepisset. Id erat Castellionum ab Aprili
 piscoso lacu Piscarium appellatum, in ora maris saxeo
 tumulo impositum. Nec mora, oppidani eo errore de-
 cepti, hostes pro socijs gratulanter exceperunt. Atq; ita
 irrumpente occupatam à primis portam toto exerci-
 tu, oppidū captum, direptumq; est. Ob eam rem à Per-
 gulari malè gestam, desperatis rebus, Pisani Florenti-
 nis deditioem fecerunt. Sfortia autem, dum uita ma-
 neret, Senatus, uti de Republica benemerito, millenos
 quotannis aureos liliatos, donatiui nomine decreuit.

De Ladislao Rege ad Lyrin superato.

Cap. XXVI.

Eo bello, quo Ludouicus Secundus Andegauensis,
 adiuuante Gregorio Pontifice, ipso Sfortia, ac itē Pau-
 lo Ursino ducibus, in Apuliae regnum reducebatur, mi-
 rum in modum cum prudentiae militaris, tum inusitatae
 uirtutis laude nominis famam adauxit. Ladislao enim
 Rege, ut fines tueretur, ex Casinatibus campis ala-
 crius prouecto, quum ob id suspensio admodum Ludo-
 uico duces cunctarentur, Sfortia pernobili in medium
 prolata

prolata sententia, transeundum omnino Lyrim amne,
 atq; è uestigio hostes inuadendos censuit: quòd cuncta-
 ri, & sedere arma inferentibus ineptum, & exitiale ui-
 deretur. Itaq; Lyri supra Fregellas uado superato, col-
 latis signis est dimicatum, & eo quidem euentu, ut pro-
 fligato Rege, & prostratis eius copijs, castrisq; etiam
 & signis, ac ducibus captis, uictoria inter memorabi-
 les pararetur. Eo die Sfortia cuncta moderatus, instru-
 xit aciem, & primum agmen in hostes induxit: ita, ut
 ferè omnium primus fortissimum quenque se sequi iu-
 bens, inclinata adpressaq; lateri hasta, purpureis insi-
 gnibus conspicuus, Nicolaum Campobassè Comitem,
 qui auratis armis resurgens, & præalte cristatus emine-
 bat, ingenti ictu prosterneret, & caperet, ipseq; demũ
 uariante fortuna, ut sit, crescentibus utrinque auxilijs,
 in omni ferè pugnae loco, atque periculo, & præclarus
 adortator, & bellator accerrimus conspiceretur. Vsus
 est ea die incomparabili equo spadice alternos pedes
 usq; ad genua calciato, cui ab Agilitate Cato nomen e-
 rat. Primam igitur uictoriae lauream Ludouicus Sfor-
 tia detulit inuidente Paulo Vrsino. Quòd non multis
 inde annis Ladislaus ambobus regijs in castris ad Tu-
 dertum militantibus, præclaro testimonio confirmauit
 cum præsentì Paulo Sfortiam interrogans, dixisset: An
 non & hoc oppidum expugnabis, qui ad Lyrim cum
 illo Cato equo tuo ubique pugnax, & uehemens, me i-
 psam, copiasq; meas profligasti? Quæ uerba in Pauli
 animum iam antea cæco liuore corruptum, profundè
 admodũ descenderunt. Sfortiã enim uir superbus, neq;
 superiorem sibi, neque parem existimari uolebat.

226 DE VITA MAGNI
De prælio ad Aquilam feliciter com-
misso Cap. XXVII.

Quum Regina delitijs, amoribusq; uacaret, & Alo-
pus Regio planè fastu rerum potiretur, capto demum
Sfortia, plerique regni proceres ab ea defecerant. Sed
ante alios Alopum, Reginaq; terrebat Antonaccius
Regulus, uir bello clarus, qui Aquilam ualidissimam
urbem occuparat. Is terror Sfortie saluti fuit. Custodia
etenim eductus, instructo ualido exercitu Aquilam cō-
tendit. Cū castra ad urbem proferrentur, Antonac-
cius uiribus ac ingenio ferox, minimè dubitauit, quin
copias omnes militares, atq; item Aquilanorum iuuen-
tutem, & ingentem armatorum agrestium manum e-
duceret, & magna loci fiducia, & populari quadam
alacritate, infestis signis in Sfortiam deferretur. Ferūt
Sfortiam temeritate, ac insolentia hostium permotum
risisse paululum, monuisseq; præfectos ut confertum,
maximèq; densatum cataphractorum agmen irruen-
tibus obijcerent, nihil autem loco mouerentur, da-
nec ipse, quid fieri uellet, tuba signum dedisset. Erat in
dextra accliuus locus, ibi cohortes locat, ad leuam pla-
niori in loco, leuem armaturam equestrem lunata ala
sese ostentare iubet: ipse subductis è medio agmine dele-
ctis aliquot turmis, magno itineris flexu, in tergo nihil
tale putantibus sese ostendit, ita ut nouissimos hostium
exeuntes porta, partim intra urbem compelleret, par-
tim ab urbe exclusos, & ad suorum extremum agmen
confugientes persequeretur. Tum uerò signo tuba da-
to, & peditatus ab accliuo loco repente in latus hostiū
decurrrens, & leuis armatura è diuerso expansis alis
concita-

concitata in medios impetum fecere: cataphraetus quoque equitatus à fronte irruētium impetum egregiè excepit, atq; sustinuit: ac eodem serè puncto tēporis Sfortia cecidit terga. Quibus malis undiq; circumuenti Aquilani, in medio cæsi, & ad unum serè omnes cum duobus atq; uexillis capti temeritatis pœnas dederunt. Qua calamitate permoti, qui in vrbe resisterāt, portas uictorib. aperuere, orātes Sfortiā ut uictos pari ter & deditos cōseruaret. Nec mora captiuos omnes una uoce liberauit: Antonacciumq; in primis, & decuriones urbis cœnæ adhibuit. Tanta re patrata, confectoq; bello sine suorum uulnere, hortatus est Aquilanos, ut Regine nomen in posturum fidelius colerent, & ad impetrandam erroris ueniam ipsius auctoritate, ac officio uterentur, se libentissimè intercessurum pro his, quos incolumes conseruasset, quum iure belli diripere atq; interficere posset. Id uero fortunæ fuit humanis rebus illudentis Aquilanos paulò antè superbia elatos, ingentiq; mox fractos calamitate, & demum subitò atq; insperato gaudio exultantes conspexisse. Quo Aquilano exemplo adducti, Iulius Cæsar Capuanus, qui Capuam occuparat, & Carolus Martianus, & Christophorus Caietanus, restitutis urbibus, ac oppidis, neluti desperantes, consilioq; depulsi, Sfortia uade, fidemque suam Raginæ nomine præstante, ad officium redierūt.

De Tartalia ad Tuscanellam deuicto

Cap. XXVIII,

Tartaliā inimico simul ac hostili animo persecutus, ad Tuscanellam improuisa acie profligauit, ulturus iniurias, quas superiore anno dū in custodia seruaretur

acceperat. Noctu enim à diuersa Viterbij porta, ut speculatores falleret, cum expeditis copijs profectus, pedites caua in ualle occultauit, ut ex insidijs, quum signum pugnae datum foret, extemplo prosilirent: turmas uerò quatuor cum Sanctoparente obliquo itinere locatas statuit, ipse cum robore equitatus intra syluam constitit, uti praeceperat, praemissi leuis armaturae equites, praedatorum specie, armenta pascentia corripere, fugatis agrestibus coeperunt. Tartalia ad clamorem excitatur, familiam armat, praedam abigentium tergis inherere iubet: crescente tumultu, oritur praelium. Auditis numero hostibus, Tartaliani equites ad tubae cantum sub signis porta effunduntur: nec se continet Tartalia, quin ad ferendam opem cum globo cataphractorum erumpat. Tum uerò erupere è syluis undique Sfortiani, pugnantissimum est, ac si alias unquam longè fortissimum. Sed premente Sfortia acrius, sternentemque signa, Tartaliani intra portam sunt compulsi magno accepto detrimento, maioremque ducis periculo, qui inuectus per pontem irrupentibus simul Sfortianis casu quodam seruatus est: quum Hugonem Sfortianae turmae praefectum, uehementi offensione ab cathena pontis in fossum deturbatum, reliqui impedito atque occupato potè subsequi nequiuissent. Nam Tartalia saucius, et multo perculsus metu extemplo cataractam demitti iussit, ita, ut alienae salutis oblitus, terram ferè suorum partem excluderet. In his Donatus Lauellus Tartaliae frater fuit. Captus est et in oppido Pellinus Cotignola dux turmae fortissimus, qui cognitum Tartalianum, magnisque ictibus ferreae clauae percussus, ut caperet, fuerat insequutus. Eo praelio Franciscus Sfortiae filius sextumdecimum natus annum, quod

antea ei pater minimè concesserat, in aduersos hostes alacriter hastam perrupit, subindeq; cingulo militari, & calcaribus aureis, præclaro etiam hostium testimonio exornari promeruit.

De pugna ad Sebethi pontem egregiè depugnata.

Cap. XXIX.

Memorabili autem ea acie qua iuxta Neapolim ad Sebethi annis pontem pluribus horis est dimicatum, mirificæ uirtutis laudem tulit, præclaro maximè Alphonsi regis præconio confirmatam, qui tum hostis & spectator è trireme cuncta oculis obseruabat. Reducebat tum Sfortia Ludouicum III. Andegauensem in auita paternaq; iura Neapolitani Regni, authore Martino Pontifice: quum Reginam seuerè aliquandiu, & frustra demum castigatam armis omnino persequendâ censuisset, quòd nihil famæ suæ parceret nec ullo dedecoris metu, aut respectu Christianæ pietatis permoueretur: ut pote quæ iampridem contra fas, & Regium decus, amatoris Sergiani intolerandæ libidini nobilissimi regni nomen, & diuina, ac humana omnia subiecisset. Ob id impotens sui mulier, libidine simul atq; superbia exardens, Alphonsum in Corsica bellum gerentem euocarat, adoptaratq; in filium, ut Hispanicis opibus uim Galli hostis propulsaret. Itaq; multis ante diebus oppugnata, & ex insidijs per aqueductum, & obsoletam portâ semicapta Neapoli, & Ludouicus in Sfortiana castra ad Auersam peruenit, & Alphonsi oneraria, & rostratae naues ad Oui arcem appulerunt. Quam obrem Sfortia, & nauandæ opera, & ostentandæ uirtus cupidus, ad Sebethum usq; castra promouit. Inde sex

stadijs ad urbis portas, præmissis leuis armaturæ equitibus: nō modò stipendijs addictos, Vrsum Vrsinū, & Iacobum Candolā, & Bernardum Cartheium duces, uerū & equites Catalanos, quos Alphonsus aduexerat, & Neapolitanos, tū maximè equitatu studētes ad prælium exciuit. Commissa est pugna paribus animis, sed Alphonso triremes ad littus admouente, & lapideas pilas tormentis in opposita hostium latera sæpius emittente, ter reppressa est Sfortiæ uirtus. Sed deteresa tormenti ictu ab casside crista, eo ardore pugna restituit, & signa intulit, ut pulsio loco hostes terga darent, & dissipato agmine cū multa equorū ac hominū strage intra portā cōpellerentur. Tum uerò Sfortia uictor, ut Ludouico simul, ac Alphonso designatis regib. ardorē studiumq; suū ostentaret, in præalta ad portā munitiōne Andagauensium signa præfixit, tutatus ea per semihoræ spatiū ne à quoquā prius quā se reciperet, impune tollerentur. Eo prælio id certè memoria dignū accidit, ut uirtutis amore Alphonsus in eū unum tormenta naualia dirigi uetaret. Sfortia uerò pariter ediceret, ne currulib. tormētis in littore constitutis triremis Regiæ peteretur. Nam Squarcia Monopolitanus inter Sfortianos bellator acerrimus, cū suffosso equo captus, & ad Regiam triremē scapha perductus, petente Rege, pugnantē Sfortiam digito cōmonstrasset, ille pernobilis, & planè regia humanitate, parcendum cūm duci eximio, tum ballatori fortissimo protinus edixerat.

De Roma libertati restituta, & Picinino
acie capto. Cap. XXX.

Missus à Regina cum ualidissimis copijs, ut urbem
Romanam

Romam impotenti Braccij dominatu liberaret, ad pro-
 merendā eo insigni beneficio gratiā apud Martinum
 Pontificem, inter Appiam & Latinā portā castra loca-
 uit. Inde cū Braccium, uel missa per præconē cruenta
 ad eum cheirotheca, ut iusto prælio certaretur frustra
 prouocasset, supra Ostiam demū Tyberi ponte construa-
 to exercitum traduxit, tanta animi magnitudine, uicto-
 riæq; fiducia, ut dubitantib. sciscitantibusq; præfectis,
 an ullum haberet amicum, à quo cōmeatum esset petitu-
 rus, cōprehenso gladij capulo responderit: His uiris &
 fortibus omnia feliciter expediet: atq; ita pontē rescin-
 di iusserit. Ad eius rei samā, adeo mente cōmotum fuis-
 se Braccium ferunt, ut diffusus populo Romano, nec cō-
 clamatis quidem uasis, multisq; relictis impedimentis
 per Miluuium pontem se proriperet, atq; inde recisa
 pontis parte, ne hostis insequi posset, in Umbria fines
 citato agmine deferretur. Sed cōpositis iam urbanis re-
 bus, Picininus à Braccio circa Preneste cū parte exer-
 citus relictus, cū infesta populatione circa urbem Ro-
 manorū armenta diriperet, & Romanos primò, ac i-
 psam deniq; Sfortiā, ut opem ferret, ad prælium exci-
 uit. Pugnatum est uario euentu, & utrinq; semper acer-
 rimè, præter aquæ ductum, cū Picininus prædam tue-
 ri, & Sfortiani Romaniq; iam longè abactā recupera-
 re, summa cōtentione decertarent. Ad extremū adni-
 tente, cohortanteq; Sfortia, Bracciani profligātur, om-
 nisq; itē præda recipitur capiturq; ipse dux hostiū Pici-
 ninus, ad augēdam Romanorū Sfortiæq; Letitiam. Is tā
 diu in Capitolio ualdè humaniter ac liberaliter custodi-
 tus, non prius est emissus, quam impetrante Braccio

Sfortiani milites, ducesq; à Tartalia in insulas Vulfinij lacus relegati, facta permutatione ad Sfortiam incolumes perueniunt.

De Alphonso rege acie profligato.

Cap. XXXI.

Longè autem nobilissimè secundissimèq; cum Alfonso Rege conflixit, quum ille ingrato animo, atque impijs armis Reginam matrem oppugnaret, Procurante enim Martino, nec abnuente Ludouico ad Caietam pace facta, & restitutis demum Acerris, Sfortia Regina, Regisq; militia fuerat adscriptus, ea conditione, ut praecoccupanti exigentiq; operam nauaret. Eo tempore Alphonsus regnandi auidus, neq; probra famosæ matris, neq; portentosam Sergiani potentiam ferre poterat. Itaque felici astu, simulata ægritudine, illectum ob id Sergianum, ac officij causa ut decumbenti assideret, in arcem nouam uenientem cum uniuersa familia comprehendit, correptisq; repente armis, cum delecta ad id Catalanorum manu, ut reginam opprimeret, ad Capuanã arcem aduolauit. Sed magno casu renütiantē Sergiani casum puero, qui facile inter crura custodum portæ elapsus accurrerat, Regina seruata est. Iam enim armatus Rex prioribus equi pedibus pontem attigerat, quum à Damiano centurione, reiecto per frenum equo ianua est prohibitus. Nec mora accitis undiq; copijs circumsideri, oppugnariq; missilibus, atque tormentis coepit: Peruasere tamen cum literis Reginae ad Sfortiam nuntij, maturam opem perditis rebus implorantes. Itaque Sfortia à Mirabello insigni celeritate Neapolim promotis ad arcem copijs profectus, per idoneos

idoneos homines orauit Regem, ut tam foedo incepto abfistere, nec à foemina eadem & matre oppressa (quod à uirtute Regij animi alienum uideretur) gloriam appetere uellet. Se enim officij lege præoccupatum Reginae saluti deesse non posse, sed daturum enixè operam, ut Regina eum ex æquo regnare pateretur, tollerenturq; dissensionis causæ: quod factu facile foret, quandoquidem Sergianus in ipsius manu esset, à quo Reginae animus ad omnem consilij casum expositus dependeret. Ad ea Alphonsus elatè respondit: Se Sfortia armato, disceptatore atque arbitro uti nolle. Nec multò post, magnis accitis undique copijs, regio spiritu egressus urbe, collatis signis cum Sfortia dimicauit. Eo prælio uera uirtute, & uario sepe euentu, quum multis horis pugnaretur, ad extremum Sfortia felici consilio hortorum macerias in latere hostium disiecit, accipitiq; acie circumuentos hostes fudit, tanta ui intransuersos inuectus, ut penè rex ipse interclusus caperetur. In ea equorum ac hominum strage, Sfortia primum Regiæ alæ Signiferum sua manu confodit, captaque sunt equitum ad duo millia, & in his nobiles Catalani centum uiginti, Illustrésque uiri Raimundus Perilius, Ioannes Moncata, Bernardus Contellia, & Lupus Correllia. Eodem uictoria impetu in arcem Alphonsus est cõpulsus, ita ut à Neapolitanis, Sfortianisq; Catalanorū omniū domus in prædā uerterentur.

De infelicitate prælij ad Viterbium.

Cap. XXXII.

Infelici porrò euentu ad Viterbium cum Braccio pugnauit, sed desertus, & proditus à Giliberto, & Nicola

colao Vrsino, qui cū Braccio paucis ante dieb. occulto
 foedere icto, ubi occasione fortuna præbuisset, se Sfortiã
 in acie deserturos promiserant, cuius sceleris indices
 tabulas Nicolai subscriptas manu, Braccius in collo-
 quio ad Saccomaniam sylvam Sfortiæ postea ostendit.
 Dimicatum est in Cassia uia non longè à Bussetanis a-
 quis, cū Tartalia transuectis per Vulsinum lacum co-
 pijs suis Braccio se coniunxisset, qui ab Arispampano,
 & à Balneo Regio (id Feroniæ lucus fuit) ad montem
 Faliscum peruenerat. Pugnaere summi duces, summis
 incensi odijs, summisq; uel ob id annexi uiribus, à me-
 ridie ad occasum Solis: cū nemo (teste demum uictore
 Braccio) è tantis copijs (quandoquidem ab octo milib.
 & uitum pugnaretur) ipso Sfortia, aut maiore arte, aut
 uehementiore impetu, aut diuturniore constantia dimi-
 casset. Cæterum Sfortiam frustra reuocantem suos ut in
 prælium redire. . . lethale uulnus ceruice acceptum tar-
 dauit, amissis subinde mille & septingentis equitibus.
 In his capti sunt quadraginta octo præfecti & centu-
 riones, uirtute uerò maxime illustres Foschinus sor-
 ris filius, Acastabriga, manusq; Bariles, quos Braccius
 in Vesentinam Martanamq; insulas custodiendos misit
 De clade ad Cryptam accepta. Ca. XXXIII.

Vlturus iniurias à Sergiano sibi illatas, qui diu uene-
 na, & sicas frustra pertentarat, struxeratq; dudū in si-
 dias ad Sarni pontem, armato exercitu Neapolim in-
 trauit, inclamantib. Sfortianis Regine nomen, Sergia-
 nū uerò ad necem deposcentib. qui impotenti superbia
 malignitateq; diuina ac humana iura conturbaret. Fa-
 uiebat Sfortiæ nobilitas omnis, cuius concursu auctore
 Francisco Morimino, porta intranti patefacta fuerat.

At Sergianus tāto metu consternatus, quòd uirib. esset impar, ad dolos se conuertit: emittiturq; arce Fanciscus Vrsinus auctoritate insigni, qui Sfortiam adeat, nomineq; Reginae oret, ut ab armis discedat: fore enim, ut æquissimis conditionib. ea controuersia ad otium deducatur: Non debere aum cū priuatas iniurias ulscisci propteraret, publicarū rerum salutē in periculū deuocare lesa presertim & sugillata Reginae maiestate, quæ eūdē cum Sergiano conturbationis atq; molestiæ casum subire cogeretur. Ad ea Sfortia respondit: se, uti antea Reginae nomen in omni fortuna spectata fide coluisset, ita & tū eius causa iniurias omnes, & contumelias animo depositurū, modò ipsa se traduci & circumagifallacissimis Sergiani artibus minimè pateretur. Ita comeanie sepius Vrsino, & res compositas simulante, & prædicante, ut cogendis instruendisq; copijs spatium daretur, ad id Sfortia postulante Regina adducitur, ut copias eductas urbe in suburbana Corregia transferret. Ea sunt contra arcē nouā, & ad subiecti littoris plagam hortorum amœnitate percelebre extenduntur. Per hunc modū tanto armorū impetu spe pacis ad otium compresso, cū Sfortia nihil omnino timendum putaret, spatiareturq; inermis in littore, Vrsinus magna armatorum coacta manu improuisus erupit, in compositos adoritur, funditq; tanta celeritate, ut Sfortia seminermis inopinati periculi casum excipere cogeretur. Sfortiani toto eo littore fugati ad Cryptā persossi, à Cocceio Pausilippi montis peruenerunt. Ibi aliquādiu Sfortia globo facto pugnam sustinuit, ipseq; demum per Cryptam subsequutus Casale principis euasit, amissis quingentis equitibus. Sed demum refecto exercitu

ab Aurilia familia Acerris receptus, tanta vi demum ad oppugnandam Neapolim est reuersus, ut Sergianus filios obsides dare, sarcire detrimentum ad Cryptam receptum, remissaque potentia, parem ferre cogeretur.

De infelici pugna ad Capuam.

Cap. XXXIII.

A Braccio quoque tumultuaria pugna superatus ad a. n. e. Mariæ Burgum, quo in loco ueterem Capuam fuisse constat, sexcentos amplius equites amisit: adeo, ut à Braccianis, Acatabriga, atque Iannucio captis, Tartalia primum, et ipse demum Sfortia ad Auersam usque pelleretur. Occultarat enim Braccius aliquot turmas prædensa in sylua, quæ ad Sciliceum Glanij pontem, Atellanamque uiam pertinebat: quarum eruptione, quum in transuersos impetum fecissent, primæ pugnantium alæ à reliquis interclusæ, prostratæque sunt. Cæterum Braccius ubi Capuam est reuersus, de Iannucio uiro fortissimo supplicium sumpsit, quod paucis antè annis ab ipsius castris exacto stipendio, sed nequaquam impetrata missione discessisset.

Quoties prælio, & infidijs sit captus

Cap. XXXV.

Semel omnino manu hostium, bis inimicorum fraude captus est. Cæterum adeo felici sorte, ut è calamitate seipso semper maior, et clarior euaserit. Siquidem præter honores et opes, quas obiter ab innocentia præclaraque uirtute affluenter est consecutus, etiam illi (quod in summa totius uitæ iucundissimum uidetur) opportunè, atque feliciter euenit, ut inimici eius ferè omnes admirabili Deorum immortalium iudicio plecterentur.

De præ-

S F O R T I A E
De prælio ad Casalecium facto
Cap. XXXVI.

237

EO insigni prælio, quo ad Bononiam iuxta Rheni
pontem Bernardonus uir Gallus, Pontificis Florenti-
norumq; & Bononiensium imperator superatus, ca-
ptusq; est ab Alberico, & Vermio Ioannis Galeacij
ducibus: Sfortia & ipse in potestatem hostium deuenit.
In eum enim constantissimè dimicantem, & deserente
locum Tartalia, à latere præsidio nudatum, Facinius
Canis dux accerrimus, quum densata ala cataphracto-
rum equitum irrupit, adeo uehementi improuisoq; im-
petu, ut multis prostratis, & ipse Sfortia equo per ar-
mos hasta perfosso deturbaretur, superincidentibusq;
uictis simul, atq; uictoribus, planè oppressus summum
uitæ periculum adiret. Vbi uerò Alberici beneficio
castris hostium se explicuit, ingenti animo gregarios
milites qui exuti armis & equis more militiæ dimitte-
bantur, cohortatus est ut bene sperarēt, & se duce Flo-
rentiam uenirent. Fore enim ut accepta incommoda Se-
natus liberalitate & cura sarcirentur. Ita ipse pedes A-
penninum transgressus, portæ urbis applicans, uti erat
pulnerulentus rectâ in Curiam contendit, trecetos am-
plius uiros fortes adducens: Patres conscripti, inquit,
nos uestri milites, uti oportuit pro dignitate uestra, &
militari laude impigrè pugnauimus: fortuna aut quod
uoluit & potuit insolenter effecit. Cæterum si digni su-
mus qui uestra benignitate armis, & equis instruamur
dabimus enixè operam, ut uos iudicij uestri minimè pe-
niteat, & nos uberiore stipendio digni uideamur. Pla-
cuit Senatui in eo publico omnium dolore, generosi in

fractiq; animi uigor, extemploq; Sfortia accepta largè pecunia, & refectis turmis duplicatam numero equitum præfecturam obtinuit.

Quomodo ex insidijs fit captus
Cap. XXXVII.

Malignitate porrò, & parum uirili insidiarum genere Pandulphi Alopì circumuentus, & in Arce noua Neapoli custodiæ traditus per quatuor menses nihil mitius expectauit, quã ut à carnifice cõficeretur. Id enim unum ab improbis ac imbellibus, quib. ex ignobili metu inhumana crudelitas inesse soleret, omnino timendũ arbitrabatur: quãdo quidem illi naturæ uitio uiros fortes, & illustres, insontesq; præsertim non capere, aut fortè captos non temerè unquam dimittere, ueluti exacerbatis iniuria eorum animis cõsueffent. Erat Alopus natalibus clarus, sed decore formæ & morũ illecebris maximè insignis, quibus Reginam fracto pudore insanientem ad amorem pellexerat. Ea enim uti iam pridè uidua, sublato scilicet marito qui erat ex Austria domo Norici Regulus, ac demum orbata fratre Rege Ladislao, apertius atq; liberius, uti libido extimularet, amoribus uacabat: adeo ut Alopum ærarij perfectura ornatum ueluti consortem imperij, & rerum omnium arbitrum Neapolitani Græcorum more, in adulationem promptissimi, Regijs honoribus percolerent. Is diffusus summo gratiæ loco, qui tum maximè lubricus uidetur quum ad fastigium propius accedit, Sfortiam tanquã riuale suspectare cœperat, Regina scilicet, ubi à grauis simarum rerum consultationibus discederetur, familiarius ac Blandius cum Sfortia iocos miscente. Tanta enim

nim erat in eo uiro staturæ dignitas, & frontis honos
& in sermone alacritas militaris, ut Reginae animum
ingenitæ libidini semper obtemperantem, facile occu-
pare posse uideretur: Vt inde qui & gloria sua, & mi-
litæ opibus tantus erat, ualidissimo gratiæ nexu con-
firmatus, ut summi ducis, & denique Regis nomen u-
surparet. Itaque liuore, atque perfidia Pandulphi, Sfor-
tia nouo columniæ genere oneratur, subornatis qui di-
cerent, non incerta fama circumferri, Sfortiam ante
omnes delectum esse, cui Regina nuberet, maturisque
iam nuptijs fore, ut rex intra paucos dies appellaretur
Per hunc modum nihil tale suspectans Sfortia, ex cœ-
naculo in cubiculum ductus, atque inde custodiæ tradi-
tus est. Sed in eum nihil durius & atrocius statuente
Regina, nec obsistente tamen impotenti anatoris cœ-
pto, planè accidit, ut nemo è tantis copijs, totq; præfe-
ctis, uti sperarat Alopus, à Sfortia deficeret: sed in u-
num Sfortiani omnes, Laurentio duce ad urbem Clusium
cogerentur, peruasuri infestis armis usque Neapolim
ut ducis iniurias uindicarent. Peropportunè quoque
sub id tempus allatum est, Iulium Casarem è familia Ca-
puana, Capuam, unde erat oriundus occupasse: Chri-
stophorum item Gaetanum defecisse à Regina, & Iacobum
Candolam, qui dux bello clarus erat, Aquilanos ad defe-
ctionem impulsisse. Qua rerum necessitate adductus Alo-
pus, quum nemo esset qui ipso Sfortia melius, atque
presentius Reginam tutari, rebellantesq; comperescere
& persequi armis posset, Sfortia cum multo uerbo-
rum honore custodia educitur: datisque obsidibus,

Et accepta ingenti pecunia, gerendi belli cura ei protinus demandatur, ea conditione, ut Catellam Alopi sororem matrimonio sibi adiungeret, qua affinitate cum Alopo syncera fide in gratiam rediisse testaretur. Obsidum princeps fuit Franciscus filius, qui postea uirtute animi, et felicitate rerum gestarum omnes eius aetatis duces antecessit.

Quomodo ad Beneuentum sit captus
Cap. XXXVIII.

Paribus quoque insidijs, sed multo accerbioris periculo, et calamitate maximè diuturna, iterum in carcerem est coniectus. Nupserat Regina Iacobo Martiae Comiti, uiro è Narbonensi Gallia Regijs natalibus orto, nulla honestiore de causa, quàm ut impudicitiae probra accepti coniugis imagine tegerentur: ceterum ea conditione, ut is Regio nomine penitus abstineret, et Tarentinus tantum princeps appellaretur. Miserat Regina qui eum è Manfredonia Neapolim uenientem acciperent, ipsum ante alios Sfortiam, qui Magisterij equitum honore longè amplissimo ceteros antebat, et cum eo Perettum Allobrogem Regiae aulae praefectum, Troiae Comitem; atque item Iulium Caesarem Capuanum, cum Fabritio fratre, et Cecholinum Perusinum alas equitum ductantem, homines gloriae, ac amplitudini Sfortiae plurimum inuidentes. Hos disertè etiam atque etiam Regina monuerat, praeceperatque, ut Iacobum non alio, quàm Principis nomine salutarent. Verum ubi in conspectum est deuentum, solus Sfortia ceteris omnibus magno astu et repentina perfidia in adulationem procumbentibus, Reginae mandatis paruit: neque uel praesenti exemplo ad-

plo adduci potuit, ut eo scelere Regiam offenderet, ac
 officij pariter & libertatis oblitus impudenter assenta
 retur. Ita uti coniuurarāt ueteres Sfortiæ hostes, Iacobū
 adeunt in Sfortiam, falsis uera miscentibus peracerbè
 & grauius inuehuntur: adduntq; magnis pollicitatio
 nibus, si animum Regio nomine dignum cæptis asserre
 uelit, se omnes strenuè operam nauaturos, uti ei certis
 simo procerum studio, & secundissima populi uolun
 tate, nec demum succensente Regina, Regiæ dignitatis
 corona deferretur. Sed ante omnia Regiam duobus
 impotentibus mœchis atq; latronibus omnino liberan
 dam uideri, qui regnum pro libidine lacerandum, eua
 standumq; subacta pessimis artibus Regina, arrogan
 ter occupassent. Hos esse & Alopum & Sfortiam: sed
 illum postea Neapoli facile tolli posse, si præsentē Sfor
 tiam celeriter oppressissent. In hunc modum inita con
 spiratione, per assuetos cædibus satellites, quorū Scla
 uettus ex Illyrico princeps erat, eum in itinere confō
 dere statuerunt, quum in uado Caloris annis incau
 tus, & à suis disiunctus facile confici posse uideretur.
 Sed percussoribus demum ad patranda tantū uiri cæ
 dem animus defuit, quum infidentem militari equo, cui
 à sefforis fiducia Sperantio nomen erat, quadratōque
 suorum agmine, & minaci uultu annem transgressum
 formidassent. Certis enim coniecturis, uir acutus, clam
 ab se quædam imperari, agminaq; componi animad
 uerterat, notaratq; pallentia ora in quibusdam, qui a
 trocia & periculosa suspensis animis agitare uideban
 tur. Sed nihil adeo seuum aduersum se parari posse,
 uir ad apertus, & generosus ad animum admittebat, a

deo ut in arcem Bencuentanam ad Iacobum ascendere non dubitarit. Ibi ex composito, quum Iulius Cæsar spurcissimo ore maledictis agendo perfidiæ crimen obiectaret, contraque ipse succensus ira, & calumniæ indignitate permotus, eum tanquam improbè mentientem in singulare certamen, militari prouocatione deuocaret, spectante Iacobo, res eò deducta est, ut Perettus, & Cecholinus simulatione officij altercantes dirimerent, comprehensosq; in diuersa cubicula diducerent. Sed Iulius statim est dimissus, Sfortiæ autem manicæ ferreæ statim iniectæ. Nec mora magno concursu facto Sfortiæ domus diripitur, equites uertuntur in prædam, captiq; tres liberi eius, & propinqui fermè omnes custodia traduntur, uno excepto Sanctoparente, qui initio tumultus talia suspectans, atque opportunè diuinans feliciter effugit.

Quomodo Iacobus ex principe rex sit appellatus, & Sfortia feruatus. Cap. XXXIX.

Capto Sfortia, Iacobus Neapolim uenit, prodenteq; nouam arcem Auersano Centurione, cui à contrario euentu Seruatori nomen erat, ea potitur: Paulum Vrsinum liberat, interfectoq; Pandulpho Alopo, nuptiales mensas eius sanguine conspergit. Nec multò post Regnam coniugalis quidem thori consortem facit, sed erepta totius imperij potestate, multis oneratam probris, & seuerè castigatam, ne diffugiat, à Gallis custodiri iubet: Regios titulos ipse usurpat, & Gallis honores, præfecturas, & magistratus dilargitur. Interim Sfortia deuectus in insula Mezaris arcem, cui ab Ouo nomen est

est, accerbissimis tormentis cruciandus Bernardo bar-
 baro homini traditur, ut expressis tesseris quaestione,
 ea oppida reciperent, quae Sfortianorum imperio te-
 nebantur: nec suprema tamen uis, uti antea decreue-
 rant, uitae eius affertur. Tot enim accerrimos duces
 propinquos eius, tantasque copias ueteranorum militum
 amore, & studio incredibili, multisque beneficijs, &
 diuturna consuetudine Sfortiano nomini addictas
 formidabant: ut pote qui eius rei periculum superiore
 anno improspere factum fuisse meminuerant. Porro
 Sfortiani milites fuga ad Petrasixae oppidum in Sam-
 nio coeunt. Michalettus, & Laurentius Attenduli, &
 Sanctoparens infesta populatione in suburbanas us-
 que uillas, portasque Neapolim deferruntur. Ob id
 Iacobus copias conscribere cogitur, quibus Iulius Cae-
 sar, & Cecholinus hostem reprimant, & Tricari-
 cum urbem expugnent, quam Ladislaus Franci-
 sco Sfortiae filio, praecleara pueri indole adductus do-
 no dederat. Erant in praesidio Michalettus ipse, &
 Michelinus Rabinianus, cui Margarita Sfortiae so-
 ror, Foschini, & Marci Attendulorum mater, de-
 functo priore marito denupterat. Ii de Sfortiae salu-
 te solliciti, opportunè de inducijs, compositione
 que agere coeperant, factaque potestate impune com-
 meandi è castris hostium, summae nobilitatis homi-
 nes Tricaricum uenerant, Antonellus Pudericus,
 Ruffus Caietanus, & Angelus Vellianus nouae ar-
 cis praefectus. In hos Margarita fraternae uir-
 tutis emula, arrepto uenabulo loricata impetum
 fecit, comminatamque acerbissimum mortis genus,

ni fratrem incolumem sibi redderent, legitimo iure captos comprehendit. Quando ab ipsa, quæ Tricarici imperio & ditione potiretur, nequaquam autem à Michaletto, Michelinoq; quib. nullum in ea urbe ius esset fides petēda fuisset. Id uirile facinus haud dubiam Sfortiæ necem auertit: extemplo enim à legatorum propinquis concursu ad Regem facto, facile impetratum est, ut Sfortiæ parceretur.

Quibus conditionibus Sfortia necem effugerit. Cap. XL.

His autem conditionibus inter Sfortianos & Regios res compositæ sunt, ut tradito Tricarico, & remissis legatis, Sfortiæ liberi, & propinqui omnes, ac milites dimitterentur, præter Franciscum, qui ad solatium præteritæ calamitatis in liberiore iam humanioreq; custodia cum patre relinquebatur: Laurentius autē & Sanctoparens, mille equitum stipendia sub Rege mererēt; Michaletus quoq; uti luberet, cum Leone, Ioanne, Alexandroq; Sfortiæ liberis in Heturiam proficisceretur iureiurandoq; rex promitteret, nihil se postea Sfortiæ nociturum: Margaritæ item potestas esset, ubi uellet Neapolitano in regno considerare: idemq; liceret Catellæ Sfortiæ uxori, quæ in tanto rerum tumultu ad sacratas uirgines in templum Diuæ Claræ cum Lisa priuigna confugisset. Michaletto quoq; concessum est, ut quoties uellet, Sfortian inuiseret, alloquereturq; sine arbitris: Isq; demum approbante, adhortatēq; Sfortia, ad Braccii, ueluti ad ueterem amicum, tuentemq; Sfortiæ oppida in Hetruscis cum sexcentis equitibus contendit.

De sup-

De supplicio Cæsaris, & Sfortiæ felicitate. Gap. XLI.

Pacato regno à Sfortiarorum incurfionib. Iacobus nihilo fecius reginam in custodia continebat, abutebaturq; imperio adeo insolenter, ut solis Gallis cuncta de ferret, Italicos uerò homines usq; ad fastidium omnino reijceret, atq; contemneret: & deniq; illustrium amicorum obliuisceretur, qui cum summo scelere atq; periculo ei Regium uomen asseruissent. Hac indignitate per-motus Iulius Cæsar ingenio superbo, atq; præcipiti, ulciscendæ cum publicæ, tum priuati contumeliæ consilium desumpsit. Repulsam enim ter tulerat, quum in locum Alopi supplicio affecti, aut captiui Sfortiæ, aut deniq; Peretti paulò antè defuncti, suffici cupiuiisset, præcocupãtib; cuncta Gallis, qui amplissimos honores sibi deberi existimabant. Hi sunt ordine Magister equitiæ Regiæ aulæ præfectus, atq; item præfectus ærarij, qui hodie nouitio uocabulo, Connestabilis, Senescalchus, & Camerlingus appellantur. Igitur Iulius Cæsar lætali bile percitus, Reginam secreto adit, ipsius iniuriam, & communes omnium miserias deflet, quibus se præbuisse initium fatetur: sed accepta fide serio promittit, tam forti animo, quam antea incauto his rebus omnibus finem allaturum, modò ipsa dignum Regio sanguine, & præsentis fortuna consilium sincera fide ad animum transmittat. Confossurum enim sua manu pseudoregē pollicetur, ut Reginam simul, & patriam à barbarorū tyrannide liberet. Tum uerò Regina gratias agens excussis lachrymis, & præbita dextra fidem dedit, se immortali beneficio obstrictam fore, si id quod egregio

uoto conciperet, & à Dijs immortalibus, & à Fortuna probaretur: ceterum in id facinus animum pararet & ad se triduo reuerteretur, ut cuncta aptius, uti opus foret, constitui, atq; instrui possent. At seua mulier, nec oblita recentis iniuriæ, quod authore Iulio Cesare & necatum Alopum, cuius memoriam occultis fletibus assidue percolebat, & Sfortiam tutorem regni, defenso remq; Regiæ dignitatis, tormentis excrutiatum, ipsamq; Regio fastigio deiectam, in custodia Barbaris traditam, obliuisci non poterat, animum ad uindictam atque perfidiam reuoluit, detulitq; cuncta ordine ad maritum, ut incorrupti amoris, & propensissimæ uoluntatis fidem, animo eius infereret, & geminata demum proditione utrunq; disparib. insidijs aggredereetur. Iacobus ea nouitate periculi exterritus, nec planè mulieris inditio fidem præbens, ubi compositis insidijs in Regiæ cubiculo Iulium Cesarem eadem de patrandæ cæde promittentem, conopeo tectus audiit, profilientibus armatis extemplo Cesar est comprehensus, & in foro quum securi percuteretur, demum dignas instabili, & turbido ingenio pœnas persoluit. Per hunc modum Iacobus adeo insigni uxoris officio deuictus, familiarius, atq; frequentius Reginam adibat, permittebatque, ut solito liberius, & sine custodibus tota arce uagaretur.

De Regina capto Rege liberata.
Cap. XLII.

Cæso Iulio Cesare, & ob id facinus Regina in coniugalem thorum, communè que epulas recepta Iacobus ne-

bus nequaquam omnem animo suspicionem deterfisse
 uidebatur, quum spatianti Reginae arcis limine pe-
 dem efferre, aut nauicula deuehi non liceret. Itaque
 duo Neapolitani, altitudine animi insignes, eripien-
 dae, afferendaeq; in libertatem Reginae, ac expellendi
 Regis negotium susceperunt Othinus Carracciolus,
 qui inter optimates autoritate & opibus praecelle-
 bat, & Anechinus Moriminus popularium princeps.
 Discesserat opportunè per eos dies Lordinus Gallus
 equitum magister, cum copijs in Aquilanum agrum
 profectus, & festus dies publico epulo, & chorearum
 ludis in theatro celebrabatur. Ad id honoris causa
 Gallorum proceres inuitati, & quum nouae nuptae
 omnes, matronaeq; nobilitate & forma lectissimae ad
 eam celebritatem ducerentur, haud difficulter, sed ma-
 gnis tamen precibus à Rege impetratum est, ut Re-
 gina iucundissimis huiusmodi uoluptuarijsq; spectacu-
 lis interesset. At postquam inclinante in uesperam die,
 saltationi finis est impositus, Reginam ciuibus agen-
 tem gratias, & simulanter in arcem nouam redire
 parantem, à dextra sinistraque Othinus, & Anechi-
 nus comprehendunt, stipatiq; ualida iuuenum manu, eam
 in Capuanam arcem perducunt. Ex templo Reginae nomē
 inelamatur, inuaduntur Galli, totaq; urbe fugati in ar-
 cem compelluntur. Rex ad inopinati periculi discrimen
 metu consternatus, portas claudi iubet. Neapolitani
 ex aduerso circumuallare arcem, egressus obstrue-
 re, & latè obsidere Regem pergunt. Quibus rebus
 non modò dignitati, sed & saluti uehementer ti-
 mens, nudatusque omni militum praesidio, & consilijs

penitus inops, his conditionibus in deditioem est receptus, ut in posterum Regijs titulis abstineret, Tarentinus princeps appellaretur: Gallos uerò omnes, præter quadraginta in Galliã remitteret, & Sfortia statim custodia emitteretur, reddereturq; ei ui erepta oppida, renouatoq; ueteri honore, Magister equitum crearetur

De iniurijs eius Deorum iudicio uindictatis Cap. XLIII.

Haud dubiè concessu & munere Deorum, ea quæ longè omnium honestissima, maximaq; uidetur, per omnem ætatam uoluptate potitus est, ut insignes iniurias suas ab his plerunq; qui erant inimicissimi, uindictas conspiceret. Facile enim accidebat, ut hominem multo candore, fide, probitateq; ingenij præditum, & nunquam per circuitus atq; fallacias, sed militari, adæptaq; uia ad uerum decus properantem, ij maxime ex insidijs peterent, qui imbelles, malis artibus, & perfidiosa simulatione in aula principum ualerent, aut bellica uirtute ualdè inferiores, in recessibus animi cæciliuore torquerentur. Sequentibus enim nature uitium, merita pœna non desuit, quæ nocentes, uel pede claudomaturè consequitur,

De cæde Alopi. Cap. XLIII.

Pandulphum Alopum, cui Ioanna Regina eius amore perditâ, ærarij præfecturam, ingentes opes, & totius regni procurationem detulerat: adeoq; ei profligato pudore erat obnoxia, ut ab imbelli, impudicoq; iuue ne, ipsum Sfortiam uirum fortissimum, in fontemq; carcere includi pateretur, securi percussum, triduoq; insepultum Neapolitani in foro spectarunt, quum Iacobus rex

bus rex, qui tum & Sfortiã in custodia seruabat, ipsum Alopum in reginae stratis occultatum, deprehensumq; cepisset.

De nece Iulij Cæsaris, Peretti, & Cecholini. Cap. XLV.

Iulio Cæsari Capuano, Peretto Troiæ Comiti, & Cecholino Perusino par uite exitus fuit. Hi enim uirtuti, atque amplitudini Sfortiæ inuidentes, nihil tale suspicantem Beneuenti comprehenderant, quum etiam eum biduo ante summissis percussoribus interficere cogitassent. Horum igitur malignitate atq; perfidia captus Sfortia, & crudelitate regis in quæstione tortus, priusquam è carcere mitteretur, audiit Iulium Cæsare ab ipso rege, digno perfidia eius supplicio publicè necatum: Perettum uerò idem expectantem acerbissimo intestini dolore, incertum an ueneno sublatum. Nec multo post Braccius in Afsiatum campis, memorabili pugna superatos Carolum Malatestam, & Cecholinum uiuos cepit: Recuperata ex ea uictoria urbe Perugia, Carolum tanquam hostem ingenti pecunia redimi permisit: Cecholinum autem uti inimicum, & aduersarum partium acerrimum ducem in carcere necauit,

De calamitate Iacobi Regis.

Cap. XLVI.

Ipse quoque Iacobus, qui Reginam uxorem in captiue morem Gallorum custodia sepserat, infaustoq; Iulij Cæsaris & Cecholini studio rex fuerat appellatus, uix undecim mensibus regnauit: nobilissimorum enim ciuium conspiratione in potestatem Reginae redactus, cum superbiæ & crudelitatis exitum tulit, ut talionis

poenam

pcenam subiret. Sed demum impetrante Martino Pontifice cum liberiore custodia seruaretur, nauigio repente conscenso Tarentum profugit, sed eo fortunæ euentu, ut inde oppugnatus à femina Maria Baucia Ladislai Regis uxore foedissime pelleretur. Sensit & demum uel Italia pulsus infestos deos, rabidissimis uentis in Cephaleniam insulam raptus, & longo tandem, uarioq; errore delatus in Galliam. Desperatis nanque rebus, ut ignominiam & calamitatem religionis uoto contingeret, sacrati habitus cucullam sumpsit: atque ita uir seuitia, & fastu intolerandus inter sacerdotes in obscuro uitam finiuit.

De Sergiano Magno Senescalco
trucidato. Cap. XLVII

Fuit etiam perpetuò infestus Sfortiæ Sergianus Carracciolus, qui à Regina in delitijs habitus ad id gratiæ potentiæq; fastigiū peruenerat, ut Alfonso Regi in filium adoptato, autoritate ac opibus æquaretur. Hūc à Rege captum, qui Regiæ matris nomen tantis impuditiæ probris liberare contendebat, Sfortia redemerat: ita ut in eius gratiam, cupiente præsertim expectentēque Regina, illustres duodecim Catalanos, quos profligato Rege ceperat, graui admodum permutatio ne dimiserit. Sed tanto etiam obstrictus beneficio, in posterum nihil ab ingenio suo discessit, quin pessimis artibus hostilia, & maxime atrocias in Sfortiam moliretur: Hunc ad extremum uiri illustres, qui tale monstrum ferre non poterant, ut Regiæ pudori consulerent, pernoctantem in arce Capuana, euocatumq; cubiculo trucidarunt. Iacuit & semiuiuum cadauer in uia publice

blica tanto fortunæ ludibrio, ut Regina nullam uocem emitteret: propinqui tanti uiri eadem uindictam non susciperent: Magistratus autem id facinus miro silentio transmitteret

De Nicolai Vrsini fœda morte.

Cap. XLVIII.

Nicolaus etiam Vrsinus Bartholdi filius, à quo Vi-
terbiensi acie Sfortiam desertum, proditumq; memora-
uimus, uti Braccius ipse aliquot post annos ad Gaia-
nellum in colloquio sincere testatus est, eius facinoris
pœnas ignobili morte persoluit. Quum enim apud Sui-
nani oppidum Senensis agri suæ ditionis impotenter agre-
ssum fœminarum pudicitiam expugnare pergeret, cõcurso
vnius familiæ quæ in tyrannum cõiurarat uenabulo, & ira
ti quidam aratoris manu, crudelissimè confossus interiit.

De Paulo Vrsino Braccij insidijs in-
terfecto. XLIX.

Cum Paulo etiam Vrsino insigni duce, dilacerata
ueteri amicitia, similitates adeo uehementer exercuit,
ut ex militari prouocatione usq; ad singulare certamè
iram, atq; odium efferrent. Sed id facinus auertit Ioan-
nes pontifex Balthasar olim Cossa, quem tum primum
è Bononia Romam petentem Sfortia eius militiæ ascri-
ptus deduxerat, ostentaratq; in ea pompa per median-
urbem ornatissimas alas, & ueteranas aliquot cohortes,
inuidente Paulo, qui clietelis, & Vrsinæ factio-
nis uirib. pollens, neminè potentia, & dignitate parè
pati, & prorsus Romæ solus regnare cupiebat. Erat e-
nim bello acer, uerum ambitiosus, impotens, cruentus, &
ab ingenij mobilitate, crebris, fœdisque transfugijs

infamis. Itaque, quum Sfortiam extimulatum uarijs
 iniurijs ab amicitia Pontificis diuellere, urbemq; detru-
 dere pergeret, quòd eo expulso, nemo esset reliquus,
 qui licentiam audaciamq; ipsius frenare posse uideretur,
 id apertè molitus est, ut Sfortia de salute sollicitus,
 ui ac iniurijs compulsus urbe excederet, & in Algido
 castrametaretur: nec ut rediret adduci potuit, quanquã
 Pontifex misso ad eum Sancti Angeli Cardinale uetere
 eius amico, communi nomine pro Paulo fidem interpo-
 neret. Respondit enim se eius hominis temeritati salu-
 tem minime commissurum, qui antea in conspectu Gre-
 gorij Pontificis manu sua Mostardum clarissimum du-
 cem confodere non dubitasset, & ab eius inusitati fa-
 cinoris impunitate animum minoribus postea cædibus
 efferatum ad terrendos homines ostentaret. Inde Sfor-
 tia Ladislao Regi se coniunxit, ad quem non mul-
 tò post, & ipse Paulus est profectus prodita urbe Ro-
 ma, quam paulò ante cum insigni laude defenderat.
 Sed eum demum Vmbrico bello proditionis accusatum
 & Neapoli ad supplicium in custodia seruatum, Ladis-
 laus immatura morte sublatus, periculo exoluit. Sed ut
 meritas, & fatales pœnas subiret, Fortuna demum eo
 pacto illum carcere eduxit, ut Braccio obijceret, qui
 dum Sfortia in cathenis teneretur, eum ad collem Flo-
 ridum extra portam oppidi spatiantem nactus, Tartal-
 lia, & Ludouico Columna operam nauantibus, inter-
 fecit. Eo cædis nuntio erectum in spem libertatis Sfor-
 tiam sublata uoce dixisse ferunt. Ergo & mihi inson-
 ti Dij immortales maturè cathenas soluent, qui uti æ-
 quisissimi iudices impio ac omnium deterrimo dignum
 uite

uitæ exitum celeriter attulerunt.

De Armalerij proditoris supplicio.

Cap. L.

Armaierium quoque Asculanum, cui ut equitum turmam, & cohortes peditum simul duceret, contra uetus institutum indulserat, unum omnino è tantis copijs, & beneficij oblitum, & summa cum perfidia alienatum sensit. Hic enim duce Neapoli custodiæ tradito, urbem Orbitum naturali munitione inexpugnabilem, quum fidem cum fortuna mutasset, Braccio uenalem proposuit, & prodidit. Nec diu Armalerius auro illo flagitiose quæsito potitus est. Hostilia enim molitum, ac cumulataq; perfidia, nouæ proditionis consilia, fallaci ingenio uersantem, Vitellius Patriarcha Cornetanus laqueo necari iussit.

De infelicitate Braccianarum partium, & Sfortianarum prospero successu. Cap. LL.

Hac quoq; Deorum immortalium censura, id etiam in cumulo felicitatis accessit, quòd nihil, uel eo uita functo iustæ ultionis uideretur esse prætermissum: quãdo quidem Franciscus filius ita patris uirtutem, & opes, & studia militum excepit, ut non multò post, Braccium, atq; item continenter eius partium duces non uno in prælio prosterneret. Non multis enim inde annis, cum Nicolai Picinmini opes, tum filiorum eius conatus uirtutis æmulatione certantium, magnitudine, & felicitate rerum gestarum usq; ad eò fregit, atq; deleuit, ut nemo Braccianæ sobolis hæres, qui dignitatem originis, & senescentis famæ nomen sustineret, facile reperiretur.

De

De vulnere ad Viterbium accepto Ca. LII.

Viterbiensi in pugna grauissimū ex obliquo uulnūs ceruice excepit: cū ei Brandolinus Comes uehementi incurſu, diloricata caſſide in iugulū uſq; haſtæ cuſpidē adegiffet, neq; prius, uel multo manante ſanguine, reduci ē pugna potuit, quā à Sanctoparēte irato ſimul & reclamante, correptis equi habenis retro uerteretur: adeo enim ira doloreq; incenſus erat, ut uindictæ cupidus, infana quadam temeritate cum paucis ſæpius in medios hoſtes procurrere, peruadereq; uſq; ad media ſigna non dubitaret.

De periculo eius in expugnatione
Capitonis. Cap. LIII.

Eadem penē animi peruicacia cū ulturus iniurias, Braccium Martini auſpicijs in Umbria perſequeretur in expugnatione Capitonis oppidi extremum uitæ periculum adiit. Defendebatur acerrimē oppidū à Braccianis, adeo ut Sfortiani quater redintegrata pugna & irrito ſemper conatu multis acceptis uulnerib; ſegnius murum ſubirent. Id dedecus ſe præſente admitti, clato indignanteq; animo, minimē ferens, comprehenſam ſua manu ſcalam moenibus admouit, & ſubiit. Nec deſuere hoſtes, quin in eum accendentem forti exemplo milites, ingentia trabium pondera, molaresq; lapides prouoluerent, ita ut cōminutis ſcalis, terribili ſtrage in præceps dati, tota foſſa ſternerentur. Decidit Sfortia ē ſummo ſerē muro deturbatus, adeo ut multis fomentis, uix poſt horæ ſpatium ad uitam ſit reuocatus. Eo tamen caſu, nequaquam intermiſſa pugna, recrudit, inuſitatoq; ardore Sfortianorum militum, corona muri occu-

vi occipitata, oppidum est direptum, & Bracciani duces capti, ipso propè spectante Braccio, qui laturus opem cum magnis copijs aduentabat. Inter captiuos fuisse clarissimi postea duces Comes ipse Brandolinus, cuius manu Sfortiam ad Viterbium uulneratam fuisse meminimus, & Gattamellata Narniensis, cuius hodie ænea equestris statua Patauij à Senatu Veneto posita conspicitur.

De vitæ discrimine in quo Romæ
versatus est Cap. LIIII.

Versatus quoque est in longè maximo uitæ discrimine, cum media in urbe Roma continuato per tres dies cruento certamine, pugnaretur aduersus Vrsinos, contra urgentibus Columnis, atq; Sabellis, quibus Sfortia dux aderat. non longè enim à Mineræ templo, qua itur ad Acmilianum arcum è fenestra ingenti saxo brachium est ictus, adeo uehementi dolore, cõuulsisq; uis, obortaq; oculis caligine, ut exanimatus ab equo prorueret & à suis pariter ac hostibus fœdè proculcatur, sed vir nequaquam dolore uictus, in genu sese fortiter erexit, leuaq; proximi equitis lora stapedis comprehendit: is erat Laurentius eques Romanus, cognomento Surdus, qui claua ferrea obuios pertundens, ut opè ferret, proturbatis disiectisq; hostibus, ad Sfortiam ferocè equum adegerat, cohortans, & monès, ut galeæ bucculam eleuaret, raptariq; se equi uirib. pateretur: atq; ita correptus per bucculâ, innixusq; stapedis lora egre pertrahente Surdo, in pacatū locū peruenit, magno prorsus miraculo seruatus sanatusq;: quandoquidâ quadraginta amplius dieb. cum brachij, tū dextræ manus sensu usuq; caruerit.

De insidijs ad Calorem annum stre
nuè vitatis Cap. LV.

Ter ex insidijs in summo uitæ discrimine uersatus est: Primò à Calorem annum apud Beneuentum, pri die quàm à Iacobo rege & à coniuratis custodia traderet. Profluentis enim uadum tentanti, disiunctoq; à suis, ad id delecti equites, districtis repente gladijs, & adactis equis uim asferre decreuerant. Sed ille quam nihil tale suspicaretur, quum sine consilio suo quædam turbatus, quàm pro pacati, & nihil hostile timentis agminis consuetudine, imperari & circumagi uideret, tanto animi uigore sub uexillo agmen composuit, & galeatus ferocem equum, quo in prælijs uti erat solitus conscendit, ut coniurati subito pauore concepto, quomòminus tela expedirent, uel una terribilis, & parati eius facie terrerentur.

De insidijs ad Sarnum astu superatis
Cap. LVI.

Sergianus Caracciolus deformi postea uitæ exitu memorabilis, quum anxie riuales timeret, ob idq; Urbanum Auriliam Reginae genio respondentem, specie honoris legatum Constantiam ad concilium ablegasset Sfortiam & ipsum eodem astu tollere conatus est. hoc demum à Regina impetrato, ut aduersus Sansseuerinæ familiæ procures in Brutios mitteretur. Discesserant enim Sansseuerini à uetere officio, nec planè tamen rebellarāt. Ob id putarat Sergianus Sfortiā aut minus feliciter Reginae operā nauaturū, aut Sansseuerinos inexpiable in iuria affectos cōtractæ affinitatis, ac amicitiae iura turbaturos. Sed Sfortia autoritate ingēti potius, quàm

quàm belli metu, sanatis Sanseuerinorum mentibus, ita celeriter negotium confecit, ut ei Sergianus regrediens, non vno in loco insidias pararet. In Picentinis enim occupati calles, suppressi comitatus, & circa Salernum exciti agrestes, qui præcis itineribus Sfortianas turmas aggredierentur, præpositusq; demum ad Scaffatam ponti Sarni amnis Campanus Centurio, ut transeuntem inuaderet, atque conficeret. Verum id rescivit Sfortia, copijsq; ad Anchariam uicum subsistere iussis, obsoleta lacinia indutus, armatusq; tragula, & galeatus, stabulario similis percussores fefellit. Quum enim in equi clunibus de more, mantica cum strigili gestaretur, & cribrum ab ephippio dependeret, quis eum tanti nominis imperatorem putasset?

De periculo ad Caietam paruo casu facile superato. Cap. LVII.

Paruo etiam temporis momẽto, & magno quidem parentis fortunæ beneficio, Alphonsi Regis insidias præuertit. Venerat ad Regiam Sfortia, quum illa, gratum ad Neapolim Autumno, Cai. tam cum Sergiano secessisset, atq; unà rex Alphonsus in Formiano littore interfontes, & Citriorum sylvas, uitandi æstus causa uersaretur, ut cū ambobus, post redditas Acerras, de stipendijs, ac oppidorum possessione disputaret, inuasit repente Regis animum seu libido Sfortiæ tollendi. Is enim unus erat, qui uirtute animi, & bellicis uiribus terribilis, offuturus esse uideretur, si ambitioso animo spes suas proferre, & aperte regnum inuadere uellet. Sed Sfortia magno, & planè regio comitatu, multisq; fortibus alarum præfectis semper stipatus, nequaquam sine anci-

piti periculo comprehendi posse uidebatur. Exco-
gitauit itaque dolum rex peracutus, trirememq; con-
scendit inuitato Sfortia, ut honoris causa secum, lega-
to Pontificio obuiam uenire minimè grauairetur. Is e-
rat Fonseca Cardinalis, qui ad eum à Martino mitteba-
tur. Nec dubitauit Sfortia, quin pariter conscenderet,
nihil de Catalanorum perfidia suspicatus: utpote qui
ad aperta ingenui animi fiducia, nihil sibi infanti timè-
dum arbitraretur. Paratæ iam erant compedes, & la-
queus more gentis, saccusq; quo inuolutus profundo
mergeretur, quum id promontorium, in quo mirabile
Planci sepulchrum latè conspicitur, trāsuectis celerius
opinionem omnium, è Speluncano litore legati trire-
mis apparuit. Tum uerò Alphonsus, qui tum in recef-
sum extremæ puppis sceleris ministros euocarat, ani-
mum à nefario consilio ad pristinam comitatem reuo-
cauit: ne aduentatis sacraui uiri letitiam, & publici of-
ficij ceremonias, tanti facinoris atrocitate conturba-
ret. Ita Sfortia Deorum immortalium munere conser-
uatus ad suos redijt, quum eum Sfortiani omens, tan-
quam fato functum uerissimis lachrymis eluxissent.

De moderata liberalitate eius, & abstinentia,
contemptuq; pecuniæ. Cap. LVIII.

In exercenda uerò liberalitate, qua una maximè uir-
tute, uel ingentia uitia occultari facile possunt, medio
critatè tenuit, uaria admodum fama, quum in erogan-
do distribuendoq; meditata, & prouisa largitione ute-
retur: quasi Ducem ad gloriam, & ad magna imperia
semper aspirantem pensitata ratione uti non deceret:
quum militi præsertim improuisa, & sestinata potior
uideretur.

uideretur. Sed ille opes semper cōtempfit adeò liberali iudicio, ut à signatæ pecuniæ nota oculos semper auerteret, uituperatis qui diro eius conspectu, & uenenata libidine gauderent. Sumptuarias rationes, censu oppidorū, & stipendijs æquabat: ne, ut ipse dicebat, temere decoqueret. Creditores raro contempfit, nunquam elusit: quoniam opum, & diuitiarū opinionē, fide potius, & incorrupta existimatione, quàm præsentī pecuniā, constare iudicabat. Nemo enim ea tempestate, quum oporteret, opulentior ac instructior fuit: quādoquidē insigni studio mensariorū omnium exoneratus etiā grauius impendijs inuaretur. Vt tum accidit ad Viterbiū amisit supra mille equitibus, ad pecuniæ inopiam redactus: quū è foro Romano amici, atq; bencuoli certatim sub una tantū syngrapha aureorum nummūm triginta milia contulissent. Arridebat plerosq; & in hoc Braccium etiā ipsum, qui aliquando aliena rapere, prædatoriq; quàm æs alienū dissoluere mallet, ut ab extempore, & dissipata liberalitate militum animos sibi deuinciret. Præcipua enim cura ei semper fuit, paganos & agricolas ab auaritia militum defendere, hospites tueri, licentiā militarē in hybernis, & in agmine, indicta graui, ac inexorabili pœna cohibere, ac demum deditis, conseruatisq; quàm expugnatis, atq; deletis urbibus, letari. Adeò ut eum Braccius in colloquio ad Saccomaniam syluam, quod utrique supremum fuit, post multa de bellicis artibus grauiusimè disputata percunctaretur: Cur nam tantopere seueritatis, ac abstinentiæ laudem quærendam putaret, quando id prorsus à toto militaris consilij proposito alienum esse uideretur: quod

promereri studia militum, uel cum iniuria generis humani oportere censeret, si ad ingentia imperia, & opes, uti ipsi ab humili fortunæ loco prosperè decreuissent, foret euolandum. Ad ea Sfortiam respondisse ferunt: nihil esse gratius Dijs immortalibus, æquitate, atq; iustitia: qua una maximè, quæsitæ bello opes, positis demum armis, cum insigni gloria firmarentur.

De duabus eius concubinis Cap. LIX.

Quum Perusinis, apud quos Biordus, & Cecholinus fratres interfecto Pandulpho Baleono nobilitatis Principe, popularium statum induxerant, stipendia mereret, in hybernâq; concessisset ad Martianum oppidum, uirginem admodum nobilem adamauit, Luciam Trezaniam: ad eò ut amatoriis obsequiis, & spe nuptiarum pellectam, iuste uxoris loco haberet, & coleret. Ab huius felici admodum fecunditate auclius est fortuna nata sobole maximorum ducum, & principum. Sed eam aliquot post annos, uti iam planè impar, tantis scilicet opibus partis ab illustri uirtute samâ consecutus, Ludouico Folianeo in matrimoniû opulenta dote præbita collocauit: quum paulò antè maximas spes parandi imperij ingenti animo uersantem, ut uxorem opportunè duceret, temporum necessitas impulisset. Ex ea demum natus est Conradus, qui Francisco Sfortiæ uterino fratri, pluribus in bellis fortem, fidelemq; operant nauauit. Subsequentibus uerò annis adamauit & Tamiã uenustate admirabili, oriundam è Calle Umbriæ oppido iuxta uiam Flaminiam: è qua ad aquas Pendulas in Hetruria suauissimi oris filiam nomine Honestinam suscepit.

De

De uxore eius Antonia Salimbenia Cap. LX

Ita uerò nuptias appetiuit, ut nequaquam sponte uxorium iugum subire uideretur: quando liberis pro ea in qua tum erat fortuna, abundè auctus, nihil magis cuperet, quàm certis, & legitimo iure quæsitis sedibus, uaga, & mercenaria arma ad tutos receptus alicubi confirmare. Ob id Antoniam Salimbeniam apud Senes antiquissimæ stirpis uxorem duxit. Ei maritus fuerat Franciscus Casalius Cortonæ Regulus, paulò ante coniuratione ciuium interfectus. Vnde illi ex mundo muliebri pretiosa suppellex, & dotalia quatuor castella obuenerunt; Mons Iouis, cum Monte Nigro, atq; item Ripa, & Balneo Clusinis aquis propinquo. Addidit et Clusium uetustissimæ claritatis urbem Cocchus Salimbenius Antoniaæ frater iam pridem Sena patria eiectus, uigente ibi popularium factione. Quum enim nouæ affinitatis præsidio res suas, dignitatemq; tueri, & confirmare percuperet, unum præcipuè Sfortiam inter multos sororis procos, uti bellica uirtute insignem, opulentis, & imbellibus anteponendum censuerat. Quo consilio transtulit & Clusij ditionem in ipsum Sfortiam tabulis ritè consecris, ut Senensibus, antiquo iure eam urbem, & agrum repetentibus, armatus, & acer defensor opponeretur. Ex hac Antonia unicus legitima prolis, ex nobili materno genere puer susceptus est: quem Sfortia Bosium appellari iussit, ut Patruelis sui Bosij Attenduli fortissimi equitum præfecti, quem ad Spoletum amiserat, in domo sua memoriã renouaret. Hic porrò Bosius uirtute animi, & rebus bellicis Francisco fratri penè par, priusquam ille regnum apud In-

subres, arridente Fortuna, uirtute, & armis compararet, uxorem duxit Criseydem Aldobrandescā Sanctæ floræ Comitissæ filiam, natalium claritudine, & dotis opulentiâ illustrem: Vtpote quæ septem oppida nō longè à Porseno, de nomine à Porsena Hetruscorum Rege cōdito, in hereditatem traheret, & genus eius Dantis Poetæ testimonio, in præaltam Hetrusci, Regijq; sanguinis originē referretur. Itaq; quod in abauo nomen fuit, iure optimo in eius memoriam in patre tuo Bosio repetitū uidimus. Tu uerò quod in proauo fuerat GVI DONIS nomen suscepisti, quod ille ab auo materno Sanctæ floræ Comite, pari ac usitata ratione deduxerat. Auo autē tuo Federicus Feltrius Urbinas dux prælio inuictus, supra affinitatem in sacri fontis cæremoniam uocatus, nomen suum indidit. Additum quoq; tibi est Ascanij nomen fatali quodam augurio, ut in te demū amplissimi, & longè optimi Senatoris Cardinalis nomen, & decus, ueluti rediuiua domus dignitate restoreret. Et eo quidem nobilius, quoniam ille stirpe eadem, sed nequaquam legitimo ortu ccepta, nomen deducebat: quæ natales tui ab incorrupta maiorū serie, impolluta stemmata fateantur.

De secunda vxore Catella Alopa. Cap. LXI.

Accessisse autem ad secundas nuptias dira necessitate coactum constat, quum à Pandulpho Alopo Acerarij præfecto, inuidia uirtutis eius, & obtreffatione crescentis apud Reginam gratiæ, in carcerē esset cōiectus. Neq; enim aliter, uel pacare Alopum qui cuncta unus totius regni munia usurparat, aut denique Reginae uoluntatem à uindictæ suspitione redimere potuit,

quam

quàm Catella Alopi sorore in matrimonium ducta. Si-
quidem Alopus præcellenti forma eruditissimis munditijs,
& latere demum infracto, deuictam penitus, & in ser-
uitutem (animo scilicet muliebri, impotenti amore fa-
cile subacto) redactam, nutibus regebat. Ea affinitas
maturatis nuptijs apparatusimè celebrata, Sfortiam
haud dubiè à parato iam capitali supplicio seruatum
in libertatem eduxit, leuauitq; item Alopi animum in-
genti metu: quum meritas illatæ iniuriæ poenas, à uiro
fortissimo, & tot militum gladijs instructo formidaret.
Ceterum Catella nihil omnino à fratre, præter uenu-
statem ad maritum attulit, dote scilicet à Regina libe-
ralissimè collata. Dotali siquidè iure quinque castella in
Sânio in Sfortiæ ditione uenerunt. Peperit Catella nõ
toto uertente triennio tres liberos, præmissa puella,
quam nomine suo Regina Ioannam uocauit: mares
item duos, Leonardum scilicet; Id nomen in eius Di-
ui honorem inditum fuisse constat, quoniam per
quietem Diuum Leonardum ea specie qua depingi
in templis solet, sibi opem ferentem uidisset, quum
& clatros ferreos fenestræ carceris disrumpere, &
compedes soluere præsentis numine uideretur. Im-
pleuit autem somnij fidem, & numinis oraculum rei
euentus. Nam eodem die letam somnio noctem se-
cuto, & rex Iacobus imperium cum libertate amisit,
& Sfortia adaperto carcere, ingenti omnium leiti-
tia iterum Magister equitum est renuntiatus. Sed
Leonardo uix infantiam egresso uitam morbus eri-
puit. Et immatura quoque morte surreptus est alter
cui Sfortia Bartholo nomen indiderat, in memoriam

scilicet Bartholi fratris, & fortissimi commilitonis, quæ lue absumptū apud Perusiam iā pridem amiserat. De tertia vxore Maria Martiana Cap. LXII.

Postremò quinquagesimum ætatis annum agens ultimas sibi nuptias ambitiosè admodum quæsiuit assequendis artibus, ac ingentibus armorum officijs, petita, diu etiāq; Maria Martiana Sueffani Reguli filia, quæ in Campania, & ad Fucinū lacum multis oppidis imperabat. Nupserrat hæc antea Ludouico Secundo Andegauensi: eoq; ante nuptias celebratas uita functo, ad Celani Comitem secunda thori uota traustulerat. Hic in Marsis, & Furconensibus multorum castellorum ditioe præpotens, quum è uita excederet, uxorem testamento magnarum opum dominam reliquerat. Quamobrem & ipso Sfortia demum importuna uisati surrepto, quartum sibi coniugem faciliè inuenit Franciscum Vrsinum Manappelli Comitem, qui bis, & diuersa quidem fortuna apud Neapolim cum Sfortia collatis signis dimicarat. Natus est ex Maria Carolus, id nomen imponente Regina, in honorè scilicet Caroli Regis eius patris: qui magnis rebus in Italia gestis, Pacificatoris cognomen adeptus, in Pannonia demum coniuratione procerum inter epulas trucidatus est. Ceterum Caroli nomē haud multum in puero permansit: nam atra bile diu uexante, attenuatisq; inde uiribus, uti obeundis militiæ muneribus impar, pietatem uoto professus sacratam cucullam desumpsit: atq; ita abdicato priore nomine Gabriel est appellatus. Hunc postea Franciscus frater Gallie Cisalpinæ imperio potitus, cœnobio eduxit, ut insigni dignitate ad familiæ decus ornaretur. Idq; facile à

le à Pio Pontifice impetratum est. Nec multò post Mediolanensis Archiepiscopus est effectus.

De liberis eius ex Lucia Trezania.

Cap. LXIII.

Primo partu ex Lucia Trezania puerum suscepit, qui de patruī nomine Franciscus est appellatus. In hūc ab admirabili quodam syderum concursu, cuncta humanae felicitatis ornamenta, uirtus & fortuna contulerunt. Natus est in Diui Miniati Hetruriae oppido, iuxta Arnū, Pisana uia, Anno à partu Virginis uno & quadringentesimo supra millesimum, decimo Calēdas Augusti, quum Sol occideret. Militabat tum Sfortia alterum & tricesimum aetatis annum agens Florentinis, qui Pisanis bellum intulerāt. Secundo autem partu Elisam, in qua maternae auiae nomen repetitum uideamus. At tertio partu alterna fecunditate puer est editus, cui ab insignibus Roberti Caesaris munere Patauino bello acceptis, Leonis nomen impositum est. Peperit & mox Antoniam uenustate insigni. Caterum Leo ab ineunte aetate Francisco fratri omnibus serē bellis assiduus comes, eam in re bellica spectatis operibus laudem tulit, ut non magno interuallo, ad fraternae uirtutis nomen accederet. Leoni biennio post successit Ioannes nomen paterni aui deferens, ingenio, uiribus, & fortuna fratribus dissimilis. Sed cum secutus est natu quartus, à Pontifice eius nomine Quinto Alexander appellatus, is tanto studio, tantaq; ui praestantis animi arma tractauit, ut non modò Francisco fratri indomiti corporis, & pugnacis ingenij uigore, uerum & felicitate rerum gestarum equaretur. Condidit enim sibi fi-

lijsq; item, atq; nepotibus principatum apud Pisaurum
 ses, ut in Togata Gallia non secus ac in Cisalpina Fran-
 ciscus frater, Sfortianæ domus stirpem infereret.

De affinitatibus summa prudentia contractis.

Cap. LXIII.

Leonato ex Sanseuerina familia nobilissimo atque
 fortissimo iuueni Elisam nuptui dedit, ut generum ar-
 morum studio illustrem, potentemq; clientelis, & opi-
 bus apud Picentinos, & Brutios, certo ueluti præsidio
 rebus suis adiutorem, defensoremq; pararet contra po-
 tentiam inimicorum, Sergianiq; præsertim, à quo se cu-
 nictis, & machinis oppugnari, petiq; insidijs haud
 obscure intelligebat. Ex Elisa natus est Robertus ipse
 Sanseuerinus præclarus imperator, & maximis eius
 temporis ducibus præferendus, nisi in extremo uite a-
 ctu à Germanis ad Athesim prælio fufus, ac interfe-
 ctus superiorum uictoriarum nomen obscurasset. De-
 dit & in matrimonium Marino Caracciolo Sergia-
 ni germano fratri, Claram Attendulam, Foschini, &
 Marci sororem (ea erat ipsius ex sorore Margarita
 neptis) procurante, cohortantēque Regina, ut erum-
 pentia, & iam coalita alternis offensionibus odia tol-
 lerentur. Desponsauit demum Antoniam Arditiōni
 Carariensis Comitis filio, cuius ditionis erat urbs A-
 sculum in Apulia, ut patrem eius eximie authorita-
 tis ducem, magnas tum copias ductantem, in Regiæ
 partes pertraheret: In eo etiam Braccij hostis spem fru-
 stratus, Carariensem multis pollicitationibus sibi ad-
 iungere properantis. Polyxenam quoque Ruffam, in
 Brutijs, dotali iure tres urbes, & uiginti amplius castel-
 la in

la in nuptias trahentē, ut Francisco filio collocaretur à Regina feliciter impetrauit: sed infausto demū successu, quū ab amita præferoci, seclēstiq; muliere, & Polyxenā, & eius filiolam dudum infelici utero editā, admisso dapibus ueneno sublatas audisset. Curauit quoq; ut Polyxena Sanseuerina Michaleto Attendulo, & Ioan- nella Iesualdia Dominico Bosij iungerētur: quando eæ mulieres in Hirpinis inueterata imperij consuetudine ingentes opes tuendis Sfortianorū coeptis allaturæ uiderētur. Nec alia quoq; de causa Tartaliæ filiā Ioāni filio despōsatā, intra Penates nurū recepit, quā ut Braccio Mōtonio, uetus sibi hostis, & acerrimus bellator de traheretur: ut pote qui plerūq; diceret, nihil cōmodius ac uilius uideri, quā trib. propositis hostibus cū primo pacē pacisci, cū altero autē inducias parare, ut in tertiuū maximè expedita, & grauiora arma uerterētur

De clemētia, & seueritate erga suos. Cap. LXV

Tanta autem uarietate clementiam simul, & seueritatem exercuit, ut delicta familiarium, & militum, nūc puniendo atrociter, modo facile ignoscendo, neque huius, neque illius uirtutis constantem famam assequeretur. Sclauetto Dalmatæ insigni equitum præfecto, qui in gratiam Iulij Cæsaris, se primum è percussoribus in transitu Caloris amnis Sfortiæ latus mucrone petitorum pollicitus fuerat, adeò generosè pepercit, ut captum ad Casam Marij, & iure belli armis & equis despoliatum, non modò (id improbantibus amicis) incolumen, uerū omnibus impedimentis, ne quid omnino desideraret, magna cura cōquisitis, & restitutis, cum uolatè instructum dimiserit: perblanda, & nobili cōtētus

268 DE VITA MAGNI
interrogatione, quum ad eum dixisset: Quis nã furor
inhumani, crudelisq; animi, Sclauette, alioqui uir for-
tissime, te impulit, ut nulla laceſitus iniuria adeò proli-
xè promitteres, te gladium ex cæde mea cruentum ad
Iacobum Regem omnino relaturum? Sed immanis uir,
ad id tum oculis in terram defixis, nõ multò poſt apud
Philippum Inſubrum Principem, perfidiæ militaris cri-
mine conuictus, in furca pependit.

De Martino Paſolino conſeruato.

Cap. LXVI.

Eadem animi magnitudine uſus eſt erga Martinum
Paſolinum aduerſe factionis principem, cum quo mul-
tis utrinque cædibus editis aliquot annos Attenduli in
teſtino bello contenderant. Eum enim undiq; pulſum,
infeſtaq; Attendulorum arma fugiẽtem, deſperatis re-
bus ad Sfortiæ pedes procubiſſe, ſalutem, ueniam, pa-
cemq; extemplo impetraſſe conſtat: Et eo quidem ma-
iore cum laude, quòd tum planè iuuenis, & uindictæ li-
bidine uehementer exardens, ea odia, infecto ſemper
animo, & cruentis manibus exerceret.

De clementia erga Biſium. Cap. LXVII.

Biſio quoq; è Cotignola peditum præfecto præter
omnium opinionem, inexpiabilem iniuriã, & grauiſ-
ſimi delicti pœnam remiſit. Nam quum Sfortia ſpectan-
tibus ex propinquo duobus Regibus, penè intra Car-
melitanam portam ad Neapolim uictoria ſigna, per-
turbatis iam fugatisq; hoſtibus intuliſſet, unius Biſij ſo-
cordia, perfidiaq; obſtitit, quo minus cumulata uicto-
ria potiretur. Iuſſus enim duabus ueteranis cohortibus
intra hortorum macerias in inſidijs conſidere, & ad
ſignum

signum datum prorumpere, ut studio pugnae prouectos hostes intercluderet, neque designatum in locum peruenit, neque prius apparuit, quam post trium horarum pugnam, receptum signum tuba datum audiuit. Ob id Sfortiam, irato animo, ea mediocri uictoria minimè contentum, exclamasse rauco ore plurimum ferunt, iidem sepe repetentem: Bisi, scelestè desertor, redde mihi hostium duces captos, atque intercepta eorum uexilla, quae incredibilis ignauia pariter, atque perfidia tua dudum nobis è manibus eripuit. Ceterum eum ex conscientia animi, metu consternatum, et crimen ineptis uerborum ambagibus excusantem, ea lege castris excedere iussit, ut perpetua ignominia notato, acerbissimi supplicij poena, si inconspicuum castrorum unquam ueniret, in diceretur. Ea est aeneo tormento includi, et succensodemum sulphureo puluere, per aera discerptis artibus diffundi.

De inusitato poenarum genere. Cap. LXVIII.

Equitem Patauinum è turma Scorpionis à Luco, qui Bononiensi medico in castris artem profitenti, cocineam togam è tabernaculo, dum altè ille sterteret notu rapuerat, eadem indutum toga, sed uinctis manibus per forum, et stationes, et contubernia militum traduxit: Adeò, ut ridente, et exsibilante toto exercitu, ne reliquo ignominiae dolori superesset, seipsum pignore transfoderet. Domitorem quoque equorum, magistrique stabuli uicarium, patria Campanos, qui equis militaribus hordeum subtrahere, idque diuendere ceperant, deprehensos, alligari per pedes equorum caudis, incitatoque cursu per prata, et sata raptari ad necem

iussit. Equitem etiam è Ferraria nobilem, qui contra e-
dictum, uel sepe admonitus, scortum adolescentis armū
geri habitu, circumtonsa cesarie habebat in castris, pu-
denda ludibrij poena affectit quum muliebri ueste indu-
tum, per castra armato in equo circumduci, ostenta-
riq; iussisset.

De Gratiani supplicio. Cap. LXIX.

Quum Ioanna Regina Alphonsi Regis repentinis
armis circumuenta, obsessaq; in arce Capuana, cohort-
tante demum, deducenteq; Sfortia Auersam se recipis-
set; Gratianum Fauentinum custodię arcis proposuit,
commēdante eius uirtutem ac fidem Sfortia, qui illum
magnis beneficijs, ac præfecturis ornatū ab humili mi-
litię loco ad primos honores extulcrat. Is beneficiorū
oblitus, ut militare decus auaritię simul, atq; perfidię
scelere foedaret, corrumpentibus eum multo auro Ca-
talanis, se proditurum arcem pepigit. Verum à Sancto
parente interceptis literis, & detecta perfidia, nō du-
bitauit Sfortia, quin seuerissimè in eum ageret, qui sa-
cramenti religionem, & priuatę fidem amicitię nesa-
ria proditione uiolasset. Atque ita eum apud Scilicium
Glanij amnis pontem, Auersana uia præalta in arbore
suspensum, agitandum uento, & uelucris carpen-
dum reliquit.

De mansuetudine erga Brandolinum Comi-
tem. Cap. LXX.

Non desuit in eo, qui in suos supra æquum seuerior
habebatur, humanitatis, & candoris eximij laus erga
hostes. Brandolinū Comitem, cuius manu Viterbiensī
in prælio sauciatus, & penè interfectus fuerat, expu-
gnato

gnato Capitone oppido, captum, quum in eo tumultus inimicum pariter, ac hostem facile, & quidem procul ab inuidia tollere posset, adeo humaniter apud se habuit, ut ex conscientia magnopere sibi metuentem, effuse laudaret in conuiuio, atq; omni penitus metu liberaret. In hoc etiam gloriatus, quod in tanta fortunæ iniquitate, neq; à gregario, uel ignauo milite, sed à nobilissimo, atq; fortissimo duce uulnus accepisset. Erat Brādolinus Braccianæ factioni uehementer addictus: similemq; animum Tibertus filius aduersus Sfortianos semper exercuit, ne à paterna disciplina discederet: unde illi denum fatale exitium. Francisco enim Mediolani ad Principatum tanta felicitate prouecto, quum Braccianas opes undiq; fractas, deletasq; conspiceret, sese turbido ingenio à uetere inuidia, odioq; ad perfidiam uertit. Atq; ita deprehensus, & custodiæ traditus, ut imminenti supplicio se eriperet, præacuto ferreæ lucernæ manubrio, sibi iuguli uenam perfodit, & interiit.

De inuidia ex nece Tartaliæ parta. Cap. LXXI

Onerauit autem eum inuidia maxime ingenti, supplicium de Tartalia sumptum: quanquā ille meritis cōceptæ perfidiæ poenas luisset: quod nequaquā sincera fide ad amicitiam, affinitatemq; uocatū, circūuenisse diceretur, occulta scilicet in id tēpus, & mox detecta naturæ malignitate, ut sublato bellicæ uirtutis æmulo, eodē que fortissimo duce, ueteres iniurias uindicaret. Sed id Martini Pōtificis iussu factū fuisse scriptores fatentur: ipsiq; in primis Cāpanus in historiis alioqui Sfortiæ insensus passim, & contra Braccij gloriæ impudētissime semper fauēs, cūcta reticendo, aut eleuādo uerbis, quæ

Sfortia cōsilio, manuq; feliciter gessisset. Reducebat in regnum Martinus Ludouicum III. Andegauensem, Sfortia ductu, ut Ioannam omnibus impudicitiae flagitijs coopertam expelleret. Illa uerò Alphonsum ab Hispania adoptatum in filium euocarat: bellumq; gerebatur asperrimum Sfortia tantam belli molem egre sustinente: quū Bracchius dux ea etate clarissimus magnis premijs, atq; stipendijs conductus, Reginae partibus adhesisset. Sed aequatae demum sunt uires Tartaliae aduentu, quem superiore anno ab amicitia Braccij ductum, Martinus cum mille & quingentis equitibus ad Sfortiam auxilio miserat. Eo autem anno Tartalia his artibus operam nauauit, ut contra naturam ingenij cunctatior, & segnior factus, Sfortiam uetere gloria spoliari, profligariq;, quam Braccium omnino uinci malle uideretur. Ad Sarnū enim separatim sibi castra fecerat, collegae praesto nunquam adsuerat, cessarat ab excursionibus, quibus Campani, Neapolitaniq; ab Aversa, uti Sfortia praeceperat, facile posse uexari, premijsq; acrius infesta populatione uiderentur. Auxerat & eam suspicionem Braccius, per eos dies inusitato militiae more, Sfortianos milites bello captos ad triremes Catalanorum relegare, Tartalianos uerò benignè remittere solitus. Commeabant & frequentes nuntij, praeconesq; à Tartalia ad Braccium, adeò, ut iam nemo esset, qui repetitam cum Braccio amicitia, & ob id Tartalianam ex occasione ad hostes transiturum non putaret. His ad Pontificem perscriptis, uenit ab urbe Roma Colaus Squarcia Romanus iure consultus, ut ex inditijs in reum iure ageret. Hic Tartalianam inopinato Sfortie

tie aduentu oppressum, captumq; questioni subiecit
 & de cōfesso, post tertium diem, Auerfano in foro ca-
 pitale supplicium sumpsit.

De natura ingenij. Cap. LXXII.

Ex disciplina, totoq; uitæ ordine, & successu rerū,
 manu, quàm consilio potior censeri potest, quū incau-
 ta facilitate, uel contumacia subagresti, in ea consilia
 plerunq; adigeretur, unde nullus pateret felix exitus,
 propter simulatas multorum uoluntates, & necesse es-
 set à fatali uirtute, uel diuina ope subsidia comparare.
 Maximas enim iniurias quum æquo animo sapius fer-
 ret, leuicū demum contumeliam tolerare non poterat
 ita, ut iracundiam plerunq; exerceret imparatus: quū
 mori præstare diceret, quàm iniuriæ indignitate mini-
 me commoueri. Versauere itaq; hominē occulto astu,
 & in maxima uitæ pericula coniecere Paulus Vrsi-
 nus, Alopus demum, & Sergianus: sed Dij immortales
 eius uiri uirtute, ac innocentia adducti, ita nequissimo
 rum hominum insidijs obuiam iere, ut ultro eas demū
 iniurias uindicasse uiderentur. Nunquam transfugit,
 nunquam discessit ab officio, nisi magnis de causis: ita,
 ut nunquam improviso factus hostis arma conuerte-
 ret, nisi renūciata prius amicitia, remissisq; uexillis: ut
 eo facto dissensionis causam in alterum reijceret, & se
 ad tuendam dignitatem bellum nequaquam insidijs, &
 & dolis, sed uera uirtute gesturum testaretur.

De disciplina domestica, & militari.

Cap. LXXIII.

Quum ad multa coniuendum esse censeret, nec exa-
 ctissimus delictorū ultor esse uellet, ita institutū domi-

erat, ut cōtemptores diuūm, ac hominum, lumine penitus arcerētur, fures nocturnos, & interdiu exposita ioci modò carptim inuolantes, maneret pœna, nemo impunè specularetur. Abhorrebat uerò plurimum ab insanis, & morionibus, qui atra bile laborarent, quòd accipiti ioco risum pariter & luctum mouere possent. Suo scilicet periculo admonitus, quòd ad Collem Senēsis agri oppidum insanus quidam, dum ioco militari intemperanter lacefferetur, & ob id irritantem saxo petere uellet, ipsi Sfortiæ tegumentum capitis summo citæ discrimine decussisset. Omni autem uitæ tempore in castris aleam perosus, uti Duci pariter, ac militi maxime pestilentem, ita otij tempora transigebat, ut in usum militiæ ad palæstram cunctos ordines exerceret. Tum enim mos erat multa arte luctari, ingentis ponderis saxum iactare, ferreum uectem iaculari, teretem palum in terga conuersis manibus euibrare, saltuq; & cursu plurimum contendere. Quibus in ludis ipse multum lacertosus, & industrius facile ualidissimum quèq; superabat. Pluuijs, nocturnisq; tēporibus, quòd nequaquam Latinas literas attigisset, uernaculis conscriptæ uersibus Heroum, & Galliæ Procerum historiæ pariter, & fabulæ legebantur: unde illi exempla peterent, qui se duce uirtutis famam clarissimis factis extendere decreuissent.

De cultu eius, & conuictu. Cap. LXXIII.

Erat in cultu, uestituq; moderatus potius, quàm elegans, uel sumptuosus. Oderat uestis munditias: sagulorum autem, & armorum nitorem ita exigebat, ut maculam, & eruginem contumelia, & nonnunquam uerbere

bere uindicaret. Equiti ex hybernis eruginosa gestanti arma, in conspectu hostium seuerè imperauit, ut ad aperta casside in aciem prodiret: scilicet, ut cum periculo nosceretur, si parum gnauiter dimicasset. Ceterum in pompa, & cum lustrarentur exercitus saga serica, argento, atq; auro bracteata conspiciebantur: auratae item, & egregiè perpectae Bardae, quibus equi Persico more tegebantur. Is uerò eques sibilo notabatur, qui decoras in casside cristas nequaquam ostentasset. Membrarum uerò honos non in delicatis, & exquisitis dapi- bus, sed hilari simplicitate, perenni copia, comitateq; & frequentia conuiuiarum censebatur.

De pietate eius erga Superos. Cap. LXXV.

Deum optimum, Diuosq; omnes sincere potius, quàm religiosè coluit: ut potè, qui à rationibus bellicis procul esse existimaret, ineptis caeremonijs, & simula- tis precationibus Deos fatigare, quum necesse foret bella gerenti cuncta rapinis, cædibus, ac incendijs per- miscere: neq; uel infanda scelera posse puniri, corru- pta iam militari disciplina. Qua in re ducem belli, præ- fectumq; à seueritate urbani Pratoris plurimum dif- ferre oporteret. Sed palàm earum rerum agnoscebat culpam, & ueniam secretò precabatur: quotidiana sa- cra audire, aut si instante negotio impediretur, postri- die ea repetere, & quotannis pio, pœnitentiq; animo expiare sese, maximeq; sacramenti hostiam rite susci- pere solitus. Id uerò demum probi, & uerecundi ducis esse prædicabat, honestiorem belli causam sequi: inuis- lata tēpla præstare: in captiuis pudicitiam tueri: nunquã abuti sanguine militum, aut hostium cæde letari.

De pietate erga Patriam. Cap. LXXVI.

Edidit & insigne pietatis exemplum erga patriam Cotignolam: quum fortuito incendio absumptam, priuata liberalitate instaurandam suscepisset, singulos ciues cohortando, ut ædificare luculentius uellent: quando ipse lateres, materiam, calcem, se gratuito collaturum profiteretur. Factumq; subinde est, ut celeriter restituta, adornatisq; domibus, & directis regionū uijs, priuatim, & publicè magnificentissimo Principi gratiæ ingentes agerentur, quòd opportuna liberalitate, & priuatiæ commoditati, & elegantiae publicæ consulisset.

De pietate erga propinquos. Cap. LXXVII.

Pietatem quoq; cum incredibili charitate erga propinquos, & rarissimo quidem exemplo ostendit. Bartholum etenim, & Franciscum fratres, euasante Perusinum agrum lue pestifera, apud Martianum exitiali correptos morbo, adeò constanter inuisit, ut uel deprecantibus amicis ab his diuelli nequiuert: quin desertis, & morientibus uenas tangeret, somentaq; præberet. Quibus demum celeriter expirantibus, sepulchrum extruxit, addiditq; aram, & sacerdotem, qui certis diebus inter sacra eorum manibus parentaret. Pari quoq; officio, amoreq; Bosium Patruelem complexus, ad Spoletum ex castrensi per hyemem fatigatione neruis conuulsam diligentissimè fouit, elatumq; insigni pōpa fratrum sepulchro intulit.

De præceptis Francisco filio datis.

Cap. LXXVIII.

Suh hac disciplina educatū Franciscum filium, qui
ab se

ab se Sfortia in Brutios ad dotales urbes profecturum
 dimitteret, ei attribuit eximia uirtutis duces, & mili-
 tes, qui bello, paceq; etatem eius regerent: diu iuuenē
 cohortatus, ut pietatem, & iustitiam coleret, nobiliq;
 animi decreto existimaret, uirtute potius, quam malis
 artibus ad opes, & gloriam contendendum. Illud etiā
 grauisimis præceptis adiecit, ut etiam atque etiam ca-
 ueret, ne amici, aut imperio subiecti uxorem unquam
 impudicis oculis intueretur. Neminem uulnere, aut du-
 ro uerbere puniret, aut si id casu, aut ira præcipiti ac-
 cidisset, extemplo lenitum, donatumq; digno munere
 longius ablegaret. Postremò nūquam indomiti oris
 equum ascenderet: nunquā eo uteretur, qui ab ungula
 molliore facile soleam excutere consuesset; quòd se ab
 equo alioqui longè optimò, sed in frenum contumaci,
 cui Draconi ob id nomen erat, quum sub orto ex insi-
 dijs Bracciano hoste, irrita habenarum contentione
 abreptum se, & in Auersæ fossam præcipitatum me-
 moraret: In Umbris autem tumultuaria in pugna, quā
 ex equo, cui à colore auis, Pica nomen erat, depugna-
 ret, eo inter colluctationes omnibus soleis discalciato,
 uix ipse pedibus eo relicto è manibus hostium effugis-
 set. Quibus præceptis maximè usus Franciscus, quòd
 nemini ferè contigerat, omnibus consilijs felix, & præ-
 lijs uictor euasit, ut spem de præclara indole patris iu-
 dicio conceptam, fataq; & uota hominum impleret.

De prudentia ex alienis iudicijs quæsitā.

Cap. LXXIX.

Eum uerò prudentiæ, iudicijq; militaris tenorē usq;
 ad uitæ exitū constantissimè tenuit, ut nō temere quic-

quā in rei bellicae negotio decerneret, nisi accito uel in
 fimo quoque centurione & milite ueterano, ut exquisi-
 titis separatim omnium sententijs, quod patrandum foret,
 multorum iudicio probaretur. Sed id tanta dissimulatione
 expetebat, ut semper alienis exordijs, & fabulis animi
 propositum celaret, atque apte demum ad id quod uellet, in
 sultato nouo sermone deferebatur: quonia eo pacto nunc
 quam prolato interiore animi decreto, auctoritate sua
 egregie retineret: nec ob id persuasione prudentiae ani-
 mi minorum ducum inflarentur: quando ij alia semper de cau-
 sa uocatos, & fortuito demum sermone in grauiore con-
 sultatione incidisse humanitate ducis facile existimarent.
 Verum illos cōfecto negotio iucundē potius, quam gra-
 uiter in corona laudabat, qui feliciter in disputatione
 diuinassent: & id quidem iucundiore gratia, quod libera-
 liter, & nullo fastu gloria cōmunicare uideretur.

De cādore ingenij & memoria eius. Ca. Lxxx.

Ingenio enim natura fuit candido, ad apertoque po-
 tius, quam latebroso, & callido. Vnde quum dolis, oc-
 cultisque aulæ artibus parum ualeret, facile in insidias
 praecipit daretur: sed statim inde alleuatus fatali qua-
 dam uirtute resurgeret. Stata autem aetate, propter oc-
 cultas hominum uoluntates, atque ora fictitia: itemque ad
 eludendos speculatores cohibere linguam, iram frenare,
 ac opportunè, apteque uaria persona uti didicerat.
 Ita tamen, ut siquid simulatius faceret, aut diceret, à fa-
 miliaribus, atque domesticis facile nosceretur. Natura
 siquidem eos oderat, qui animo ancipiti essent, mul-
 tosque recessus, & uarios anfractus haberent, dissentien-
 te praesertim fronte, in qua praecclare apud generosos,
 ac pro

ac probos, & fides, & pudor habitarent. In eo etiam
 supraquam credi par est, admirabilis rerum, ac nomi-
 num memoria uiguit, tanta felicitate, ut quum nullis
 commentarijs inniteretur, non modò militum suorum,
 uerùm & equorum nomina à multis annis repeteret,
 Nec in persoluèdo stipèdio ulla in re unquã falleretur
 De studio literarũ Hetruscarũ. Cap. LXXXI.

Literas Latinas nequaquam attigerat, sed admira-
 batur, secutus Hetruscas, atq; uernaculas, quæ ex usu
 militari commodiores uiderentur. His necessitate qua-
 dam totum id otium, quod ex negotio superesset, uehe-
 menter addixerat, ut historias calleret: quas è Græcis,
 Latinisq; scriptoribus traductas lectitare erat solitus,
 inuitatis liberalitate ad id munus suscipiendum litera-
 tis, in queis fuit Porcellij Poetae pater, ob tralatos Cæ-
 sarem, & Salustium, honesta domo cum hortis dona-
 tus. Quòd autem literas nesciret, perurbanè sese excu-
 sabat: quando quidem una, atq; eadem manu librum si-
 mul, & gladium tenere minimè didicisset. Neque etiam
 sua manu epistolas, nisi tumultuarijs, ridendisq; literis
 unquam perscripsit: adeò, ut ipso dictante ab amanuen-
 sibus exaratas, quodam symbolo potius, quàm descri-
 pto nomine subnotaret, & mitteret. Vsus est in litera-
 rio, scriptorioq; munere Theologis cucullatis: Quo ge-
 nere hominum ad longè, lateq; specularandum, nihil a-
 ptius, atq; securius asserebat: quando quidem prætextu
 religionis omnibus rerum diuinarum, ac humanarum
 negotijs libera ubique, & semper impu-
 nita simulatione misce-
 rentur,

De generositate animi erga inimicos.

Cap. LXXXII.

Ladislao Rege magnis uiribus Tudertum oppugnãte, quum Braccius repentina, & graui eruptione Paulum Vrsinum ueterem inimicum suum adortus, ita copias eius cœcidisset, ut statione, & totis denique castris ipso Duce pulso, & fugiente pellerentur, non dubitauit Sfortia, quum circumuento, & penè capto opem ferre maturaret; quum sibi in sua castrorũ parte designatũ locũ tueri, ac inimici cladem otisè spectare, optimo militiæ iure licuisset. Descendit enim ab acliui loco instruitis turmis, atq; cohortibus tardauitq; impetũ insequẽtis atq; uictoris hostis: adeò ut longo, ac acerrimo certamine edito, Bracciani intra portã cõpulsĩ, nõ medio cri accepta clade, terga dare cogerentur, uociferante, atq; irridente Braccio, quòd Sfortia cõmunem inimicum, quẽ interficere deberet, clementiæ, & stultæ lenitatis nomine conseruasset. At Paulo inter metũ, & pudorẽ Sfortiæ gratias agenti, ille alta uoce, ut omnes exaudirent, respondit: Nõ est, Paule, quòd parẽ referre gratiã cogites, quoniã hodie cum signis, & copijs meo insigni beneficio sis conseruatus: quando id, quod strenuè, & peropportunè factum uidetur, id totũ Regiæ, & publicæ omnium dignitati sit datum: ne scilicet in oculis Regis ac meis in expiabile dedecus admitteretur. Tu uerò nihilo secius insectari, & persequi uenenatis etiam telis me ipsum perges: Ego certè immeritas acceptas abs te iniurias probè, & strenuè ulciscar, quum te mihi fortuna, quæ nunc socium facit, aliquando hostẽ obtulerit. Id factum, dictumq; Ladislaus magnopere commen-

cōmendauit, Sfortiaeq; dono dedit equum phaleratum, atq; item liciniam ex purpura, auroq; insignem, argenteis squamosam bracteis, qua ille uti in praelijs soleret, ut palam in Sfortia raræ uirtutis simul, & clementiæ decus testaretur.

De fortitudine eius in dolore tolerando.

Cap. LXXXIII.

Miram quoq; animi fortitudinem, & patientiam in tolerando omni dolore in aduersis semper ostendit. Neq; enim frangi, aut demitti animo, ullouē lachrymarum uestigio fœdari, uirile putabat: ut tū accidit, quū uno simul tempore multarum concursu calamitatum penè obruius, nulla omnino uel subtristis, uel perturbati animi signa prætulisset. Ipso enim in edito colle supra Campanam portā Romano opere uallatis castris Neapolim circumfidente, atq; oppugnanter, priusquam Ludouicus III. classe in eam oram adueheretur, Franciscus filius grauiore ueruto maioris Scorpionis per duplicem ferreum thoracem penetrante lethaliter uulneratus, ac item Foschinus ex sorore nepos simili telo ictus penè desperata ope iacebant. Ipse quoq; Leonatus gener, tantæ in dolis dux ex prouocatione ad ostentandam equestri disciplinæ peritiam uirtutemq; cum Caraffello Caraffa nobilissimo equite, nulla intercedente simultate congressus, recepta per cassidem hastæ cuspidē, lugente toto exercitu ceciderat. Quem mœorem mirum in modum adauxit, funestus ex Brutijs nuntius, qui Polyxenam nurum, ac item eius filiolum ex Francisco neptem, ueneficijs amitæ acerbissima morte sublatas attulerat. Suborta & tū Sergiani arte, doloq;

exitialis fama totis disseminata castris insolitum pauorem, & magnam consternationem inuexerat. Erebat enim Ludouicus intermisso ad Masiliam nauali apparatu aduentum suum atque eius conflati belli maritimam expeditionem ad prima Veris signa distulisse: ita, ut milites iam planè desperatis auxilijs, & aduentante Alphonso, quamam belli arte incepto obsistere, seq; incolumi exercitu in pacata loca recipere possent, insigni concepta formidine cogitarent. Sed his tantis priuati luctus, & publici mœroris incommodis confluctatus, ea magnitudine animi, ac patientia compressit dolorem, ut neque in tabernaculum se abderet, neq; ullo uel tacito gemitu, uel exili suspirio æquabile illud frontis decus immutaret. Eo enim oculorum uigore, eoq; eloquentiæ spiritu militum animos erigere, sustentareq; existimationem erat solitus, ut tum maxime, quum à fortuna uictus esset, cum proculdubio uicisse crederes.

De urbanitate eius. Cap. LXXXIII.

Non caruit urbanitate in dictis: Plerunque falsus, & aptè, sciteq; remordens, si quis prouocando lacefferet. Ut tum accidit, quum à Sergiano magno Senechalcho, ad exprobrandam generis nouitatem ligonis fabula obiectaretur: In hoc, inquit Sfortia, uti uideo, stirpis origine pares sumus, quum Adamus mortalium primus terram & ipse foderit. Sed ego certè quòd iure diffiteri non potes, illo meo ligone multo nobilior euasi, quàm tu tuo pene, & penna. Quo scommate lepide admodum hominem transfixit: quum in eo tanta cum inuidia dignitatem stupro quesitam, & patrem eius

trem eius ad Prætoris tribunal, ignobilem scribam, adulteratoq; testamento, falsi damnatum scitissime notasset.

De facetè dicto. Cap. LXXXV.

Quum transfuga Nolanus eques ingenio infami, ut sibi gratiam cum Sfortia compararet, Tartaliam omnibus maledictis in conuiuio Sfortie famam lacerasse detulisset: deq; ea re ut fides sibi haberetur iureiurando sepius affirmaret: Non opus est, inquit, sodes, ut multum in persuadendo mecum labores, quum Tartalia nunquam uerbum de quoquam sit elocutus, quin maledixerit: & tum multò quidem atrocius, atque liberius, quum locum ad id maximè opportunum nactus, ut dicis, totum maledicentiæ impetum effudisset, ut dicis, totum maledicentiæ impetum effudisset credendum sit: Peracutè delatorem auertens simul, & sua uitia Tartalia obiectans, titubantiam scilicet oris, unde cognomen acceperat, & temulentiam, quum esset omnium, & quidem natura potius quam ætate, bibacissimus.

De falsissimo dictorio. Cap. LXXXVI.

Quum insidijs, armisq; Pauli Ursini exterritus excessisset urbe Roma, & in Algido castra posuisset, ad eum à Pontifice Cardinalis Sancti Angeli legatus uenit, ut fidem interponeret, confirmaretq; hominem, in urbemq; reduceret. Inter multos autem sermones, Cardinalis quum dixisset: an Sfortia Ursum timebis, quum sis sub Columna tutissimus? Extemplò respondit: An non tibi pater, omnino insanus uidebor, si dum frustra à surdo marmore opem imploro, bellua ingens, dente ac unguibus ferox, ac humano sepe

gressu incedens, mihi minimè sit formidanda? Non ille-
 pidè remota, & parum expedita Columniorum auxi-
 lia designans, & Pauli Vrsini ingenium, præsentesq;
 uires aptissimè depingens.

De statura corporis eius. Cap. LXXXVII.

Statura fuit corporis erecta, excelsaq; supra medio-
 crem, macro habitu potius, quàm succoso, praeualidis
 artubus à firmissimo quodam neruorum nexu: sed
 cruribus ad suram maximè torosis, & parum tereti-
 bus: Manu autem ampla, & praelonga, digitorumq;
 compage adeò firma, ut distractam in diuersum utraq;
 manu soleam ferream facile disrumperet, & praelon-
 gam equestrem hastam à calce sublatam attolleret. In-
 erat autem lato pectori, patulisq; humeris militare de-
 cus: Adeoq; restricto, & decenter castigato fuit uen-
 tre, ut angustissimè cingeretur: quandoquidem in me-
 dio ad zonam duobus primis ab utraq; manu expan-
 sis, lunatisq; digitis facile comprehendi, atque præ-
 cingi posset. Erat facie subagresti, parumq; hilari, uti
 à plumbeo quodam pallore subfusca, quum & oculi
 colore casij minaci specie intra cauos orbis multum
 recederent, & supercilia maximè pilosa prominere
 uiderentur. Sed nasus à medio elatus, nec aduncus ta-
 men: labra decentia, & candidissimi dentes illud os
 probum effingebant. Tonso autem capillo, & derasa
 barba semper incessit: quòd ita conclusa casside utenti-
 bus expediret. Coccineo capitis tegumento semper in-
 signis, quòd duobus gradibus in præaltam, striatamq;
 pyramidem exurgebat. Tanta autem specie ad expri-
 mendum militare decus in hoc homine dissimilium re-
 rum partes

rum partes ratione, atque ordine respondebant, ut à rudibus, rusticanisq; qui eum nunquam uidissent, pari inter multos cultu, & saepe sine comitatu uti omnium princeps, ac imperator nosceretur.

De agilitate membrorum eius.

Cap. LXXXVIII.

Ea erat agilitate, ut nullo adiutante, ac impellente, quum sinistram pedem hemicyclo ferreo, quem stapedem uocant, induisset, uel omnibus contactus armis, & galeatus in ephippij sellam eleganter insiliret, progredereurq; saepe ad multa passuum millia, cataphractus, duratis scilicet membris ad omnes uel iniqui laboris exercitationes, frigusq; praesertim. Neque enim in tota uita peregrinis pellibus est usus, quibus aduersus algoris iniuriam uestes fulcirentur. Torquebatur autem facile siti, quum in magnis aestatis feruoribus equitare, pugnareq; oporteret: Adeo ut se armatum, siti potius quam ferro confici posse diceret: atque id mortis genus maxime uereretur. Qua de causa armigerum puerum instituerat, qui lagenas aquae, uiniq; & alia ex saccharo sitis subsidia ualido equo praeserret, nec à se unquam uel in extremis pugnae periculis diuelleretur. Ceterum adeo robusta ac indomita corporis temperatura semper fuit, ut facile morborum inuita exercitatione discerneret, & si quae febres incidissent, eas incredibili patientia ad ciendum sudorem lodice coopertus, & inedia praesertim, repudiatis pharmacis, felicissime superaret.

De infelicitate mortis eius. Cap. LXXXIX.

Anno demum aetatis quinquagesimo quinto, quum iam in eo uirtutes omnes, quae summum ducem dece-

rent penè perfectam maturitatem cepisse uiderentur,
 fortuna insolens & uictoriarum & uitæ cursum pari-
 ter abruptit. Braccio enim fatali pertinacia Aquilam
 urbem obsidente, & Alphonso demum Rege, qui opè
 afflictis rebus suis ab eo frustra postularat, in Hispani-
 am reuerso, Sfortia maximorum in Italia Principum
 imperator effectus, ex Apulia mouit, ut Martini ponti-
 ficis, Reginaeq; & Philippi Vicecomitis auspicijs Aquila-
 lam obsidione liberaret, atq; inde demum spe gerenda-
 rum ingentium rerum in Hetruriam proficisceretur.
 Erant in eius exercitu septem millia equitum, & ualida
 peditū manus. Itaq; Anxano urbe, & Buccianico, Mil-
 lionicoq; deiectis Braccij præsijs, Orthonam perue-
 nit. Ibi duodecim diebus ad quietē militi concessis, quē
 insigni religione Natale DEICRISTI celebrasset ad
 Aternum annem est profectus; Is hodie à Piscaria op-
 pido nomen habet. Peruenerat in Marucinos Braccius
 dimidia parte exercitus ad obsidendam Aquilam reli-
 cta, ut Sfortiam transitu prohiberet. Defixis enim in ri-
 pa frequentibus, & præcutis arborum ramis, hisq;
 deligato magnis funibus nauigio, impostaq; sagittario
 rum manu, certioris uadi locū tuebatur. Præsidio quo-
 que duarum cohortium & quadringentorum equitū
 lapidei pontis propugnacula ad oppidum Piscariam
 firmata erant. In ea transitus difficultate, Sfortia in de-
 xtram ad ostij fauces, quibus in mare uadosum annis
 effunditur, signa deslecti iubet. Ibi uado pertentato,
 Michaelus, Sancto parens, & Franciscus Sfortiæ filius
 armati, galeatiq; cum sexcentis equitibus annem tra-
 narunt, sub sequente mox Sfortia. Franciscus cū Brac-
 cianis

ianis, qui è Piscaria ad prohibendos ripa hostes aduolant, prosperè conflixit, ita ut multis caesis, captisq; reliquos intra oppidi portam compelleret. Eo spectaculo nihil Sfortiæ animo, atque oculis iucundius fuit. Ex admiratione etenim uirtutis in filio incredibilem ceperat uoluptatem, quòd summam spem ex matura indole antea conceptam, feliciter adimplere uideretur. Interea perflante coro, allidentisq; maris aduersis fluctibus, intumescere flumen cœpit: adeò, ut cunctatium dubitantiamq; equitum turmæ in aduersa ripa uiserentur, neq; ulla significatione adduci poterant, ut præaltum amnem intrarent. Tum uerò Sfortia, urgente facto, in amnem rursus equum adegit, ut exemplo timentes inuitaret. Abi dum armigero puero periclitanti, protensa dextra, opem ferret, cœnoso subsidente uado eius equus quanquam insignis, posterioribus cruribus defecit: atque ita grauantibus armis est submersus. Bis sustulisse fertur armatam dextram, neque tamen quisquam opem tulit, quum hora fatalis aduenisset.

De Braccij iudicio, & laude erga defunctum, & cæde ipsius. Cap. XC.

Ferunt Braccium, qui è Theate ad primū transeūtis hostis nuntium maturata profectioe, præmissisq; impedimentis iter suscepit, ut magnis itineribus, antecedens Aquilam contenderet, alio atque alio renuntiante Sfortiæ interitum, nulla omnino conceptæ letitiæ signa prætulisse; sed contracta fronte, defixisq; oculis, fortissimi uiri casum humaniter indoluisset: adeo ut

defunctum, postquam inuidia decesserat, tum primis
 exquisitis, uerissimisq; laudibus prosequeretur. Neque
 enim uel tanto presentis belli periculo liberatus, ala-
 criorem uultum militibus ostendit, ut potè qui fatalis
 arcani conscius ab Astrologis didicerat, Sfortiam uio-
 lenta correptum morte, antecessurum quidem, sed pau-
 lo post & ipsum, pari ueluti sorte, eandem exitus for-
 tunam subiturum. Erat Braccius Sfortia natu maior,
 octo mensibus tantum & nouem diebus: ita, ut tum
 Mathematicorum disciplinæ ex utriusque insignis uiri
 casu, magna fides astrueretur. Vix enim quintum su-
 peruixit mensem, quum ad Aquilam per tredecim men-
 ses frustra oppugnatam, obsessamq;, memorabili tan-
 dem prælio, Sfortiani militis gladio superatus, ac inter-
 fectus, & syderum, & multorum uatum fidem impleuisset.

De prodigijs, quæ mortem eius signi-
 ficarunt. Cap. XCL

Pridie quàm ab Orthona discederet, quum sacris
 de more confectis ab omnibus ordinibus salutaretur,
 in corona præfectorum omnium somnium enarrauit,
 quod ei sub auroram altè quiescenti contigerat. Som-
 niasse enim se profunda aquarum mole oppressum in
 extremo uitæ periculo uersari, prospexisseq; uirum gi-
 gantea specie Diuo Christophoro persimilem, à quo
 uel magna, ac iterata uoce frustra opem implorasset.
 Quo infausto omine, adeò exterriti sunt Franciscus
 filius, Michæletus, Sanctoparens, Acatabriga, Man-
 nusq; Bariles, qui postea eius rei fidem, & latè famam
 fecerunt, ut deprecantes institutum iter, enixeq; oran-
 tes, tridui quietem impetrare nequiuissent: quum ille
 propositi

propositi sui tenax, spem omnem praeuertendi hostis,
parandaeque uictoriae in una celeritate positam docuif-
set. Signiferorum quoque Princeps, qui quadratum uex-
illum supremi militaris imperij deserebat, egressus Or-
thonae porta, concidente equo adeo uehementer uexil-
lum solo affixit, ut foedatis caeno insignibus hasta frage-
retur. Sed nec id eum in fata strenue uadentem retar-
dauit. Quandoquidem ad uitae exitum semper impro-
uidi mortales, tum maxime ostenta contemnant, quae
fata urgent, diramque illam, ac omni prouidentia
maiolem necessitatem incautis pariter, ac
reluctantibus imponunt.

F I N I S.

EX HOC INDICE.

Proficitur Author per quos profecerit.

Ex Blondi Decadibus.

Pogio, qui Florentini populi res gestas Hetrusco ser-
mone conscripsit.

Historijs Pij Secundi Pontificis. Pontano.

Iacobo Braccellio, qui Alphonsi Regis Bellum Latine
conscripsit.

Leodrisio Cribello, qui Sfortiae & Francisci filij histo-
riam Latine scripsit.

Donato Bofio. M. Antonio Sabellico.

Pandulpho Collenucio, qui Neapolitanorum Regum
historiam Hetruscè scripsit.

Leonardo Aretino, qui uarias Latine historias scripsit

Campano Episcopo Aprutino, qui de rebus gestis
Braccij Latine scripsit.

Augustino Iustiniano Nebiensi Episcopo, qui Genu-
ensium historias scripsit.

290 DE VITA ALFONSI

Baptista Campofregosio, qui exēpla Latine scripsit.
Annotationibus Benedicti Nursini Medici.

Georgio Merula, qui Vicecomitum historiā, & Sfortianorum initia conscripsit.

Renato Sarauallino Pisano, qui patriā historiam He-
truscē scripsit.

Ioanne Simonetta, qui Francisci Sfortia historiā La-
tinē scripsit.

Bernardo Corio, qui ingētem historiarum codicem
uernaculē scripsit.

Palmerio, qui Annales scripsit,

Eremitano Bergomate, qui Chronicarum supplemē-
tum adidit.

Candido Viglebanense, qui ad Philippi Vicecomitis
uitam commentarios addidit.

Antonij Panormitæ Rapsodijs.

Diurnalibus Mimati Tabellionis.

Collectaneis Beſtucij Tritij.

Annalibus multarum ciuitatum.

Archiujs Romanis, Martini præsertim temporibus.

Fide ueteranorum militum Sfortianæ domus.

Fama tradita per manus, apud Neapolitanos præser-
tim ciues.

Platina de uitis Pontificum.

PAVLVS

PAVLVS IOVIVS NOVOCO
MENSIS, EPISCOPVS NVCKERINVS
HIPPOLYTO ATESTINO

Cardinali Amplissimo.

S. D. P.



LFONSI Patris tui ui-
tam multis uariæ Fortunæ
exemplis vtilitatem cū vo-
luptate legentibus adlatu-
ram nuper absolui. Huic o-
peri tum maximè incumbe-
bam, quum tu in tanto co-
mitiorum æstu, agitatis &
fessis publicis rebus tranquillitatem afferres,
creato Iulio Pontifice quem nemo nisi opti-
mus, & de Reipublicæ salute sollicitus exopta-
bat, & quem nec inimici, aut summæ authorita-
tis & gratiæ candidati, renunciatum esse ma-
gnopere quererentur. Satisfecisti itaque offi-
cio admirabili patientia, quum labanti Urbis
& Senatus dignitati opportunè insigni tuo suf-
fragio atque industria succurristi, ut Henrico
Regi omnia æqua postulanti (cui plurimum te
debere profiteris) & Cæsari Christianæ pacis
studio gratissimum, ideoq; à virtute tua ex-
pectatum munus exolueris. Ego verò mi Mœ-
cenas ita rerū fidei semper innixus, tuis meisq;
votis satisfecisse videor, vt id totum à te iam-
pridem efflagitatum quod perscripsi, non aliū
de quàm ab historiæ veritate laudem quærat,
cuius nos spectatos testes fuisse profiteamur, tã

quam Alfonso (vti planè scis) familiaritate maximè coniuncti. Eloquentiæ autem accuratius elaboratæ splendida ornamenta Alfonso virtute dignissima aliqui fortasse requirent, occupati legendis Romanæ facundiæ floribus. Nos autem hæc mediocriter assecuti; satis superq; habebimus, si cuncta suo narrata ordine iustis amplissimi viri laudibus respondeant, & tibi vni officiosè & alacriter editus, atq; dicatus hic ingenuus labor omnino placuerit. Vale.

Ex Musæo nostro ad Larium

Nonis Maijs.

M. D. L.

PAULI IOVII IUNIORIS.

LVX erat, & cælo spargebat clara sereno
 Nimbis fugatis lumina
 Phœbus, & innocuo spirabant flamine uenti
 Nullo frementes æquore,
 Quæ sic ASVONIA exorsa est sua fata recēsens,
 Mirentur illa ut posteri.
 Heroes uos ò indigenæ, mea pignora, quorum
 Iussis libenter pareo,
 Audite, & placidæ, precor, hæc admittite menti
 Quæ læta uobis profero.
 Nondum spes Italas penitus delere benigna
 Parant Deorum numina,
 Quum nostris largo donarint munere terris
 Ferrariensem Principem,

Quo nec Sol, curru qua circuit æthera, rebus,
 Præstantiorem bellicis,
 Nec mitis Fortuna cadens, aut aspera regno
 Prudentiorem uiderit.
 Non equidem, non me miseram, uictamue fatebar
 Vno hoc mihi superstite,
 Huius enim fecere manus, ne funditus omnis
 Nostra interiret gloria.
 Imo ego ni in memè bellum, & malesana furorem
 Exercuissem ciuicum,
 Vidissem iussis iterum parere Latinis
 Orbis Britannos ultimos
 Illius auspicio, Scythiæque interrita monstrum
 Formidolosum spernerem.
 Quare perpetuo ALFONSVM mea pignora cætu
 Ad astra mecum tollite.
 Vultis ne? an quoq; uos fraterni incessit honoris
 Liuor silentes tam diu?
 Hæc ait, & nato spolijs sublime trophæum
 Seruata mater erigens
 Historiam parat, & titulos, & marmora, & æra,
 Diuumq; templis dedicat,
 Scilicet ut gelidis ardorem mentibus addens
 Prisca Italorum robora
 Excitet ad laudem ueræ uirtutis, ut inde
 Lucunda tollant præmia.

VITA ALFONSI ATESTINI

FERRARIAE DVCIS

A PAULO IOVIO

conscripta.



TESTINORVM Ferrariae Principum familiam ab Ateste antiquissimo Venetiae oppido nomen accepisse constat; ideoq; omnium quae in Italia certum & diuturnum principatum tenuerint, uetustissima existimatur. Ex progenie siquidem Troiani Antenoris qui Patauium atq; Ateste condiderit, fuisse proditur; quanquam alij ex Germania, & nonnulli etiam e Gallia oriundam malint. Nobis certè liquet cum uetustate, tum Fortuna nunquam interruptae successione, ceteras omnes in Italia superare. Nam passim illustrium familiarum decus aut interiisse, aut amisso Principatu defecisse uidemus. Montisferrati enim familia Imperatorij sanguinis à stirpe interijt, quae omnium nobilissima censebatur. Turriani bello pulsi, & Vicecomites demum Philippo mortuo Mediolani Principatum amiserunt. Scaligeros & Carrarienses obliuio deleuit. Aragoniorum Regnum Neapoli ad pronepotes non peruenit. Sfortiani paucis annis ad unum fato functi externis Regnum reliquerunt. Gonzaghae Mantuani à Passarino interfecto uix ducentos Imperij sui annos enumerant. Sanseuerini qui in Brutijs & Picentibus late dominantur, spe prolis propè destituti, nequaquam
 alius

altius quàm à Guiscardo Tancredo nobilitatem suam
 repetunt. Malatestarum soboles amisso Principatu à
 uirtute amplitudineq; maiorum degenerauit. Malespi-
 ne antiquitus clari, diuisa & ualde extenuata stirpe,
 infirmis opibus antiquum decus ægerrimè tuentur. Li-
 berarum uerò ciuitatum familie, in primisq; Romani
 sanguinis, nequaquam à principatu atque opibus, sed
 à maiorum suorum uirtute nobilitatis famam quærūt.
 Itaque uni omnium Atestini, qui Estenses imperitè uo-
 cantur (ut liquidò constat) perpetua atq; incorrupta
 stirpis serie, quod summæ felicitatis fuit, incolumen
 principatum, uerum mutato dignitatis titulo, ad hanc
 usq; ætatem protulerunt; quum Marchiones aliquan-
 diu, & demum Cesaris atque Pontificis autoritate
 Ferrariae Duces appellati sint. Ceterum hic Alfonso,
 cuius in Musæo nostro depicta spectatur effigies, quin-
 tus decimus Ferrariensium Principum, Ducum uerò
 tertius fuit. Sed quum in præalto stemmate multi hone-
 sta laude illustres regnarint, mihi longè clarissimi fuis-
 se existimantur duo ACTII, superior quidem incly-
 te Mathildis coniugio nobilitatus, quæ Henrico secun-
 do Cesare auunculo clara, & studio pietatis, & exi-
 mia liberalitate erga Romanos Pontifices æternam
 nominis famam promeruit; alter uerò Ferrarien-
 sium Principum primus rebus bellicis apprime ce-
 lebratus, qui Actiolinum à Romano execrabilem ty-
 rannum, hostemque Pontificij nominis perpetuum,
 cæso eius exercitu fugientem manu cepit; Et secun-
 dum eos (quanquam diuersa laude) multorum an-
 norum interuallo BORSIVS, qui ab illustri

ingenio præstantissimisq; moribus publico præconio Pacificatoris nomen tulit, & Patriæ decus appellatus est. quo titulo monetam auream Ferrariæ signatam uideamus. Fuit is uir humanitate natura sine furore & fallaciis, gravitate consilij, splendore hospitalis disciplinæ, & Regia liberalitate, cunctis suæ ætatis Principibus anteferendus. Lenitate uerò, atq; eleganti uitæ uicunditate, usq; adeo dulcis & popularis fuit, ut subnixus præcellenti studio, atque amore ciuium, ipse notus Hercule legitimo fratre dominatu excluso ablegatoq; Neapolim, Imperium usurparet: sed æquissimo animi decreto uixerit perpetuò cælebs, ne prolem legitimo iure Imperij emulam cum summa Herculis iniuria susciperet. Itaq; Hercule iam ætate adultum, dignamq; acerrimo Duce indolem præferentem, benignè atque rectissimè ad se acciuit, in nõ dubiam spem totius principatus, quæ urbe Mutina donaretur. Nec multo post obeunte Borsio Ferrariæ Princeps est appellatus. Fuit Hercules huius ALFONSI pater, domi & foris multa ui atque prudentia militari ualde inclutus; incumbentium enim Venetorum grauissima arma egregiè sustinuit; Gallicoq; bello quo Italia in summum amittendæ libertatis discrimen adducta est, Ludouicum Sfortiam generum suum, procurata pace cum Rege Carolo, liberauit. Fato suo concedens Hercules quinq; liberos ex Helionora uxore Ferdinandi Regis filia reliquit, quum parta pace Principatum magnis amicitijs ac affinitatibus muniuisset. Inita siquidem propinquitate cum Sfortiana domo, Galeacij filiam, eius qui à coniuratis in templo occisus fuit, Alfonso natu maxi-
mo

ximo in uxorem collocarat. Franciscum uero Gonzagam Mantuanum principem in generum ascuerat: & quum Sfortiana nurus post nuptias decessisset, Lucretiam Borgiam expetita propinquitate Alexandri Summi Pontificis, Alfonso in matrimonium dederat, magno quidem opulentæ dotis emolumento ad confirmandas res suas, quæ beneficiario iure Pontificiam Maiestatem respiciebant. Vnde & ei quoq; ad familiæ ornamentum purpurei galeri honos accessit, Hippolyto filio eadem Pontificis liberalitate collatus, Alfonsus Regnante patre Hercule, post adultæ pubertatis annos, quum armis potius quam literis oblectaretur, spectandi studio in ulteriorem Galliam est profectus, ueneratusq; Regem ab eo commendatione patris iam pridem in clientelam Gallie Regum recepti, torquæ aureum honoris causa promeruit, eius scilicet nobilissimi ordinis procerum, qui pro insigni Michaelis angeli cacodæmonem calcantis, aureum argumentum collo gestant. Hi inter se solenni ceremonia fidem confirmant, ac in omni Fortuna mutuo inuiolabiliq; studio sese aduersus iniuriam tuentur, Rexq; ipse, eius sacri collegij se principem proficetur. Petijt quoq; pari studio Belgarum urbes frequentissimis emporijs & nundinis, textiliūq; auleorum nobili opificio celebratas, atq; inde in Britaniam traiecit, ut perspectis earum gentium moribus, atque opibus, noua dignitate quam à Rege Gallo tulerat, & multa externarum rerum notitia auctus, in patriam rediret. Defuncto demum patre inter populi acclamationes imperij nomen atque insignia suscepit: initioq; statim principatus oborta in populum seu a fame

malignitate exusta segetis, singularis erga patriam pie-
 tatis specimen præbuit, aduectitio frumento per trib.
 atq; familias liberaliter diuiso, & egentibus infimæ
 plebis officiosa atq; admirabili charitate nõ semel inui-
 sis & subleuatis. Nam recrudescente in dies malo, quod
 toti ferè italiæ eo anno commune fuit, ægorum corpo-
 ra tabe lurida miserè deformata, cunctaq; passim cade-
 bant; Et quum publicæ hospitales domus ægros non ca-
 perent, pestilentia quæ uastaret urbem in proximo
 spectabatur. Quibus malis atq; periculis insigni cura
 benignitate & munificentia, ab Alfonso obuiam est i-
 tum, tanta ciuium gratia, ut Borsio huiusmodi benefi-
 cijs populariter commendato, æquaretur: eoq; studio-
 sius, quod dudum paterna uectigalia minuisset, arma-
 rijsq; paternæ Gazæ patefactis ornamentorum omnis
 generis pretiosam supellectilem amicis benignè diuisis-
 set. Caterùm quum in pace liberis operam daret, &
 per eas maximè uoluptates, quæ eruditi ingenij soler-
 tiam respicerent, ætatem traduceret, ab aliquibus re-
 missioris potius uitæ, quàm nobilioris exercitationis
 cupidus putabatur: quippe qui non semper ad retra-
 ctiozem mensam nobiles conuiuas, sed præstantes ua-
 riarum artium artifices iucunda comitate perurbanos
 quum animum remittere uellet, admitteret, sæpeq; ad
 conterendum otium in officinam se abderet, iucundissi-
 mo labori adeo intentus, & tornatiles tibias, & aluci-
 lusorij latrunculos, miræq; elegantie pixides, & figu-
 lini interdum operis uascula manu argutissima fabri-
 caret: quod studium postea magno usui decoriq; futurũ
 ad fabrilem confluendi æris industriam indefessus ex-
 tendit

tendit, successu operum usq; adeo felici, ut summæ authoritatis opifices superaret, & præcellenti temperatiora inusitatae magnitudinis tormenta eius ingenio funderentur. Nusquam enim conuictu uestitiue aut sermone erat affectatus, familiariq; uitæ libertate ita gaudebat, ut maiestatem in Principe accuratè composito inanè duceret, & solido atq; adaperto ingenij robore procul à mēdacio simulationumq; artificijs æqui boniq; principis personam in omni actione tuendam arbitraretur. Quibus moribus, quod in magnis rebus obeundis, quæ principatus curam requirerent minus efficax putaretur, aduersum se Ferdinandi germani fratris malignitatem excitauit, adeo ut ille scelestæ ambitione præceps, & turbidæ superbiæ uir concepta perfidia principatum ei nil tale merito uel suspicanti prorsus inuideret, conspiraretq; in eius necem cum Iulio fratre ex concubina genito. Hic superba procaciq; petulantia Hippolyti Cardinalis animum grauiter offenderat, acerbioremq; æquo eius offensionis pœnam ab irato fratre penè orbatus luminib. retulerat. Ab hac atroci iniuria incitatus assentando & cohortando Ferdinandū impellebat, ut ueneno aut ferro in principem grassaretur, cuius sceleris patrandi Albertinus Buschetus cū Gerardo Roberto genero conscius & concitator fuerat, quod homo ambitiosus atq; nefarius à Ferdinando (sulle imperio potiretur) cum æriarum summæ rerum præfecturam sibi obuenturam sperabat. Sed tantæ insanie facinus retardabat diuersus conspirantium sensus, quum Iulius unum maxime peteret Cardinalem, Ferdinandus autem nullo in eum incensus odio

tāquam sacrati uiri cædem obominatus, Alfonso suo commodo tollendum putaret, nec ambos simul assequi confidereq; facile liceret, uti raro conuenientes, & ciuium semper atque satellitum corona stipatos, nec usquam simul epulantes, quando hic tempestiuus cum hylari suo comitatu, ille uerò morosus protractis sacerdotali fastu in multam noctem conuiujs uteretur. Eo itaque moræ spatio, mira solertia Cardinalis cuncta diligenter explorantis, nihil tale timentem Alfonso, & per iocum se uinciri patientem à Iano Cantore coniuratorum socio, è media nece eripuit, patefactaq; coniuratione de Albertino & eius genero supplicium in fóro desumptum est. Iulius qui Mantuam perfugerat ex templo traditus est. Deditit & Ianum Cantorem Iulius Pontifex atrocitate sceleris permotus, ut post uarios cruciatus suæ immanitatis pœnas daret. Ferdinandus autem & Iulius non extremi supplicij, sed perpetui carceris pœnam indulgentia & lenitate Alfonsi pertulerunt. Ab eo periculo Alfonso uehemèter experrectus animum & cogitationes ad grauiora consilia conuertit. Nam paulò post, quum Genuenses populari tumultu exorto, pulsaq; nobilitate, & eiectis magistratibus à Gallis defecissent, & mox creato duce paulo Nouio infimæ classis opifice, intempestiue libertatis uexillum suslulissent, Ludouicus Rex in Italiam uenit, bellumq; magna uir Genuensibus illaturus Alfonso euocauit, ut bello interesset. Non defuit amicissimo regi iusta petenti Alfonso, armaq; induens ad nauandam operam eius castra profectus est, quanquam ea profectio Iulij Pontificis animum non obscure lesurus esse uide-

retur

retur, Mam Iulius natione Ligur, genti suæ in liberta-
 tem se uendicanti, naturæ instinctu fauere cogebatur,
 egeratque per idoneos homines suppeditata pecunia,
 ut Pisanorum militum manus diuturno assucta bello,
 cum aliquot maioribus tormentis Genuam mari per-
 ueniret. Sed Ludouicus in Pulciferam uallem perducto
 exercitu, Ligurum agmina quæ montium uertices ere-
 cta munitione defensura putabantur, per Helucios &
 Vascones non magno labore præcipites deiecit. Quo
 rei malè gestæ euentu percussa ciuitas, per legatos ho-
 nesti ordinis suppliciter ueniam & pacem à uicto-
 re impetrauit, quum Alfonso uel iratum Regem com-
 mendatione clementiæ magnopere mitigasset, sic ut
 Rex natura implacabilis & superbus in duo tantum
 capita animaduerneret. Paulus siquidem Nouius ex
 fuga retractus inauspicati honoris, & Demetrius Iusti-
 nianus per assiduas conciones plebis concitator, ni-
 mie atque præcipitis eloquentiæ, abscisis ceruicibus
 pœnas dederunt. Conspiratione demum totius Euro-
 pæ Regum in Venetos acre bellum exarsit, quum quis-
 que occupata iam pridem ab illis, tanquam sua re-
 peteret concitante Iulio Pontifice, qui Fauentiam, &
 Ariminum, Ceruiamq; item & Rauennam indignè at-
 que insolenter Pontificiæ ditioni ereptas non ferebat.
 Repetebat autem Alfonso eidem adscriptus foederi pe-
 ninsulam Rodiginam, quam Venetus eo bello quod
 cum Hercule patre gestum est, occuparat. Iulius ita-
 que Pontifex in Venetos arma moturus, Alfonso
 cum sua uirtute, tum opportunitate regionis geren-
 do bello maxime idoneum ratus, Pontificij exercitus

Vexilliferum creat, eiq; honoris insignia Ferrarianam mittit. Accersuntur ab Heluetijs lectissima cohortes, quæ secundo deuectæ Pado Feltrio Vrbinati iungerentur. Is in Apennino, ualleg; Anemonis Fauentini agri fines inuaserat, & Breseghellæ oppido Veneto nomine fauentes expulerat, Spinumq; item oppidum tormentis expugnarat. Eodem quoque tempore Carolus Ambosius Mediolano à Rege præfectus, cum ualida Gallorum manu trans Abduam Triuicum, Naldo Vitellioq; Veneti præsidij Ducib. captis occupauit. Nec multò post Ludouicus Rex è Gallia Mediolanum uenit ornatissimo equitatu, Heluetiaq; legione & Vasconum cohortibus instructus, traiectoq; ane Abdua ad Cassanum gemino ponte Ripaltam expugnauit, quum Liuianus prohibendi transitus occasionem amississet, occupato scilicet præda suo milite, qui fortiter Triuicum receperat, Himbaldo & Fontralia inelytis Gallorum Ducibus captis. Processere inde Galli & Veneti ad Pandinum uicum, dimicatumq; est pridie Idus Maias anno nono post millesimum & quingentesimū prælio Venetis maximè cruento, quum Petilianus Venetus Imperator aduersus feruidam uim Gallorum pugnae casum sedulo deuitaret, & collega Liuianus Dux eo die præproperus castra mouens, impedito obliquoq; itinere copias suas ingruenti Regi temere obiecisset. Peditatus enim Italicus, ut nullis inueteratus stipendijs subitarioq; delectu conscriptus, nec Heluetiæ phalangis, nec Gallici equitatus impetum diu tulit. Quo suso cæsoq; equites perturbati in fugam sede derunt; atque ita Ludouicus capto Liuiano memorabili

uictoria

victoria potitusest. Cessere ei cōtinuò præsidij destitu-
 ti Cremonēses, Bergomates, Brixiani. Nec multò post
 Cæsar Venetis inusitata clade obrutis, facileq; animos
 despondentib. Veronam, Vicentiam & Patauium in si-
 dem recepit. Ad eam autem cruenti prælij famam ex-
 citus Alfonsus, suæ occasione non defuit, quin infesta
 manu in peninsulam Rodiginam trāsgrederetur; eaq;
 oppida quæ paternæ erant ditionis egregia incolarū
 uoluntate reciperet, & in his Ateste maiorum suorum
 natale solum, Montagnanam, & Montemilicem. Pon-
 tificij quoque Duces, quos Alfonsus commeatu maiori-
 busq; tormentis, & multo sulphureo puluere studiosè
 & liberaliter adiuuarat, Ariminum, Fauentiam & Cer-
 uiam, moxq; Rauennam recipere; Fato quodam Vene-
 torum consilijs, atq; opibus in præceps datis; Nam &
 Apuliæ urbes pignori Venetis datæ ab Aragonijs Re-
 gibus in ditionem Ferdinandi Hispaniæ Regis conces-
 serunt. Erubuit demum Fortuna, quum iniquæ effrena
 tæq; suæ libidinis pœniteret, quòd perlustre atq; uniciū
 Italici nominis decus externis gētib. prodidisset, atq; ita
 blando ore sese conuertit, ut quæ unius horæ momēto
 Venetis erepta fuerat, aliquāto post bona fide redditus
 ra uideretur, initio à Patauinis orto, qui exiguo Cæsa-
 ris præsidio muniti, insigni astu Andreae Gritti occu-
 pata urbe, cæsisq; Germanis ad antiquā fidē redierant.
 Paucos uerò post dies Maximilianus Cæsar tanto per-
 motus incōmodo cum Germanarū legionib. ad oppu-
 gnandū Patauū descendit. Assuere ei cōtinuò auxilia
 Gallorū Palicia duce, atq; etiam Hispanorū cohortes,

Petro Geuarra praefecto, pariq; officio Alfonsus Hippolytum fratrem Cardinalem cum suis copijs, ac ingentium tormentorum apparatu ad castra Caesaris misit. Multis nanque de causis turbulento eo tempore Alfonsus Ferraria sibi exeundam non putabat, & Hippolytus suopte ingenio, uel in ipsa purpura armorum studijs in Pannonia ab incunte etate insuefactus probare operam suam praesenti Caesari cupiebat. Coepta est oppugnatio longè omnium acerrima, sed Petilianus indefessi constantissimiq; Imperatoris uirtute, & Gritti, Morique legatorum diligentia eum habuit euentum, ut Caesar uel ad magnum spatium prostratis moenibus irritò conatu abscederet, protinusque in Germaniam reuerteretur, quum urbs egregie defensa, pulsusq; semel cum multa strage Hispanis qui audacius subierant, non nisi maxime cruento & dubio ausu inuadenda uideretur. Eo autem bello Caesar officia Alfonsi generose remuneratus est: nam illi per bullatos codicillos ea oppida, quae erepta maioribus fuerant, ipseq; nuper receperat, Augustali auctoritate possidenda concessit. Redeunte in Germaniam Cesare, Veneti usque adeo uiribus atq; animis confirmati sunt, ut copijs Patauio eductis, & Vicentia nullo negotio recepta, in Veronensem agrum se effunderent, recepturi haud dubie eam urbem, nisi firmissimo Gallorum & Germanorum praesidio in fide Caesaris contineretur, eodemque tempore ornatissima classe aduerso Pado producta, Alfonso terra & flumine graue bellum inferrent: ut oportunitate iniuriae & antiqua oppida repetentem ulciscerentur. Imperabat classi, in
 qua

qua erant supra uiginti rostratae triremes, & minorum nauigiorum magna multitudo, Angelus Triuisanus. Is quum ad Pulisellam ascendisset, propugnaculum in hostili ripa utrinque erexit, & transuersa classe annem ueluti perpetuo ponte iunxit, ut omnes copias in suburbanum agrum emitteret, magno Ferrariensium metu periculoq;. Nam aliquot Illyriorum cohortes sub signis è classe descenderant, infestaque populatione amoenissimarum uillarum tecta incendentes ferro & flammis Barbarorum more grassabantur. At Alfonso qui antea de apparatu classis, consilioque hostium per exploratores certior factus, à Pontifice & à Gallis, Casarianisq; maturam opem aduersus communes hostes implorarat, Ferraria copias eduxit: nam auctus erat Vasconum cohortibus aduentu Melioi Alegriae filij, & Ramazottus in Bononiensi agro è montanis factiosis bellicosissq; clientibus ualida manu adduxerat, quibus accedebant urbanae cohortes, uetusque omnis equitatus, cui nobilitas propè omnis equis & armis instructa sese miscuerat. Itaque positis in conspectu hostium castris, descensiones atque irruptiones Illyriorum strenuè sunt repressae, eaque munitio oppugnari coepta. Exinde editum est acre certamen, quum Veneti ab altiore propugnaculi agere, crebris sagittis & glandibus, maioribusque tormentis rem gererent. Sed ea dimicatio repente suscepta, eum habuit exitum, ut multis illatis acceptisq; uulneribus & Ramazotto sagitta uulnerato, Vasconibusque repulsis, Illyrij crumpere auderent, & egrè intra munitiones propellerentur. Eo die Hercules Can

telmus nobilissimi sanguinis adolescens effreni equo in
 in medios abreptus hostes, insigni Dalmatarum scui-
 tia cecidit, quum iam deditum contra morem militiae
 barbara crudelitate trucidassent. Ludovico item Mi-
 randulae, qui cum insigni ala equitum in conspectum
 classis se dederat, pila falcone emissa galeatum caput
 abripuit sic ut truncus armati corporis aliquandiu per
 sultante equo iactaretur. Nec multò post Hippolytus
 Cardinalis qui omnis laboris atque periculi comes Al-
 fonso fratri operam nauabat, inusitatum facinus ad pa-
 randam de hoste uictoriam felici ingenio excogitauit;
 perpetuum itaque Padi aggerem locis idoneis ad libra-
 mentum pro fluentis aquae ea ratione terebrauit, ut se-
 nestellas perforato toto aggere passim aperiret, per
 quas maiora tormenta sedulo collocata in aduersa clas-
 sem inuitabili cum clade hostium disploderentur. Ar-
 risit dolo Fortuna, punctoq; temporis nihil tale timen-
 te Veneto tanta uis ingentium pilarum contorta est, ut
 maiora minoraq; nauigia cum innumerabili nauatarum
 & militum multitudine mergerentur, Padus cruentas
 undas traheret, Venetiq; miserrimo casu circumuenti
 oppressiq; in fugam uerterentur; & Triuisanus præ-
 fectus classis agrè sese explicaret, uixq; integra præ-
 toria secundo amne elaberetur. Tum uerò Cardina-
 lis inchoate uictoriae præclarus author, milites est
 cohortatus, ut munitionem à trepidis defensoribus pla-
 nè desertam conscenderent, & quassate classis spo-
 lijs potirentur. Hi nullam sibi moram attulerunt, quin
 certatim in propugnaculum euolarent, transgressiq;
 in classem, magnam Illyriorum multitudinem truci-
 darent

darent, ut incendiorum detrimenta, & Cantelmi indignam eadem ulciscerentur. Captæ sunt triremes quindecim, birenum uerò, minorumq; nauigiorum magnus numerus; & ingens multitudo omnis generis tormentorum, cum toto nauali apparatu in potestatem Atestinorum deuenit. Relata sunt uexilla supra quadraginta, quæ cum rostris trirremium & antennis, in templo maximo suspensa sunt; ut eius uictoriæ decus atq; triumphum posteris testarentur. Triremes autem captivæ aduerso Pado per alterum diuisi annis corum Ferrariam perductæ sunt, & in naualibus collocatæ. Sed eas demum aliquot post annos confecta pace Alfonso Senatui Veneto expetenti generosa liberalitate restituit. Ea re feliciter patrata, & Padano bello planè confecto, Alfonso incredibilem cepit uoluptatem, nec ulla ex parte communem ciuitatis lætitiã magis minuit, quàm Melioi uiri fortissimi improuisa cades. Is enim peracri concitatoq; ingenio, quum fortè ex leui præda exorta esset rixa, atq; inde accensis animis cruenta seditio inter Vascones, & Ramazotti cohortes, in socios ferocius sub alto uexillo deferretur à montanis agresibus qui uim illatam obstinatè repellant, obtruncatus est. Eum Alfonso honore eximij funeris dignū existinauit, cum propter eius bello spectatam eximiam fortitudinem, tum propter Alegriæ patris nobilitatem, cum illustri rerum gestarum fama coniunctam, quando nemo inter Gallos duces ab longo usu militiæ, belli peritior, & clarior haberetur. Ea clades in Pado accepta, Venetorum animos tanto dudum nauali apparatu elatos, ut inexpectata magnopere

perculit. Nam ab Istirico litore, Liburniâque triremiâ
 classem reuocare, terrestresq; copias infestis Gallorû
 Germanorûque & Ferrariensium armis opponere
 cogebantur. Alternabat autem res Venetas modò pro-
 speris modò aduersis successibus Fortuna nondum pla-
 nè proclinata in Venetos. Nam ad insulam Scaligeram
 agri Veronensis uicum, Veneti per Epirotas, Gracosq;
 equites, Lucio Maluetio Duce, nocturna expeditione
 Franciscum Gonzagam Mantuanum Principem ui-
 uum ceperant, oppressa cum eo Gallorum ala Boni-
 uetto praefecto. Sacramorus quoq; Vicecomes & Ca-
 rolus Baleonus, ad sancti Martini uicum cum multis
 Caesarianis equitibus, eadem ui & diligentia leuis ar-
 matura equitum capti, & Venetijs in carcerem con-
 iecti fuerant: sic ut crebris per eam hyemem incommo-
 dis hosti illatis, naualis cladis detrimentum bona ex
 parte sarciri uiderentur. Sed ingens Venetos angebat
 cura persoluedi stipendij, quòd Gallus Rex iam ex uo-
 to suo legeque foederis, Crema, Bergamo, Brixia, Cre-
 monaq; potitus, pro Caesare aduersus ipsos, nihil de a-
 cerbissimo odio, belloq; remittebat: sollicitabatq; itidè
 oblata pecunia Pannoniae Regem, ut Liburniae, Dal-
 maticaeq; arma inferret, scilicet ut urbes quae olim Hun-
 garici imperij fuissent, distracto undique diuersis bel-
 lis Veneto, opportunè adimerentur. Verùm Senatus su-
 pra hos auidè ac atrociter incumbentes hostes, longè-
 grauissimè aerarij inopia terrebatur. Exhausto enim
 publicè Marciano thesauro, ad priuatas opes graue
 onus cogendae pecuniae recidebat. Nam his uiginti fe-
 rè mensibus ex quo arma cepissent, supra ducentas mi-
 riades

riades praefecti arario recitatis sumptuum rationibus expenderant. Itaque Leonardus Lauredanus Princeps exactae prudentiae uir, salubri consilio opportunè suscepto ad Senatum retulit, an placandus esset Pontifex, petendaq; obiter ab eo pax foret, ut ab eodem auctore praecipuo calamitatum, et uenia et salus et amicitiae foedus impetraretur. Quod non aliter coniuratorum Principum globus disijci, apteq; infringi posset, postquam Pontifex sacrosanctae personae in publico negotio nunquam oblitus, post receptas urbes ueluti exatiata odij ac iracundiae suae libidine, iam planè uti peritus rerum prouideret, quoniam Gallica et Germanica arma tenderent. Quid enim aliud externos reges petere quàm ut seruiturae Italiae imperium, impotentibus animis conceptum arripiant? eo nempe rerum exitu, ut Pontifex quum Venetis nocere uoluerit, conuulsa inauspicato et diro motu Italici nominis existimatione, terram patriam, terrarum orbis quondam dominam, externis barbarisq; gentibus incolendam, cum inexpiabili odio, et publicae omnium execratione tradidisse censeatur. Hac sententia miro assensu à Senatu comprobata, Per Hieronymum Donatum summae eruditionis atque prudentiae patritium, Pontifex tam pio quàm generoso animo supplicibus ueniam dedit, in gratiamq; recepit, eo tenore foederis, ut sex legati splendidissimi ordinis Romae in uestibulo templi maximi supplices expiarentur, iuribus amissarum urbium renuntiarent, marisq; imperij titulo in posterum absternerent. Veneti enim quum maxime classibus ualere, praedonibusque littora repurgarent, se maris domi-

nos superbo atque inuidioso nomine appellarant. ea quidem consuetudine, ut nauigia quæ toto mari occurrerent, Venetis triremibus honoris causa, cum denuntiatione hostilis incursus uela submittere cogentur. Longius fortasse à proposito ordine uitæ Alfonsi dum in ita pacis inter Iulium & Venetos causæ referretur, abductus uideri possem, nisi ea pax inexpectata, ideoq; coniuratis Principibus Molesta & grauis ingentis mali, & diuturnæ uolentiae procellam in Alfonso excitasset, qua pars Italiae urbibus ac ædificijs florentior quassata penitus & obruta penè corruerit. Eo enim facto Iulius aduersus Cameracensis fœderis leges esse uidebatur. Sed conquerente exposulanteq; Ludouico Gallorū rege, ut iure societatis bello Veneto usq; ad exitū cōmunibus studijs ac uirib. incumberetur, præcedebat abundè satisfactum fœderatis, quādo Ludouicus suas urbes non solummodo recepisset: sed tum etiam Veronam alieni imperij Gallico præsidio tueretur. Hispaniæ autem Rex, Apulis, Salentinisq; portibus esset potitus, sicut ipse Togatam Galliam Pontificiæ ditioni restituisset, Cesari quoq; ab initio belli parta esse omnia quæ concupisset, nec referre ad fœderis fidem seruandam, si Patauium sine suorum sanguine in potestatem reductum, & demum incuria præsidij amissum, renouato bello repetendum uideatur. Aeterna enim esse non debere fœderum uincula, quando ijs qui communi uictoria uti nescierint, aut ignauis, aut malè sortis erratum, omneque acceptum detrimentum, proprio sumptu, proprioq; periculo & labore sarcientiū uideatur. Propterea sui esse muneris sacrosanctiq; officinēctos ad amplectendam pacem cohortari, & Veneq;

tos qui pacem suppliciter petissent, & occupatas red-
 didissent urbes, tanquam ritè expiatos & receptos in
 fidem, incolumes præstare. Cæterum Gallos immodicè
 nimisq; licenter facere, qui tot illatis cladibus, & tot ur-
 bibus receptis, nondum contenti essent, & deformata
 rapinis ac incendijs tota Venetia, etiam ipsam Vene-
 torum urbem, unicum propè totius terrarum orbis mi-
 raculum, Italiæq; præsertim ornamentum, quam natu-
 ra circumfuso mari ab omni barbarica rabie defen-
 dat, incèdere atq; delere immani feritate percuperent
 Verum Galli nibilo secius contempta scilicet atq; irri-
 sa maiestate Pontificis, multo acrius, quàm antea aduer-
 sus Venetos bellum gerebant. Nam Carolus Ambosius
 Mediolano præfectus, & dux exercitus, ad oppidum
 Allieniacum quod est cum ponte Athesi impositum,
 profectus; ut maiorem vim adhiberet, Alfonso iure
 foederis euocauit; postulans ut eò maiora tormenta ab
 urbe Ferraria conueheret. Nec Alfonso quin uti debe-
 bat Ambosio pareret, suisq; instructus copijs proficisce-
 retur, ullam sibi moram attulit. Eius itaq; aduentu pro-
 ductis tormentis, tanta ui oppidum est quassatum, ut
 Carolus Marinus, & Paulus Contarenus, qui erant in
 præsidio ex terrore animos despondentes, deserta exte-
 riore muri corona, in arcem confugerent, quod duob.
 præsertim inusitatae magnitudinis & uiolentiæ tormen-
 tis, neq; murus crassitudine denū pedum, neq; ulla om-
 nino munitio ex gleba & cespice extructa, magnisq;
 & transuersis confibulata trabibus diu resisterent, cū
 transuerberata disiectaq; paucis ictibus sternerentur.
 Horum tormentorum alterum ipse Alfonso egregius

machinator, & artifex sua manu fabrefactum, propter ineuitabilem impetum, magnum & terrificum Cacodæmonem inſcriptis metallo literis appellarat, quum alterum à terribili ſtrepitu & reboatu Terremotum uocaffet. Itaque deditibus ſeſe patritijs Venetis, quos diximus, oppidum cum arce captum eſt, & cū multorum cæde direptum. Simili quoque Fortuna Galli, ſed cruentiore utrinq; ſucceſſu Montifiſilicis oppidū expugnarunt, interfecto cum præſectis militum præſidio. Aliq; demum propinqua oppida quæ ditionis Ateſtinorum fuerant, in poteſtatem redacta ſunt, ſic ut Alſonſus, quæ antiquæ ſuæ ditionis eſſent, ab initio recepta, mōxque abeunte Cæſare ad uetus Venetorum imperium rediſſent, Gallorum beneficio reciperet. Hac Alſonſi profectione, atque his Veneto illatis detrimentis Iulius Pontifex magnoperè commotus eſt, quòd eum tanquam ſuum beneficiarium, & Vexilliferatus honore obſtrictum à Gallis diſcedere, nec uſquā Venetis arma inferre uolebat, cūm eius controuerſiæ quæ Rodiginæ peninſulæ poſſeſſionem reſpiceret, ſe arbitrum fore profiteretur, ſperaretq; Venetos magno Alſonſi commodo ab æquitate honeſtæ conditionis nō eſſe diſceſſuros. Verūm Alſonſus tametiſi planè intelligebat Iulium Pontificem uirum ad iracundiam prouum & tum conſilia ingentis audaciæ & periculofii euentus aduerſus Gallos coquentem, minimè irritandum eſſe, tamen ſuæ fidei atque exiſtimationis & iuſtæ ſecuritatſ eſſe iudicabat, non diſcedere à publico fœdere atque amicitia Gallorum, in quorum clientelam iampridem, & ipſe, & Hercules pater eſſent recepti.

Graue quoque, & cum insigni iniuria ualde incommo-
 dum alienumq; prorsus à consilijs ab initio belli rectè
 susceptis existimabat, ex noua libidine Pontificis inter-
 pellari uictorian, eamq; intercipi, quum ipse iam esset
 in limine, & in secundo quidem cursu recuperandæ
 peninsula, propter quam impotenter à Venetis occu-
 patam communi omnium Principum fœderi esset ad-
 scriptus, idque eò indignantius ferendum uidebatur,
 quòd reliqui omnes fœderati ipso uno excluso, amissa
 olim, & tum ex lege ièti fœderis repetita, cumulatè re-
 cepissent. Offendi quotq; insigni præiudicio damnoq;
 Casarem uidebat, de quo esset benemeritus, & ingra-
 tè sugillari eius maiestatem, à qua maiores Atestini
 Mutinæ urbis munus beneficiarij iuris nomine retulif-
 sent. Tum enim Galli Casarianis coniuncti copijs pro
 Casare bellum gerebant, quanquam Iulius uehemētis-
 simis noui consilij artibus Casarem ab amicitia Gallo-
 rum diuellere conaretur. Illum siquidem dicebat nihil
 plus continuato in Venetos bello quærere, quàm ut
 Gallos ueteres suos hostes, amulosq; Imperij tanquam
 iniquissima ratione è Gallia in Germaniam translati,
 & propterea Germanici nominis inimicos, Venetæ di-
 tionis, ac eodem mox cursu Neapolitani Regni, & to-
 tius denique Italiæ dominos efficeret. Iam enim eos Ve-
 rona potiri, quam ita defendant, ut sibi oppignoratam
 iactent, donec de stipendijs caueat Casar, qui pecuniæ
 egens, tædio diuturni belli, cuius exitum commodo suo
 sperare non posset, eam urbem alieni utiq; Imperij fa-
 ctam, & prorsus uenalem occupatoribus esset addictu-
 rus. Hæc descendebant in pectus Casaris nunquam op-

portunè in negotio satagentis, sed nihil commoueri uel
 debatur, quominus inueterè sententia foedereq; persi-
 steret, nec ab alienato à Gallis animo pacis conditio-
 nes auribus admitteret, quas ei Pontifex pro Venetis
 non omnino iniquas offerebat, postquam Casare amif-
 so iam pridem desperatoq; Patauio, deserta Vicentia,
 itemq; Verona iam dubiæ potestatis alieno præsidio
 defensa, quicquid inde ei obueniret disceptatore Ponti-
 fice in lucro foret, quum inde tot sumptibus quibus es-
 set eneruatus, finem impositurus esse crederetur. At
 Ludouicus ut Casarem natura suspiciosum, incertisq;
 rumoribus sæpe credentem, ac multo sibi ære alieno
 obstrictum in amicitia contineret, omni studio operã
 dabat, ne usquam Casarianis deesset, auctisq; semper
 auxilijs quam acerbissimè Veneto noceretur. Hac Gal-
 lorum perseuerantia Alfonsus abundè confirmatus, &
 sua naualia uictoria multisque secundis in peninsula
 successibus adductus, magis ac magis accendebatur, ut
 constantiæ suæ erga Gallos opinionem fideli & dilige-
 ti obsequio tueretur. Quid enim stultius uideri pote-
 rat, quàm discedere ab eorum amicitia, qui armis, au-
 thoritate, atque opibus hostes anteirent? Quid ine-
 ptius quàm res suas incolumes & integras cum attri-
 tis & toties profligatis Venetorum rebus commisce-
 re? à quibus demum expectandæ forent honestæ pacis
 conditiones, Pontifice uade atq; arbitro, qui suo pte
 feruido ingenio mobilis, & senio morboq; confectus,
 ea quæ ex præsentis usu facile promitteret, præstare nõ
 posset, quando arma se moturum aduersus potètiore
 & inuictos inconsultè minaretur, & eos quidem qui
 diuini

diuini iuris arma & Pontificias imprecationes subni-
 xi ueris armorum præsidijs essent contempturi. His de
 causis Alfonsus Cameracensis foederis lege, & antiqua
 necessitudine qua sibi cum Galliae regibus intercede-
 ret, & erepta quondam, nec adhuc uti sperasset rece-
 pta peninsula iniuria, apud Pontificem se excusat, pro-
 fiteturq; Pontificij nominis maiestatem in honore ha-
 biturum semper, & quod fas esse duceret, ab authori-
 tate Ludouici Regis eo bello minimè discessurum. Er-
 go Iulius ira percitus, excutiamus, inquit, ei inuetera-
 te factionis morbum, ut uel inuitus tanquam insanus
 iustis remedijs sanetur. Primum omnium Alfonsum pa-
 lam hostem iudicat, grauissimeq; atque acerbissime
 in Senatu de eo prolocutus, sacra etiam arma expedit,
 quibus eum diris deuouet, & sacris interdicit, quòd
 Venetos sibi Pontificioq; imperio solenni foedere con-
 sociatos armis persequeretur: quòd Plebem, & Cen-
 tum oppida Bononiensi antistiti, in cuius ditione anti-
 quius fuissent, non restitueret: quòd contra leges
 inter Pontifices & Atestinos principes ex concessio-
 ne beneficiarij iuris ritè latis & constitutas, salis legè-
 di facultatem usurparet ad Comaclum, quòd est oppi-
 dum inter Padusas salinis opportunum, magno quidè
 Pontificij uectigalis detrimento: quòd deniq; Ferrariè
 sem populum liberali Pontificum munere Atestinis in
 fidè traditū, excogitatis nouis portorijs, & iniquè au-
 ctis uectigalibus, equo acerbis oneraret. Quibus re-
 bus Pōtificia maiestas & equitatis, & pietatis studio acer-
 bè oppressos subleuare solita magnopere lederetur.
 Hec erat in prætextu, sed præcipuū odiū in Gallos emi

cabat, quorum consilia nudari cuperet, ut nouo bello
 non iniqui iuris & iustæ causæ nomen in eos ab impo-
 tentibus armis formidabiles quæreretur. Nemini enim
 dubium erat si Galli Alfonso Pontificis subditū tue-
 ri uellent, quin à Pontifice in eos continuo arma uerte-
 rentur, sicuti mox euenit. Igitur Alfonso obiecta tan-
 quam inania resellere, lenireq; Pontificem frustra co-
 natus, constanti consilio arma parat, militum auget nu-
 merum, opportuna loca nouis præsijs confirmat,
 Gallorum præfectos quid cauendum, parandumq; sit
 confestim edocet, eorumq; fidem implorat, & ab his
 præsidij nomine cohortes aliquot, & delectam equitã
 alam accersit. Obstructas siquidẽ obtestationibus præ-
 cibusq; suis Iulij aures inuenerat, quum animus eius fe-
 rox, & paratus ad arma nulla Regij legati amicorũq;
 senatorum intercessione placaretur. Ecquid enim ini-
 quum & nefarium esset Venetos infestis armis prose-
 qui, à quibus sibi debita promissaq; ex scedere, tanquã
 patri Herculi impotenter adempta tota peninsula re-
 gio occuparetur, & de his acerbissimis hostibus uindi-
 ctam peteret, à quibus & tum & aliàs barbarico mo-
 re cuncta euasantibus etiam propinqua Ferrariæ mœ-
 nibus ædificia ferro & incendijs absumpta fuissent?
 Aequissimo autem iure oppida Centum & Plebem
 quis dubitet non retineri? quæ sibi dotali iure Alexan-
 der Põtifex attribuisset, pro quibus antistiti Bononien-
 si peramples possessiones peculiari coemptæ pecunia
 ad campos Nacros usitato more permutationis essent
 adiudicatæ. De Comacensibus autem salinis quibus nõ
 planè esset interdictum, disertè & cumulatè ita satisfacere
 faciebat,

faciebat, ut se staturum iudicio collegij *Questorū* Pon-
 tificij *erarij* polliceretur. Nec multò post *Iulius* coa-
 ctis undiq; copijs *Franciscum Rouereum* fratris filium
 (huic in *Feltriam* familiam adoptato *Vrbinatiū* Prin-
 cipatus obuenerat) bellū *Alfonso* inferre iubet, ipseq;
Roma profectus *Bononiam* contendit, ut præsens bel-
 lum administraret. Ante omnia *Venetos* ex *Patauni*
 agri finibus *Transpadanam* regionem infesta popula-
 tione percurrere, *Atestinorumq;* rebus maximè noce-
 re imperat. A mari quoq; in idem consilium duobus *Pa-*
di ostijs *Volane* atq; *Primario*, *Ioannes Morus* *Patri-*
tius cum aliquot armatis nauigijs, tribusq; triremibus
 ad *Argentam* usque subit, margines *Ferrariensis* agri
 passim descensione facta inuadit atq; peruastat. Sed *Ve-*
netis classiarijs *Alfonsus* disposito passim præsidio ita
 occurrebat, ut maturè pulsī cæsiq; maleficijs finem im-
 ponere, & ad *Clodiam* fossam cum detrimento reuer-
 ti cogerentur. Per eos quoq; dies pari rerum successu
Leonardus Alecius Salentinus, *Rhodiæ* militiæ eques,
 multis fortibus actis militiæ clarus, ob idque à *Veneto*
Senatu equestri leui armaturæ præpositus, quum in
 uillam cui *Belloaeri* nomen est, diuertisset, explorante
 cuncta *Alfonso*, & *Gallos* in eam occasionem patran-
 de rei perdocente, subita *Gallorum* equitum excursio
 ne improuisò oppressus, atq; interfectus est, dum con-
 stanter in uille aditu supremo uirtutis conatu frustra
 edito acerrimè repugnaret. Relatum *Venetias* eius ca-
 dauer insigni funere, & tēporaria equestri statua *Se-*
natus honestauit, quum ei *aneam* pro lignea quietiore
Republica decreuisset. Parte uerò alia *Iulius*, proditio

ne quorundam ciuium, cuius author Gerardus Ratt-
go ferebatur, Mutinam & mox Regium Alfonso ade-
mit, durissimæque hyemis contempta glacie, nihilque
inustitatis niuium frigoribus deterritus, ad oppidum
Mirandulam oppugnandum contendit, ut eiectū inde
Gallorum ope, atque iniuria Franciscum Picum, cum
sua, tum patrii Ioannis nobilium studiorum gloria in
signem reduceret. Erat insita uis ardens indomito inge-
nio Pontificis ad gerendum bellum, ut ea expeditione
Gallorum animi nudarentur. Apparcbat enim Gallos
Mirandulanis aduersus se opem laturos: nam Triuul-
tij filii, quæ uxor fuerat Ludouici Pici, paulo antè, ut
diximus, ad Polifellam tormento interfecti, oppido po-
tiebatur. Præerat autem præsidio Alexander Triuul-
tius uiduæ propinquus, & Galeoti infantis aui mater-
ni nomine tutor. Erat in proximo ad sextum lapi-
dem Concordiæ oppidum Mirandulanæ ditionis. Id
lius euocatis citra Padum Venetorum auxiliariis co-
pijs, quibus Vitellij Tiphernates Ioannes, atque Capi-
nius eximia spei iuuenes præerant, tormētis expugna-
ri iubet, ab eoq; rei prospero successu Mirandule mu-
ro tormenta admouet, magno quidem salutis suæ peri-
culo, quum ferreus globus maiore tormento turre e-
missus, in eius tabernaculum terrefactis familiaribus
incidisset. Id immane factum tanquam indignè sacro-
rum Principi ad horribilem necem illata uis foret, uel
si in incertum emissa pila crederetur, sua sponte conci-
tatam bilem Iulio ita commouit, ut in uindictam exar-
dens, prolato omni tormentorum apparatu, murus nō
corona modo & defensoribus nudaretur, sed hiatus
latos

latorum ad irrumpendum militi ostenderet; eò quidem
 maiore facultate, quòd tum altissima fossa, propter in-
 credibilem aeris rigorem, concreta glacie tanquam so-
 lido ponte inuadentes admissura uideretur. Id improui-
 sum incommodum Alexandro deditiois necessitatem
 expressit, atq; ita euocato ad colloquium M. Antonio
 Columna, in certam spem clementiae oppidum saluis ci-
 uibus dedit. Capta Mirandula Iulius animos aduer-
 sus Alonsum sustulit, partemq; copiarum in eius a-
 gros effudit: nam ab eo sollicitari Gallos audiebat, ut si-
 bi duabus urbibus exuito maturam opem ferrent. Nec
 multò post Carolus Ambosius, iustis Alonfi obtesta-
 tionibus permotus, coacto exercitu aduersus Pontificem
 Galli Regis clientium opes conuellentem Aemylia uia
 descendere constituit. Interea Iulium Bononiam reuer-
 sum, affectumq; senio, & rediuiuis ueteribus morbis
 obnoxium, ex castrensi labore, rigoreque coeli febris
 inuasit, eò planè seuior, quòd uir omnis iniuriae &
 morae impatiens incensus ad gerendum bellum, Gallo-
 rum copias aduentare cognouerat, Bononiensiumq;
 studijs non multum consideret, quae plebis imperitiae
 mobilitate, peruersaque libidine in Bentiuolos con-
 uersa dicebantur. Feltrius cum Pontificio exercitu
 Mutinae constiterat, apud quem praecleari duces erant
 M. Antonius Columna, & Paulus Baleonus. Sed
 Galli Gabellum anem, qui hodie Segia dicitur, su-
 perantes, recto itinere usque ad Mutinae portam si-
 gna protulerunt, pulsa graui impetu cataphracto-
 rum, atque protrita leuis armaturae hostium ala, quae
 speculatum obuiam egressa fuerat. Galli ad letum

profligati hostis euentum substitere, quo si fusorū ter-
 gis institissent, proculdubio totus Feltrij exercitus, uti
 ad eum terrorem tumultumq; incōdite porta eductus,
 nec planè instructus, profligari, atq; urbs recipi po-
 tuisset. Ceterum Ambosius eodem impetu terrorem ex
 propinquo Pontifici admouendum ratus, superato Pa-
 naro qui Scultena olim fuit, ad pontem Labini annis
 antiqua Triumvirali conspiratione clari, sese effudit,
 sic ut per Rheni pontem ad Bononiæ portas peruasur-
 rus crederetur, concitantibus presertim Bentiuolis e-
 xulibus, qui reduci in patriam hisdem quibus exacti
 essent armis postulabant, & duce Hermete ad portam
 excurrentes ualuis tragulam infixerant, alligato ei li-
 bello, quo populum ad ueterem libertatem uocabant.
 Sic enim factiosa plebs sub Tyrannis immodica licen-
 tiæ assuetæ, cruetam, & bonis ciuibus execrabilem ser-
 uitutem appellabat. At Iulius quanquam corporo æ-
 ger, inuidto tamen animo in id discrimen summæ pru-
 dentie consilium expedit, aduocat ad lectulum Princi-
 pum omnium legatos, de insolentia superbiæq; Gallo-
 rum prolixè conqueritur, salutemq; suam, & dignita-
 tem Pontificij nominis obtestatione uehementissima
 eis commendat, orans ut Ambosio nisi ab iniuria ar-
 misq; absistat, & retrò uertat agmen, bellum Regum
 suorum nomine denunciët, testenturq; eos uiolati Pon-
 tificis iniurias acerrimo indicto bello uindicaturos.
 Aequissimo enim iure à Pontifice oppugnari Alfon-
 sum, qui beneficiario nomine Romanis Pontificibus ob-
 noxius atq; subiectus, eorum imperia contemnat, oppi-
 da usurpet, nec à salinis magno Pontificij ararij detri-
 mento

mento abstineat. Proinde Ambosius etiam atq; etiam
 caueret, ne dum Pontificem temere oppugnatum uene-
 rit ut ab Alfonso bellum auertat, illud undique in Gal-
 los concitet. Eo enim esse animo Europæ Principes, ut
 sacrosanctum Pontificem ab impiorum iniurijs defen-
 dant: impios siquidem esse qui nefaria arma in sacrorū
 Principem ferant. In ea denunciatione belli aduer-
 sus Ambosiū maxime uehemens & infestus erat Chri-
 stophorus Eboracensis Cardinalis Britannus, Henri-
 ci Regis legatus. Huic disertissimi uiri aderant Alber-
 tus Pius Cæsaris, & Hieronymus Vichius Ferdinandi
 Hispaniæ Regis legati: hic Regij decoris & commodi
 sui spe excitus, ille uerò propter priuatas simultates
 Alfonso plurimum infensus. Mutinam enim paulo an-
 tē astuto salubriq; consilio Iulius, ne eam parum equo
 iure, aut impudenter occupasse uideretur, quòd Cæsa-
 rianæ liberalitatis titulum, quē iure consulti feudum uo-
 cant, certa atq; inueterata cōsuetudine præferret, Ger-
 mano homini, cui Vitefrusto nomen fuit, nomine Cæ-
 saris tuendam & possidendam attribuerat, ut declina-
 ta inuidia Cæsar ipse pecuniæ egens, & Augustalis sui
 iuris diues, noui atq; inexpectati lucri spe inductus,
 in belli causam, cum insigni Gallorum ac Alfonsi dolo-
 re, & incommodo traheretur. Ferdinandum quoq; Re-
 gem in sua commoda callidè semper erectum, Iulius à
 Gallo magna ex parte diuellerat, quum ab eo præsidij
 auxiliijq; nomine Fabritium Columnam magistrum e-
 quitum, cum trecentorum cataphractorum ala impe-
 trasset. Eo nanq; officij meritò Rex magnopere cupie-
 bat Neapolitano in Regno iure legitimæ possessionis

authoritate Pontificia confirmari, quod se facturum
 Pontifex auxiliorum & noui fœderis spe polliceri e-
 rat solitus. Dum Galli appropinquarent, & Pontifex
 graui anxius cura de Boniensium fide non obscure du-
 bitaret, opportunè missa à Venetis ornatissima leuis ar-
 maturæ equitum ala omnium animos confirmauit. E-
 rant ij Illyrici generis, cultu, armis, religioneq; Semi-
 turcæ, scutati equites, quos Padi transitu neque Galli
 neq; Alfonso prohibere potuerat, quum aduentus sui
 famam celeritate præuertissent. Itaq; prodeuntibus le-
 gatis magnaq; uociferatione Ambrosio noui belli me-
 tum incutientibus, Galli procures cum duce in conci-
 lium coeunt, retrocedendumq; censent, ne inexpiabili
 facinore rem maximè dubiam & periculosam temere
 ingressi, contra se uniuersos Europæ Reges concita-
 rent, quibus satis iusta belli causa uideretur, si sacrorum
 Principem protegendum specie religionis suscepissent.
 Mirumq; tum uideri potuit, quòd serox hostis qui ar-
 mis sustineri non poterat, paucis uerbis reiectus, com-
 mutata repente uoluntate à proposito itinere consi-
 lioq; recesserit. Exinde Ambrosius apud Galliæ Regem
 nequaquam bellicosi ducis famam tulit, ab amulisq;
 uehementer laceratus est, quòd luxui amatorijsq; uan-
 nitatibus, & theatralibus ludis Mediolani occupatus,
 neq; Mirandulanis implorantibus opem tulisset, neq;
 Alfonso, uti debebat, Mutinam recuperasset. Quo igno-
 minie dolore affectus, non multo post apud Corre-
 gium oppidum è uita decessit. At Iulius præsentis disce-
 dentium Gallorum metu liberatus, insensusq; Alfonso
 magis ac magis, à quo in perniciem suam sollicitatos
 atque

atque inuitatos Gallos planè intelligebat, magnam copiarum partem in Ferrariensium fines immisit. Præerat copijs Guido Vainus, & Meleager Foroliuensis, atque Verdegius Hispanus, qui ex sua gente cohortes Bononiæ conscripserat. Toti uerò belli summæ & consilijs præpositus erat Antonius Orpheus Calenule Aristes, ab Alidosio Cardinale Bononiæ Legato missus. Hic tum maximè Pontificis gratia pollebat. Itaq; duces, hostiles agros latè populati, ad fossam Zeniolanæ sparsis (quòd nulla certa manus hostium occurreret) prædabundisq; agminibus perueniunt. Eam fossam lato profundòque alueo, equiti pariter ac pediti insuperabilem multi annes efficiunt, qui ex Apennini uallibus delapsi, & campestribus locis stagnantes, corruatque demum incolarum industria, aut in Padum, aut in proximas Padusas euoluuntur. Pontificij uno latè fossæ munimento contenti, quòd aliunde nihil hostile timerent, non longè à Fossa inter rusticanas casas positis castris consedere ex Orphæi prolegati disciplina hylariter epulantes. Hic enim uir imperitus belli, sacerdotali ocio, ac intempestiuis uoluptatibus deditus, ita duces ad conuiuia, remittendùmque laborem inuitabat, ut illi non agrè obsequerentur, tantum eæ quæ tum inciderant Carneualium dierum ferie, non tantum secura in pace, sed dubio & suspecto etiam belli tempore celebranda foret. Mirus enim erat apud omnes ab inani iactantia hostiũ cõtèptus, sic ut obliti disciplinæ militaris, nec ullo munimèto castra uallarent, nec de more obirent uigilias, nec demũ quæ de impigro hoste suspicari possent, euètura crederent.

Hac tanta incuria uanitateq; epulantium hostium explorata, Alfonsus qui intento animo ut hostem inuaderet, ulciscetur iniurias, praedamq; repeteret, loci & temporis occasiones captabat, repente cogit educitq; milites, quibus Vasconum cohortes duas & aliquot turmas Gallorum equitum adiungit. Federicum Gonzagam Bozolum secretò quid fieri uelit edocet, eiq; imperat ut nauigia & lintres quæ in Santerno amne erant (is antiquius Vatrenus fuit) in fossam Zeniolam procul ab hostiũ castris traducat: quibus noctu magnoq; silentio conuectis, & contabulatis pons efficitur, cunctis impigrè & certatim in iungendo struendoq; eo operam singulari cum letitia Alfonsi nauantibus. Sed fabros in metiendo ponte fossæ latitudo eorum æstimatione maior ita deceperat, ut pontem uno nauigio breuiorem, mancumq; Alfonsus reperiret, aduersam nauique fossæ ripam explicata & extenta funibus nauigiorum series minime pertingebat, magno cum dolore Alfonsi architecto succensentis. Paratus enim ad tradendas copias, inuadendosq; hostes, parue rei momento interpellari atq; eripi sibi uictoriam querebatur. Verum uti erat ualido expeditoq; ingenio, procedens in extremum pontis caput, superiecta crassiore tabula hostilem ripam ita pertingi posse animaduertit, ut singulis non omnino difficilis, quanquam periculosus transitus præberetur. Nec mora exemptam è constrato ponte tabulam uix sexquipedem latiore coaptat, cunctisq; in eo periculo de eius salute sollicitis atq; pauentibus, protectus armis omnium primus equum in hostilem ripam adigit. Eum Bozolus subsequitur, inde Masinius

Furnius cum turma praetorianorum equitum, & mox alij contempto periculo successere, ea felicitate, ut deciderit nemo, & amplificato demum duobus adiectis asseribus ponticulo ad quatuor millia armatorum equitum & peditum in hostilem ripam transierint. Nec prius quam clara iam luce Pontificij duces ad capienda arma ingruentium hostium strepitu excitati sunt, quum eorum signa conspicerentur, & praemissi Furniani equites semisopitos uigiles perturbassent. Irrumpente itaq; quadrato equitum agmine Alfonsus castratrepidatione, fuga, & caedibus complet. Guido, & Meleager ad primum clamorem frenatis & conscensis equis satis impigre antecursoribus hostium occurrunt. Sed crescentibus Alfonsi subsidijs, effusisq; habenis irumpentibus pulsati, per median pauentium, & armacapientium suorum turbam in turpem fugam conijciuntur. Ipse Orpheus uix discusso somno in perniciousum a suis illatus periculum effugit. Reliqui omnes consternati metu, ut plerumq; inopinato deprehensis accidit, spem salutis praecipiti in fuga posuerunt. Restitere aliquandiu intrepide Hispani qui castrorum frontem obtinentes sese conglobarant. Sed postquam in eos densata peditum acies pedem intulit, & in sinistram eorum latus Alfonsus cum cataphractis inuectus est, territi improviso grauiq; noui hostis superuentu, non adhuc plane ordinati confertiq; ad primum equestre impetum dissipantur, & late trucidantur, cadente ante alios Verdegio duce, qui hortabundus ubi plurimum periculi erat, constantissime dimicabat. Eo strato amissisq; uexillis reliqui omnes terga uerterunt, fugientium

equitum uestigia cursu consequi frustra conati. Nam
 persequente equitatu cum expeditis peditibus, magna
 ex parte interfecti sunt, quum pauci caperentur. Siqui
 dem eo die circiter tria millia hominum interfecta
 referuntur, seuientibus maximè in stratos, & à milite
 uulneratos agrestibus, qui recentes iniurias direpti a-
 gri uindicare properabant. Castra autem apparatus
 militari & multo commeatu impedimentisq; præser-
 tim prolegati, & sarcinis ducum opulenta, Alfonsus
 uictor militi ad prædam concessit, retentis sibi ancis
 falconibus tribus, & uexillis insignioribus, ut maiore
 sua Ferrariensiumq; lætitia in urbem reuersurus pro-
 fligati hostis spolia præferret, & ea quæ à peruastante
 hoste detrimenta accepisset, se cumulatè atq; feliciter ul-
 tum fuisse testaretur. Per hunc modum cum sua uirtu-
 te, tum Gallorum præsidij egregiè se tueute Alfonso,
 rex Gallus & Pontifex exacerbatis inter se odijs, satis
 superq; animos denudarāt: Nam superiore Autumno
 Julius Gallos Alfonsum pertinacissimè defendentes u-
 no tempore à tribus partibus ad distrahendas eorum
 uires oppugnarat, quum per Venetos maioribus iam
 auctos uiribus, externorum copias totius Venetiæ a-
 gros acerbissimè populantes ad Leonicum uicum in-
 uadi iussisset, & parata classe apud Ostiam, cui præe-
 rat Grillus Contarenus circumductis à supero mari
 per Messanæ frictum Venetis triremibus, Ligures ad
 spem antiquæ libertatis sollicitarat, ut inuisam Gallo-
 rum gentem, & à recenti uictoria superbe dominan-
 tem, Genua pellere conaretur. Octavianum namq; Fre-
 gosium exulem cum uirtutis suæ tum antiquæ nobili-
 tatis

tatis nomine ciuibus charum, ideoque expetendum, cuius pater in ciuitate principatum tenuerat, recipi posse à factiosis ciuibus, si se offerret, sperabat. Ad huc enim reducendum M. Antonius Columna cum terrestribus copijs à Lunensium ora per asperas cautes, ut classis cursum adæquaret, fuerat præmissus. Per eos quoq; dies ex condicto Heluctij pecunia exciti concitatiq; in Gallos Comensem, & Mediolanensem agrum hostiliter inuaserat. Sed in his Iulij conatibus consilijsq; magno animo susceptis Fortuna à Gallis mirifice stetit. Nam primum omnium Gallorum Germanorumq; & Ferdinandi regis copiae, quæ in uarias diductæ manus Venetorum agrum rapinis ac incendijs impunè deformarant, in unum expediti agminis corpus ad speciem iusti exercitus coierat, frustra q; circumfusam & laceissentem hostium leuè armaturâ propellentes, densato ordine Veronam incolumes se receperant, ductus Andree à Capua Thermulani principis: qui ab eo fortis feliciq; receptu, rarò alijs concessam peritiæ militaris gloriâ tulerat, quum Gritus legatus, Luciusq; Maluetius uiri aliqui pugnaces, tuto potius quàm decore consilio, accensis peditum animis, & rē prælio decernere cupientibus obstitissent, ita ut Venetus quos in itinere adoriri debuerat, pudore amissæ occasionis abeuntes persecutus, non prius uestigijs abstiterit, quàm cōpulsis intra urbem Veronam hostibus, temere tormenta admouerit, inani spe existimans Veronenses pro se aduersus externæ gentis præsidium arma capturos. Sed ea res ab Rentio Cerite temere tentata cum habuit exitum, ut amissis Citulo Perusino, & lactantio Bergomate

longè fortissimis cohortium præfectis, Veneti signi re-
trouertere coacti sint. Pari quoq; successu Heluetios,
qui prædas agentes, nec abstinentes ab incendijs descē-
derant, Gasto Foisseius Ludouici regis sorore genitus,
uix tum pubescens, cum quatuor millibus equitum ob-
uiam profectus Comensi uia in patriam repressit. Ad
similem quoq; inanis hostium consilij euentum Preia-
nes Gallicæ classis præfectus, triremibus atq; onerarijs
Genuensi portu eductis, Grillo opportunè occurrit,
caq; exorta est ad eius conspectum in classe Veneta cō-
turbatio, ut nec tentato quidem certamine, eminus tan-
tum tormentis rem gerentibus, Venetæ triremes uelis
& remis retro cursum tenuerint, & M. Antonius qui
equites ad Recum usque septimo ab urbe lapide addu-
xerat, desperato classis præsidio, magnum à montanis
Liguribus in prædam uersis detrimentum acceperit.
His Pontificij belli conatibus per socios undique pro-
sperè admodum repulsis atq; elusis, Alfonsus tametsi
ancipitis suburbaniq; belli metu & sollicitudine leua-
tus erat, nihil tamen se ocio ab intenta belli cura remit-
tit, cunctas uoluptates repudiat, ac ingenti studio mu-
niendæ urbis consilium suscipit, murum profert, latif-
simè fossas adauget, terrenaq; ex gleba, & cespicie lata
atq; excelsa propugnacula instar arcium edificat, in
quibus statui & dirigi ingentis magnitudinis tormen-
ta possent, quorum ui eminus ab inuasionè mœnium
hostes deterreri facileque depelli posse uiderentur.
Sic enim existimabat, sublato magna ex parte pericu-
lo, & milites mercenarios in officio militarium mu-
nerum minore cum stipendio, & ciues fideli obsequio
per

per se deditos in uetere studio posse contineri. Quippe qui nihil quo amor in se & obseruantia apud ciues parari posset, multa humanitate & liberali comitate prae-
 termittere. ratus se satis tutū aduersus infesta arma pro-
 culdubio futurū si his praeclaris & populo gratissimis
 operibus inuidiā speratae pacis & diuturni belli publi-
 co incōmodo exorta mitigaret & extingueret. Ceterū
 Ludouicus hostiliū consiliorū foedo exitu, & Fortuna
 sua elatus, qua semper hostium suorū spiritus contudis-
 set, indicendi Concilij consilium quod diu concoxerat,
 inauspicato suscipit. Ex publica enim Iulij morum cen-
 sura, tanquam probrosi hominis auctoritatem infir-
 mare atq; conuellere nitcbatur. Id enim telum quum
 à Regibus suorū opum ac armorum ui subnixis, in Pō-
 tifices euibratur, maximè dirum atque mortiferum e-
 uadit, recentissimis Constantiensis, & Basiliensis con-
 ciliorum exemplis, quibus aliquot Pontifices notati i-
 gnominia, & dignitate pulsī, à summo rerum fastigio
 corruissent. Paulo enim antè aliquot Senatores Ludo-
 uici auctoritatem sequuti à Pontifice discesserant, im-
 petrantque à Florentinis ut concilium Pisis tanquam
 opportunissima in urbe indiceretur, ubi actiones suas
 citato ad id Iulio summa animorum acerbitate iam in-
 choarant. Sed quum sacerdotes qui coierant, uim us-
 que adeo inclementer incitati Pontificis metuentes,
 Gallicum praesidium deposcerent, ob idq; Lotrechius
 cum ala equitum aduenisset, Florentinos praecipitis ob-
 sequij sui extēplo poenituit, ne Pisani praesentium Gal-
 lorum fauore excitī, sicuti aliās Caroli octauī aduentu

ad repetendam libertatem arma corripent, atque ita Lotrechius non sine uitae periculo, & Cardinales populari tumultu urbe sic expulsi sunt, ut Mediolanum conuolarent, eaque in urbe amplissima institutas concilij actiones celebrare pergerent. Sed Alfonsus uel multis precibus à Gallis, ac obtestationibus fatigatus adduci non potuit, ut in concilium ad conturbationem diuinarum ac humanarum rerum excitatum, fratrem Hippolyti Cardinale impelleret. Suae enim Christianae aequitatis esse statuebat, propulsare quidem iniurias; sed nullas inferre Pontifici, inuidiosae praesertim cause periculis circumuicincto. Neque difficile fuit, fratrem, ne cause immisceretur dehortari, uirum quippe suae dignitatis & constantiae memorem, & in omni actione iudicio longè grauissimum, ille siquidem extra belli ac armorum contentionem, ubi religionis anceps discrimen emineret, Pontifici minime nocendum, ueterique sacramento obligatam fidem sincere praestandam arbitrabatur, ne galeri dignitatem beneficio Romani Pontificis partam ad familiae decus, intempestiuo uix dum inchoatae synodi prauiudicio euerteret. Sub id uerò tempus quo indicendi concilij causa inter dissidentes ex aduerso iureconsultos iactabatur, quod ab alio quam à Pontifice indici nefas foret, Ludouicus ad aperto peracri odio in Pontificem Triuultium cum imperio copularum Ambrosio defuncto successit, iussitque ut Mirandulam recuperare, uelisci iniurias, & Bononiam occupare, Bentiuolisque reddere maturaret. Sub eam autem Triuultij aduentantis famam Pontifex impar uiribus, nec obscure quorundam Bononiensium perfidia

timens

tinens, relicta eius urbis cura Alidosio legato, Rauennam secessit, ut inde per Flaminiam Romam reuertetur. In Mutinensi tum agro Feltrius confirmatus Venetorum auxilijs contra aduēntantes Gallos, ad Gabellū annuam castra posuerat. Sed Triuultius uctus imperator aduersus adolescentem ducem, tanta armorum uincubuit, ut quum locorū opportunitates præriperet, & quotidie graui motu castra castris conferret, semperq; acie instructa instando prælio certaturus uideretur, Pontificij uiribus & disciplina inferiores, urgentis hostis impetum uitare, & retrocedere cogentur. Neque prius eos premendi, & persequendi à Triuultio finis factus est, quàm se Bononiae mœnibus castris cum tumultuariè castrametantes inuasit, uniuersasq; eorum copias, & Venetorum auxilia sine suorum uulnere, quod miræ felicitatis fuit, captis, & direptis castris profligauit, profugiente Feltrio, quærenteq; se proditum malignitate atq; perfidia Alidosij legati, quòd nihil earum rerum quæ gerendo bello opus forent, posulanti suppeditasset, Bentiuolorumq; clientium fidei portarum custodias attribuisset. Ariosti namq; & Rannucij ciues cohortibus præpositi exaudito castrorum strepitu, perspectaq; Feltrij & Baleoni fuga, nullam sibi moram attulerunt, quin extemplo portas panderent, Bentiuolosq; fratres tanquam ueteres dominos studiosè reciperent. Legatus uir uarijs sceleribus cunctis exosus, & imbellis, occupante metu profugit, suppellestemq; & pecuniam prædæ Gallis reliquit. Nec Iulius Vitellius custodiæ arcis præpositus, nullo antè

prouiso commeatu diu restitit, quin Bononiensibus ar-
 cem dederet, populo à fundamentis excindendam,
 quòd libera ciuitatis ceruicibus imposita uideretur.
 Feltrius emenso Aemyliæ uix spatio, quum suos iter
 fugæ simile habentes ala Gallorum duce Duratio per-
 sequeretur, Hieronymumq; Pactium fortiter resisten-
 tem ad Claternam occidisset, Rauennam delatus est, u-
 bi sequenti die ex eodem fugæ cursu Alidosium Cardi-
 nalem sine purpuræ insignibus sibi occurrentem sua
 manu confodit, amissi utique exercitus dolore, & re-
 centib. iniurijs exacerbatus. Id facinus maximè atrox
 & apud Pontificem patrum inexprabile uideri potu-
 it, nisi homo impurus, uarijs auaritiæ & crudelitatis
 flagitijs coopertus, indignusq; Senatorio ordine, non
 seras improbitatis suæ, ultore magno numine poenas
 dedisse crederetur. Ea nuntiata cædes, Iulium per se a-
 nimo egrum ex infelicitate bellicarum rerum magno
 pere perturbauit; extemploq; Rauenna profectus, to-
 to aule comitatu conturbato Romam iter intendit.
 At Triuultius incomparabili potitus uictoria, appri-
 mè graui, prudentiq; consilio, ne regi maiorem uehe-
 mentioremq; quàm deceret pium, & ex professo sum-
 mè Christianum, inuidiam pararet, uictoriæ suæ modum
 imposuit, uetuitq; edicto Gallos abeuntem hostem ul-
 terius persequi, quòd recepta Bononia, eaq; Bentiuo-
 lis reddita, satisfecisse officio rebatur, eademq; milita-
 ris cõsiliij moderatione Pontifici nunciari iust, ut quo-
 uellet composito agmine extra metum iter facere per-
 geret; se enim operam daturum ut nusquam à Gallo
 milite iniuriam acciperet. Sed non eadem animorum
 æquitate

equitate Bentiuoli uictoria utebantur, quum statuam
 eneam Iulio liberatori in fastigio templi maximi posi-
 tam, concitata plebe detrarissent, conspurcatamq; scæ-
 dissimum in modum perfregissent, atque in tormenta
 conlassent. His rebus à Triuultio feliciter gestis, Alfo-
 sus mirum in modum letatus est, quòd Bononiam Pon-
 tificij belli sedem, uiris atque diuitijs opulentam, non
 modò detrahtam hosti, sed Bentiuolis necessarijs suis
 restitutam conspiceret, magnoq; commodo securitatis
 suæ in reliquum tempus quærendæ potius pacis, quàm
 instaurandi belli facultas Iulio præbita uideretur. Cæ-
 terum Iulius quem secus ac multò maxima pars homi-
 num putabat, neq; fusi exercitus, neq; amissæ Bononiæ
 neq; à Feltrio admissi sceleris incommoda perturba-
 rant, eadem infracti ardentisq; animi magnitudine
 qua bellum susceperat, generoso conatu in utranque
 sortis aleam finire constituit. Primum omnium Cardi-
 nales qui concilium indixerant, tanquam impietatis
 & perfidiæ reos Senatu mouet, hostesq; Pontificij no-
 minis decernit. Ex aduerso autem legitimo iure sacro
 sanctam synodum ad ea consulendæ & peragenda quæ
 Reipub. Christianæ decus respicerent, in Laterano se-
 quenti anno futuram pronunciat, & Pisani Concilij
 inauspicatum nomen abolet, Galliæq; regem tanquã
 diri schismatis authorem sacris interdicit; ac eum uete-
 re suo Christianissimi cognomento indignum declarat
 Secundum hæc acta, cuncti propè Christiani nominis
 reges gentesq; aduersus Gallos, ereptæ Bononiæ ac
 impotentis audaciæ inuidia deflagrantes: propositis
 edictis, & uarijs legationibus concitantur; Immodicè

quidem ante alios Henricus Britannus qui suapte natura infensus Gallis, nouam bellicæ laudis gloriã quærebat, quæ ei parata uidebatur, si pro tuenda Romani Pontificis dignitate, Gallie bellum inferret. Ferdinandus quoq; Hispanie rex, tametsi à Cameracensi foedere nequaquã aperte discesserat, quòd non obscure pro uecta longius atq; audacius Gallorum arma formidabat, Romano Pontifici multis de causis deesse non poterat, ob idq; præsertim quòd à Romanis Pontificibus præclaro religionis merito Catholicus fuisset appellatus. Hic itaque Petrum Nauarrum, ad Tripolim atque Bugeam rebus feliciter gestis clarum, Africanas legiones in Siciliam, atq; inde in Italiam transportare iubet. Ille uerò magnis adornatis classibus Aquitaniam inuadit, & in Belgicam oram primo quoq; tempore se traiecturum profitetur. Caesar uerò qui ab initio cõcepta inchoataq; synodi anceps & dubius perstiterat, tantetsi ei pseudocardinales summi Pontificatus honorem promitterent, multis de causis ita Gallorũ societate diductus est, ut regia præsidia quæ Veronæ hybernabat ab se dimitteret, obortoq; spe recuperandæ Burgundie Heluetijs atq; Pontifici iungeretur. His cognitis rebus Ludouicus suarũ opũ planè conscius uir, & indomitũ spiritus Ioannem Nauarræ, & Iacobum Scotie reges ueteres amicos & clientes Gallie regum, hunc aduersus Britannos, illum à Cantabria Hispanis opponit. Singulari autem diligentia, Gallie equitatum qui erat amplissimus supplet, & pedites è Germanis instar duarum legionum mercede conductas in Italiam accersit, quòd Heluetij tanquam à Gallo impudenter ac indignè

indignè spreti, post fortem fidelemq; operam multis
 bellis nauatam, ab amicitia Gallorum discessissent. Re-
 gibus hoc modo in apparatus maximi belli erectis, Al-
 fonfus ab ullo militari opere nequaquam cessandum
 ratus, aduersus omnem uim hostium quæ opportuna
 erant præsidia comparauit. Nam insignis cataphracto-
 rum ala ex delectis equo merere stipendia solitis, effe-
 cta est: & nouæ leuis armaturæ equitum turmæ uete-
 ribus & prætorianis sunt adiectæ. Promptissimus quo-
 que, & sibi notus miles, liberali stipendio conductus est
 quo supplemento urbanas copias abundè confirmabat
 Cogendæ uerò pecuniæ studium ea moderatione agita-
 bat, ut priuatos potius minueret sumptus augetq; re-
 rum uenaliū uectigal, quàm eam uiritim ciuibus im-
 peraret, ideoq; non paruam auri summam, oppigno-
 ratis maiorum suorum insignibus gemmis, Lucretiæq;
 item uxoris unionibus, mutuam à sceneratoribus acci-
 peret. Parcendū enim ærario existimabat, sic abiectis
 abaci ornamentis, ut in usum mensarum sigulinis lan-
 cibus uteretur, quæ eo honestiora erant, quòd Princi-
 cipis manu atq; artificio fabrefacta spectabantur. In
 hoc enim frugi uitæ famam, potius quàm inancem recō-
 diti, inexhaustiq; thesauri iactantiam quærebat. Præ-
 clarè siquidē iudicio omnium credebatur, ei uel diutur-
 no in bello pecuniam ex uetere gaza minimè defutu-
 ram; qua publica existimatione in omni bellico sum-
 ptu fidē nunquā differrentis aut improbi debitoris tue-
 batur. Ad hæc summa contentione paganorū agresstiuū,
 & ciuiū, qui imperatas edicto operas conferebant, in-
 stituti antea aggeres proferebatur, cauabaturq; pro-

fundissimæ fossæ, & in officinis collato per trib. ad certum pretium metallo, omnis generis tormeta Principe ipso per docente agenteq; fundebantur. Mirabili quoq; eius ingenio, uersatilis ex aquæ impetu machina instituta erat, ad conficiendam exiguo tempore ingentem tormentarij pulueris copiam: ab ea nanq; demissi elatiq; alternatim ferrei plures pistilli in aeneas pilas decedentes, carbones & sulphura cum sale nitro contundebant, tanto compendio, ut plurimum operarum laborem unius tantum regentis pueri cura superaret. Noua insuper horrea instituit ad recondendas omnis generis fruges in usum tolerandæ famis, si paulò grauius & diuturnius bellum incideret. Magnam quoq; uim salsamentorum, tum carniuum tum maximè piscium in officinas contulit, quæ nautico more in mediam subleuaret. Eam partim ex Padusis, partim ex Illyrici, Dalmatiæq; insulis, in quibus multa piscium captura esse consueuit, pretio parari conuehiq; curauerat. Per id autem tempus Alfonsus neque à Venetis aliunde occupatis multum est lacepsitus, neq; ipse eorum fines uexauit, ut pote qui ad maius bellum egregiè sustinendum cuncta sibi mature paranda atq; instruenda providebat. Quum in hac ingruentis belli cura atq; apparatu uersaretur, Nauarum didicit cum Hispanorum legionibus ex Apulia per Picenum, uiamq; Flaminiam in Togatam Galliam peruenisse, Raymundum quoq; Cardonium, & Fabricium Columnam subsequi cum equitatu longè omnium qui unquam Neapolitano regno educti sint, maximo atque ornatissimo. Ad has copias accedere Pontificis cohortes, & utriusque armaturæ equitum turmas, que

quae magno sumptu in agro Romano, atque Umbria
 conscriptae fuerant. Eodem etiam tempore Heluetios
 duplicatis stipendijs Pontifex per Matthaeum Sedunensem
 Cardinalem sollicitatos, in agrum Mediolanensem
 descendere, Gallisq; ad Mediolanum acerrimum bellum
 inferre iusserat. Interim Alfonso, ut Hispanis tran-
 seuntibus ea quae posset, ex transuerso Aemiliae uiae i-
 tinere detrimenta inferret, Bastiam non longe ab Argenta
 praesidium imposuit, custodiamque eius loci Vestidello
 pagano Insubri, uiro fortissimo tribuit, qui nocturnis
 diurnisque eruptionibus commectus interciperet, nec
 quicquam tutum euagantibus declinantibusq; a uia ho-
 stibus relinqui pateretur. Ea munitio in castelli speciem
 muro atque aggere circumdata, decurrenteque ad mu-
 rum Padi fluminis parte quae Zenoliam fossam efficit,
 usque adeo opportunè apteque constituta erat, ut nisi
 iusti exercitus uis & labore expugnari posse uideretur.
 Itaque Nauarrus aliquot suorum militum incom-
 modis excitatus, ad tuendam nominis sui famam ter-
 rendosque hostes ad Bastiam defertur, admotisque tor-
 mentis murum atque aggeres uehementissimè quatit
 suo etiam peculiari artificio, quo nomen cuncta expu-
 gnantis superioribus bellis fuerat consequutus, cunicu-
 los agit, & subdito ac incenso sulphureo puluere to-
 tius munitiois frontem ab imo in summam coronam
 terribili cum fragore excindit, paratq; ab ea parte a-
 ditum & ascensum militi. Nec mora Hispani irrum-
 punt. His magna uis Atestini aliquandiu propugnando
 obsistunt, & in aditu hostium pugnacissimos trucidant,
 sed crescente audacia multarum simul cohortium uno

impetu irruentium uim neq; animi egregie fortes, neq;
 dextra sustinere ualent. Contruditur intra aream ca-
 stelli Vestidellus, fortiterq; resistendo, multis ab se hosti-
 um uulneratis, & suis undiq; cadentibus, quòd uulneri-
 bus fessus arma uix sustineret, accepta fide deditio-
 nem facit. Sed uel tutante Nauarro defendi nò potuit, quin
 in conspectu cum reliqua eius cohorte trucidaretur.
 Eò enim atrocius contra militie morem desauerant
 quòd Franciscus Montanesius prefectorum longè for-
 tissimus in ingressu concidisset. Huius Montanesij no-
 bile facinus non ab re erit enarrare, ut eius exemplo
 milites ad spem laudis accendantur. Is superiore anno
 quum apud Senas in coronis proloquendo Hispanorù
 uirtutem supra omnes gentes cum iactantia uerborù
 extolleret, nec quenquam mortalium Hispano habili-
 us & ferocius gladio uti identidem prædicaret; non tu-
 lit iniquè atq; superbe dictum iuuenis Romanus ex tri-
 bu Parrhonia cui Iuliano nomen erat; dixitq; se singu-
 lari certamine & paribus armis, si Hispanus congre-
 di uellet, ostensurum neminem externæ gentis Italo mi-
 lite meliorem. Hunc generosè & moderatè respon-
 dentem Itali Hispanique qui aderant, approbarunt;
 nec ipse conditionem detrectauit, quam Montane-
 sius ferebat, ut sibi quisque socium, & consortem
 pugne deligeret, & intorta pro scuto sinistris ma-
 nibus lacinia, Hispanicis gladijs pro gentis quis-
 que suæ gloria decertaret. Gometium à Corduba notè
 sibi & spectata uirtutis gladiatorem Montanesius as-
 sumpsit. Nec Iuliano defuit Tiracoxa Tiphernas co-
 miter inuitatus. Constituta autem die ad edicium spe-
 ctaculi

Etaculi famam, tota penè Etruria in urbem Senas con-
 fluxit, pratorianaq; area exterior (hæc insignis the-
 atrii speciem præbet) à decurionibus pro arena con-
 cessa est. Tantis uerò animis, tantisq; utrinque ad-
 hortationibus, quum publicum decus in priuatis de-
 xtris temerè positum uideretur, res gesta est, ut Hi-
 spani ueterum gladiatorum more depugnantes primi
 fatiscerent, & decem & septem patentibus plagis
 susceptis, quum ex aduerso nouem tantum Itali re-
 tulissent, se planè uictos, contumelioseq; loquutos
 faterentur. Id certamen non celebratum modò est om-
 nis sexus festiua acclamatione, sed eruditè etiam de-
 cantatum à poetis, quorum Etruria feracissima sem-
 per fuit. Non desuit tamen Montanesio sua laus, uel
 ob id præcipuè quòd disciplinæ memor, nihilq; fer-
 uida ira subactus, non suæ modò, sed Gometij sode-
 lis etiam saluti, expeditè & fortiter prospexisset;
 qua laude celebratus cohortis præfecturam prome-
 ruit; summorum profectò ordinum decus inde rela-
 turus, quum transuersis uulneribus deformatam faci-
 em egregio uirtutis testimonio præferret; nisi in igno-
 bili conatu ei Fortuna defuisset. Nauarrus per hunc
 modum expugnata Bastia, eundem mirabilium ope-
 rum suorum terrorem hostibus afferens, Bononiam
 contendit, & castris sub colle positis tormenta promo-
 uit, quum ad Bastiam præfectos eximie uirtutis Sa-
 xum Italum, & Forundam Hispanum qui præsidio lo-
 cū tuerentur, reliquisset. Hi discedente Nauarro, murū
 latè disruptū, nutantemq; aggerè opere militari resece-
 rant, confirmantq; se omnib. his rebus atq; præsidijs

que supeditari è castris, uicinarumq; urbium copijs
 aduersus uim Alfonsi comparari possent. Eum namq;
 amissam munitionis arcem, eadem ui qua amissa fue-
 rat, repetiturum existimabāt. Neq; is opinionem ho-
 stium diu sefellit; paucissimorum enim dierum spatio
 coactis copijs eductisq; maioribus tormentis, ad Basti-
 am priusquam sentiretur profectus est. Tanta autem
 ui maiorum tormentorum murus percuti, quassariq;
 aggeres cœpti sunt, quum intercedente latissima decur-
 rentis Padi fossa pedalis diametri pile ab ulla parte nõ
 cessarent, ut Hispani coronam deserere cogerentur
 & sese ad hiatum patefacti iterum muri cateruatim cõ-
 globarent, ac irrupturo hosti armata corpora oppone-
 rent: quòd uineas extruendi resarciendiq; hiatus facul-
 tatem, temporis exiguitas, & incidentium pilarum
 metus eriperet. Prodierat in conspectum hostis Alfon-
 sus suos hortabundus, eiq; ad latus erat promptus ad
 omne militiæ munus Cetellionus Gallorũ nobilis præ-
 fectus, quum fortè decussa ui tormenti arcis pinna,
 perrupti lapidis fragmen acri repercussu in caput Al-
 fonsi decidit: quo ictu penè exanimis solo prostratus
 est. Tantum uerò absuit ut milites conspecto cadentis
 principis periculo animum impetum remitterent, ut
 ira & dolore uehementius incitati, longè acerrimos
 propugnatorum irruendo propellerent, in Bastiamq;
 cæde latissima hostium edita perrumperent. Nec fuit
 quisquam qui uel supplici & proijcienti ad terram
 arma hosti parceret, quum quisque principi suo
 quem sublatum pro mortuo uiderant, & cæso pau-
 lo ante cotra fidem Vestidello, hostili sanguine paren-
 tandum

tandum existimaret. Forundam & Saxum frustra ui-
 tam deprecantes eadem ultoris iratiq; militis rabies
 absūpsit. Sed magno casu accidisse uidetur, ut Alfonso,
 qui uictoriae suae spectaculo ad Cetellioni pedestratus
 frui nequiverit, eius immodicæ & promiscuæ cædis inui-
 diã quæ Gallo uindictæ auido ferè totam incubuit, extra
 notã effugerit. Cæterum Alfonso Argentã delatus cū
 ei galea detraheretur, quæ caput uehementer collide-
 rat, tale discrimen uitæ adiit, ut uix post tres dies ad se
 ipsum memoria incolumi rediret. Interea quum Hispa-
 ni ingenti conatu cuniculis atq; tormentis Bononien-
 sibus excidium molirentur, Hiuòq; Alegria Gallici
 præsidij præfectus egrè murum defenderet, Gasto Fo-
 isseius opportunam laborantibus opem tulit. Is dudum
 Helucios ad Mediolanum usque hostiliter irrūpentes
 aliquot minutis prælijs per equites fatigarat, nec mi-
 nore felicitate quibus superiore anno domum redire
 coegerat. Eo itaq; graui metu liberatis Insubribus nul-
 lam sibi moram attulit, quin media hyeme Bononiam
 rectã contenderet, raptato secum exercitu per lutulen-
 ta itinera, tanta festinatione, tantaq; imperij seuerita-
 te, ut pedites tormetorū quæ magistri per inextricabi-
 les à præalto coeno uias obstantiaq; flumina equestri-
 um agminum cursum æquare cogèrentur. Qua usus
 celeritate, & miro studio militum, penè prius à Rheni
 ponte urbem est inuectus, quam à suis & ab hostibus
 sentiretur. Eius autem aduentus uix postero die sorte
 quadam ab intercepto Epirota equite hosti cognitus
 effecit, ut is confestim reductis tormentis rectã per Ae-
 myliæ uie stratum iter ad Claterna uicum se reciperet

Apparebat enim Gallum pugnae avidum nihil de sua
 celeritate remissurum, quin instructis ordinibus ad Cla-
 ternam deferretur. Erat Gasto minaci ingenio expedi-
 tisq; uiribus ferox, ideoq; paratus ad audendum insti-
 gne facinus: sed Alegria dux uetus feruidi adolescentis
 consilium aliud auertit, utpote qui summae insaniae iudi-
 caret hostem bello acrem, & ueteranis legionibus con-
 firmatum, munitis & uallatis in castris adoriri. Gasto
 itaque mutato consilio, quod Brixiani per eos dies op-
 pressa Gallorum ala ad antiquam Veneti senatus fide
 rediissent, superato Pado per Mantuanum agrum Brixiam
 iter intendit, haud dubie ulturus eorum leuitatem at-
 que perfidiam, quum inusitata celeritate profectio-
 nis suae famam anteiret. Nec properanti Fortuna de-
 fuit, quum Paulum Balconum ex itinere ad Athesim im-
 prouisa utrinq; pugna edita profligarit. Hic enim cum
 iusta manu copiarum a Venetis ad expugnandam Bri-
 xiae arcem mittebatur, nihil tum minus timens quam
 ut Gasto sibi obijceretur, quem Heluetiorum irruptione
 occupatum, nouoque bello apud Insubres distractum
 esse crediderat. Eo modo uictor Gasto Brixiam perue-
 nit, receptusque per arcem, & continuo erumpens,
 magna praesidij Veneti & ciuium caede facta, urbem
 miserabilem in modum diripuit, captoque Andrea
 Gritto legato, Aloysium Aduocatum defectionis au-
 thorem securi percussit. Inde septem tantum diebus
 ad requiem colligendamq; praedam militi concessis, pa-
 ri celeritate qua uenerat ad Hispanos est reuersus.
 Summa eius consilij erat, ut cum his non iniquo loco con-
 grediretur, ut pote qui de uictoria optime sperandum
 puta-

putaret, si astutum hostem apertos in campos proci-
 ab insidijs elicere posset. Id uerò facile accidere posse
 confidebat, si tormenta Rauennæ mœnibus admoue-
 ret. Hoc maximè probabat Alfsnsus, qui ualido copia
 suarum agmine, magnòque insignium tormento-
 rum apparatu instructus ad Gallica castra se contu-
 lerat. Existimabant enim M. Antonium Columnam
 Rauennæ presidio impositum, non diu summam uim
 tormentorum, quin se dederet, agrè speratis auxilijs
 esse toleraturum. Quòd si Raymundus atque Fabritius
 opem imploranti, uti promiserant, deesse nollent, &
 progredi auderent, non defuturam facultatem, quam
 diu antea optassent, & tum auidè deponerent conse-
 rendæ manus patenti in campo, ubi grauis armaturæ
 equitatus, & uolitantia citatis curribus tormenta, qua
 parte uirium ipsi plurimum ualerent, magno usui ad
 uictoriam futura censeretur. Nec mora admotis mura-
 libus tormētis, duplici in loco, hinc à Gastone, & illinc
 ab Alfonso quassatus est murus, tanta ui derasis coro-
 næ pinnis, deiectisq; propugnatoribus, ut Vascones
 murum subire auderent, unaque se cataphracti iunio-
 res dimissis equis irrupturos profiterentur. Hanc e-
 nim ut pedestres operam præstarent, Gasto propositis
 præmijs, delectuque firmiorum per alas habito facile
 impetrarat. Sed ea alacritas temeritati proxima eum
 habuit successum, ut densata certatim subeuntium ag-
 mina, tormentis ab hoste in obliquum latus directis, cu-
 mulatis in fossa cadauerib. sternerentur. Nam ab Anto-
 nianis ex prominente propugnaculo aptè collibrata in-
 gens colubrina sæpius emissa est. In eo audaci conatu

Spinæus præfectus tormentorum interiit, & Cetellionus è Colinea illustri familia, multisq; bellis dux inclutus mortifera ietus glande prælio excessit. Hunc morientem Alfonso multis sibi nauatæ operæ officijs coniunctum luxit, quem Gasto quoq; importuno tempore sibi ereptum magnis laudibus graui totius exercitus cum dolore prosequutus est. Hoc tanto tormentorum fragore continentiq; reboatu exaudito, hostium duces sue dignitatis esse statuentes, ubi antea prolixè promiserant laboranti Antonio opem ferre, extemplo progredi aduersus hostem decernunt, propiusq; Rauennæ castra mouent. Nec Gasto exoptatæ atq; exploratæ occasione deest, administranteq; Alfonso tormēta raptim reducta, & castra extra urbis conspectum, ne cum anticipiti hoste res foret, promotæ sunt. Iam enim Pontificij Hispaniq; duces appropinquare, & ab antecursorib. Gallis eorum uexilla conspici nuntiabantur; quum Gasto fatali suo immoderatæ fortitudinis ardore concitatus in hostes signa conuerti iussit. Certatum est ad periclitandas uires leuibus prælijs continenter per integrum diem, quibus se multa quæ sibi usui forent, collustrando oculis solertissimè notauit, sic ut flumen uado transire, & signa conferre non dubitaret. Itaque sacro die quo Christus ab inferis resurrexit, pugna omnium longè cruentissima, uictoribusque pariter & uictis festina inter memorabiles eius seculi commissa est. Alfonso cum Normanniæ Siniscalcho primæ aciei præfuit. Hæc cū extenderetur sinistrum cornu efficiebat. Mediam autem Gasto sic tenuit, ut Alegria moderante consistenteq; ad signa, ipse expeditus ad imperanda
quæ

quæ opus forent circumferretur, & suos lingua & ar-
 mis, bellandiq; artibus diuersos hortabundus instruc-
 ret. In postrema autem suere uarij duces. Hoc ordine
 Gasto, Hispanis nihil prohibentibus quin Galli pedi-
 tes uado, Germani uerò carris flumē sine perturbatio-
 ne transirent, exercitum traduxit. Id flumen antiquis
 Vitim dictum, Rauennates Aquadussam hodie uocant,
 quod recepto Roncho amne in Padum euoluitur. Præ-
 lium itaq; tormentis utrinque cum terribili tonitru sta-
 tim emisissis miri cœptum est, ea quidem alterna sorte,
 ut Gallicæ pile hostium equitatum horrenda ac ine-
 uitabili clade illata prosternerent, Gallorum autem
 peditatus ab hostilium tormentorum iteratis sæpe icti-
 bus graue foedumq; uisu detrimentum acciperet, quib;
 ingentes globi ferrei confertas legiones atq; integras
 alas equitum miserabiliter profulcarent, disiectisq; per
 alas equitum miserabiliter profulcarent, disiectisq; per
 aera galeatis capitibus, ac cæteris equorum & homi-
 num ferro contactis artibus, certam perniciem inte-
 gris ordinibus afferrent. Tum enim Alfonsus re multū
 antè prouisa, atq; opportunè administrata, lato uersus
 mare flexu capto, peculiaria sua tormenta, edoctis au-
 rigis & libratoribus, in terga lateraq; hostium direxe-
 rat, tantoq; studio & properantia pilas contorqueri
 iubebat, ut non in hostes modò, sed etiam in socios ho-
 stibus per mixtos nonnunquam iacerentur. Ob idq;
 quum à quibusdam admoneretur, ut tormenta suspen-
 dere, & loco mutare uellet, ne quum enixius ac arden-
 tius hostem ferendum duceret, socijs etiam uel inuitus
 promiscuam cladem afferret: his tanquam intempesti-
 uè interpellantibus, seuero ardentiq; ore respondebat,

bono non ineptoq; duci expedire, ut dubio paucorum periculo certa de hoste uictoria peteretur; proinde de fortuitis suorum casibus tantopere solliciti esse desinerent, unamq; tantum uictoriam respicerent, quæ leui momento, si cessarent, corrumpi atq; interpellari facile posset. Ferunt nonnulli, Alsonsum, ut ei odium apud externos conflarent, hæc quoq; uerba subiecisse: dirigite igitur mei libratores liberè atque celeriter, quando in utrumq; ex professo Italici nominis hostem nullo errore pilas adigetis. Quæ uerba in externos generosa atque Italica libertate prolata, non semel ei inuidiam excitarunt, quum Molardus, & Mongironus Vasconum peditum summi duces iam permixti hostibus, & aliquot ex equitatu signiferi iam manus cum hoste conferentes, ab eius tormentis aut stratis esse, aut graue incommodum accepisse dicerentur. Sed hoc falsò ei affixa ab inimicis fuisse crediderim, quandoquidem mihi de hac re seriò percunctanti, totum id seuè dictum ingenua fronte pernegasse uisus sit. Caterum Alsonsus post emissa diu tormenta, cum cataphractorum familiarium globo in perturbatam hostium aciem inuectus, in Fabritium Columnnam incidit, qui stratis & dissipatis alarijs suis circumuentus & uulneratus undique gladijs & securibus pertundebatur: quo conspecto (erat enim uti magister equitum auro & purpura conspicuus) accedens, Romane, inquit, ne te cædi permitte, agnitaq; prælij Fortuna te mihi dede. Ad quod Fabritius: quinam es tu qui me agnoscere uideris, & ut me dedam adhortaris? Tum ille, Alsonsus Attestinus te compellat, nihilq; timere iubet. Audita uo-

et Fabritius, uel inuitus, inquit, generoso libenter me-
 ardo, modò Gallis antiquis hostibus meis non dedar.
 In id sublata manu Alonsus fidem dedit, creptumq; e
 media caede Ferrariam perducendum curauit. Hæc de
 ditionis uerba ab utroque eorum non ab re didicimus,
 nam postea lis magna de Fabritio exorta est, Gallis eũ
 authore Palicia deposcentibus, tanquam ille pro-
 pter eius dignitatem Regij iuris & arbitrij capti-
 uus foret: Sed Alonsus in præstanda fide egregiè con-
 stans, eas parum æquæ petitionis obtestationes contem-
 psit & penitus elusit. Interim Nauarrus qui suos pedi-
 tes, prona humi corpora sternere iussos, ut præteruo-
 lantes pilas euitarèt, serò cõsurgere iusserat, & totius
 ferè equitatus sædum interitũ spectarat, inito acri cer-
 tamine captus est. Quo casu prima eius legio, hinc à
 Germanis, & illinc ab equitatu concisa protritaq; fer-
 mè tota interiit. Secunda tamè infractio animo egregiè
 conseruatis hominibus quanquam amissis ferrè omni-
 bus præfectis & centurionibus, repugnando constan-
 tissimè se recipit. Iam horribilis equorum atque homi-
 num strages ex omni parte erat edita, captusq; fuerat
 ante alios Ioannes Medices Cadinalis legatus, & Pisca-
 rius uniuersæ leui armaturæ equitum præpositus, dele-
 tis magna ex parte alarijs suis, inter cadauera semiani-
 mis repertus, se dediderat, quum eandem Fortunam tu-
 lisset amisso oculo Padulius è gente Cardonia mediæ
 aciei præpositus. Vexilla quoq; Pontificis regisq; Hi-
 spani strata erant, & Raymundus Imperator cum An-
 tonio Leua, & Restannio Cantelmo desperatis re-
 bus cladem effugerat, & Caruaial postremæ acieidux,

retro conuersis signis intectus Cefennam ferebatur, quum Gasto planè uictor immodica delendi hostis cupiditate impulsus in recipientes se per aggerem Hispanos pedites impetum fecit, ibiq; aliquot sua manu cædens, ac intemperanter persequens, ab noua manu hostium quæ fugiens legioni se coniungere properabat, circumuentus atq; interfectus est. Miserabili certè casu, quum summæ indolis & Fortunæ Imperator à gregarijs paucis & fugientibus occideretur. Nemo enim, uel nomen profitenti, & se Hispaniæ Reginæ fratrem ad impetrandam uitam sepe dicenti parcendum putauit, aut è suis maturam opem tulit. Lotrechius tamen iuxta eum, qui postea præclarus exitit Imperator, post multa accepta uulnera seruari meruit pietate Aloisij Hispani centurionis, cui Gordo, hoc est præpingui, cognomen fuit. Ad occisi autem Gastonis famam excita est apud uictores Gallos inusitata uindictæ libido: nam in uulneratos & captiuos passim uitâ simpliciter petentes, atrocissimè seuitum est, his fœdis cædibus præcipuè intentis, qui præfectos & commilitones amicos amiserant, & tanti Imperatoris atrociter interfecti manibus hostium corpora immolanda esse censebant. Desiderati sunt Germanorum præfecti ferme omnes, & ante alios maximè celebres Iacobus Emper, & Iuncher Fabius, itemq; Lincius pusilli quidem corporis, sed ingentis animi Dux, & Philippus Germanobelga qui dudum Brixie deseuicendo supra modum efferus & immanis euaserat. E Gallico uerò perditatu præter ipsos Molardum & Mongironum, ueteris militiæ insignes ceciderant Agramontius Aquitanus

nus, & Bouetus Brito, Bardasaniusq; Ferrerius Allox
 brox, cū signiferis omniū propè cohortiū. At Alfōsus
 ubi certius de Imperatoris morte cognouit, tormentis
 hostiū in potestatem redactis, communicatoq; consilio
 cum Cardinale Sansseuerino, & reliquis ducibus, rece
 ptui cani iussit, eoq; maturius, quòd Alegria, ad quem
 Imperium uirtutis nomine ac etatis honore pertine
 bat, magno casu cecidisset, dum Viuerroo filio ab hosti
 bus ex aggere in anmnem deturbato pereunti; serā
 opem ferre conaretur. Exinde Alfonsus uictorie par
 te conditiones inspexit, captiuisq; recognitis, & sau
 cijs omnibus promiscuè insignem adhibuit curam, ut
 nihil desiderarent. Caesarum autem insignium proce
 rum cadauera toto campo legi deuehiq; Ferrariam
 præcepit, ut inde exenterata, & multo condita aroma
 te in Galliam ad gentilia maiorum sepulchra auherē
 tur. Sed hæc postea quā Rauennates aduerso suorum
 prælio percussi, excedenteq; præsidio se dedentes, con
 tra ipsorum spem ab iratis Gallis casti direptiq; fuere.
 Tanta autem iracundia atque auaritia in miseros est
 desecutum, ut Vascones, atq; Germani, neq; ulli etati,
 neq; ullis templorum donarijs parcerent, quanquam
 in eo tumultu Alfonsus ante alios urbi miserè pereun
 ti, quantum autoritate ualebat, piam opem ferre pro
 peraret. Is quum recenseri copias iussisset, supra dimi
 diam Gallorum militum partem cecidisse reperiebat,
 præter innumerabilem calonum & lixarum turbam.
 A captiuis autem ex numero insignium procerum no
 mina supra uiginti referrebantur, inter quos fuere Ro
 mani sanguinis Ioannes Contes, & Ianus Capoccius,

duoq; Bononienses germani fratres è Pepula familia.
 Cornelius atq; Romeus, & Raphael Pactius nobilis
 Florentinus. Ex Hispanico quoq; exercitu occubuerunt
 Ioannes Cardonius Auelini Regulus, Hieronymus
 Giores, Didacus Quignonius, & Alberadus, itemq;
 Petrus Cunius, & Casanoua, opulentis Rhodiæ militiæ
 sacerdotijs insignes, & Corbellanus qui primum in e-
 xercitu summi Imperij uexillum deferbat. Petrus e-
 tiam Pacæus Gibber, qui sub magno Consaluo præcla-
 ra olim cum laude militarat. Ex Africanis uerò legioni-
 bus quum longè promptissimi quiq; interfecti essent,
 inter eos Punicis bellis clari numerabantur Zamu-
 dius, & Samanecus, & secundum hos faciliè primores
 Iaymes Diecius, Ioannes Nauarrus, & Didacus cogno-
 mento Paneaqua, cum eoq; Clauesius, & Arcteta Can-
 tabrorum pugnacissimi. Ab hac tanta uictoria Alfon-
 sus insigni prudentia, æquo sibi tempore & aduersa-
 rij periniquo pacem ab irato Pontifice petendam iu-
 dicauit, ratus eam honestis conditionibus, & dari, &
 accipi posse, quòd molliorem prouioremq; ad id iulius
 se inuenturum speraret, uel ob id maxime quòd supra
 amissi exercitus detrimentum, multo metu, grauiq; pe-
 riculo circumuentus esse uideretur. Nam ab eo ad Gal-
 los defecerant Romani proceres, Pompeius Columna
 & Robertus Ursinus, & cum his Petrus Marganius
 turbulenti iuuentutis princeps, usque adeo immani-
 scelestoq; consilio, ut accepta à Gallis stipendij nomine
 multa pecunia, sacrosanctum Pontificem Vaticano,
 atq; urbe Roma exturbare, Regnumque Neapolita-
 num inuadere cogitarent. Itaque Alfonsus per Fabri-
 tium

tum Columnā quē in libera custodia Ferrariae habe-
 bat, solerter egit, ut nō iniqua cōditione sibi parcere-
 tur. Erat enim ad id munus implendum Columna faci-
 lē idoneus, uti uetere amicitia, & affinitatis necessitu-
 dinem Iulio coniunctus. Sed eam rem per sequestres pa-
 cis aliquot Senatores aliquandiu actitatam, noua ui-
 ctorie nuncijs interrupit. Heluetij nanq; rursus per
 Matthæum Sedunensem Cardinalem excitati, coniu-
 ctiq; Venetis copijs, per Tridentinas alpes in Italianam
 descenderant, depulsisq; Athesi, Ollio, Abduaq; anni-
 bus Gallorum copijs, Paliciam nusquam congregi au-
 sum urbe Ticino cum non parua cæde expulerant, fu-
 gientemq; demum ultra Padum Italia excedere coege-
 rant. Quibus secundis rebus Pontifex abundē confir-
 matus atque exhylaratus, eo mitiore aure Alfonsi pre-
 ces audiit, quod authoritate Prosperi Columnæ Pom-
 peius restituta pecunia ad officium rediisset, & Vrsi-
 nus atque Marganius pudore, multisq; amicorum ob-
 testationibus adducti, allectiq; muneribus ab incepto
 destitissent. Alfonsus igitur præclarum probitatis atq;
 prudentiæ suæ specimen daturus, fidem dante pollice-
 teq; Fabritio Romam uenit. Eum uerò supplicem, &
 grauius pro sua causa perorantem Pontifex sic admi-
 sit, ut non dubia lenitatis & clementiæ signa uultu &
 alloquijs præbere uideretur. Sed cū rarò oblatū exer-
 cēdæ clemētiæ ad eximiā laudē fructū uir alioqui gene-
 rosus decerpere nesciit, deprauate eū alberto Pio Car-
 pense summæ authoritatis cōsiliario, qui priuatae litis
 ac iniuriæ memor, & publici commodi facilē oblitus,
 capitales inimicitias ab antiqua de Carpo oppido

contentione indomitus cum Alfonso exercebat, sic ut in arcano Pontificis consilio Alfonso tanquam impie rebellem pace & uenia indignum diceret, eumque uel neglecta Fabritij fide omnino comprehendendum suaderet. Sed id facinus supra decus sacrosanctae personae foede conceptum diu tegi non potuit, quin per Ludouicum Aragonium Senatorem Alfonso propinquum ad Columnios emanaret. Quo graui nuncio ex imminente contumelia uehementer perturbati Fabritius & M. Antonius promptissimorum clientium manum sibi fidam compararunt, noctuque Alfonso urbe Roma, ut territis expugnatisque custodibus Lateranae portae (haec Asinaria quondam fuit) in columnem ad Marinum suae ditionis oppidum deduxerunt. Eum postea passim diuertentem per Latina oppida, & ex tuto latitantem Prosser Columna suscepit. Is Raimundo copias reparanti collega erat datus, ductabatque exercitum in Galliam Cisalpinam aduersus Venetos. Ab hoc profectio- nis occasione peropportune euenit, ut Prosser qui Fabritij patruelis fidem, & familiae decus religiose tuendum rebatur, Alfonso modo gregarij equitis, modo lixae, aut uenatoris, cucullati que nonnunquam sacerdotis habitu in tutum perduceret, frustra eum deposcente queritanteque Iulio, qui ad eum agnoscendum perquirendumque plerosque miserat exploratores, principe eorum Antonio Saxetano, cuius ille aspectum & diligentiae fidem semper elusit, emensoque feliciter itinere paucis cognitus Ferrariam peruenit. Nec Iulius uel natura iracundus ab eius impotentis facti contumelia, quanquam uehementer angi & fremere uideretur, quae

quam in Columnios proceres aequo seuerius decreuit,
 aut Alfosum quem sibi ad pedes in spem ueniam proie-
 ctum uiderat, nobili quodam pudore exorto, quod ge-
 nerosè parcere subiecto nesciuisset, armis ulterius ue-
 xauit. Vir siquidem decoris appetens, quo famam latè
 extenderet, abundè cum nomine suo, tum Pontificiæ di-
 gnitati satisfactum existimabat, quod Gallos reducto
 in paternum Regnum Maximiliano Sfortia ultra al-
 pes pepulisset, in eosq; domi Britannica arma concitas-
 set, ac eiectis iterum Bentiuolis Bononiam recepisset,
 quo etiam rerum cursu Hispani Ioannem Nauarrae Re-
 gem Gallicas secutum partes, totius Catabriæ Imperio
 deiecissent: ac obiter multo maximè letaretur, quod de
 Florentinis concilij Pisis indicti iniuriam egregiè uin-
 dicatam uidebat, quum eius auspicijs Hispani, qui du-
 ce Cardonio reparatis copijs in Etruriam descèderāt,
 Ioannem Medicem in patriam paternumq; ciuitatis
 principatū Soderino eiecto reduxissent. Ipse enim Me-
 dices Cardinalis cū in Galliam captiuus traheretur, in
 signi beneficio Rainaldi Zactij Ticinensis Patritij ad
 Padi traiectum, ui repente facta in custodes Gallos e-
 reptus, Bononiam peruenerat, & ad cumulandam
 totius uictoriæ felicitatem, Ligures exactis urbe Ge-
 nua Gallis sese in ueterem libertatem opportunè uen-
 dicarant. Quibus rebus gestis Iulius libertate Italiae ti-
 tulum ita prætulit, ut cum passim inscribi nullo adu-
 lantium pudore pateretur: Sed tamen libera uox Gri-
 mani probi Senatoris à Iulio audita est, titulum tan-
 quam inanem irridentis, quando magna atque opulen-
 ta Italiae pars, demonstrato Neapolitano Regno, Hi-

Hispanicum iugum perferret, ad quod Pontifex quassato
 scipione quo innixus pavimentum infrendendo peritū
 debet, respondit breui futurū, ut Neapolitani non ira-
 tis superis externum iugum excuterent. Heluetiorum
 enim præstanti studio, inuictōq; eorum legionū robo-
 re fretus, Alfonsum Federici Regis filium, contra ius gē-
 tium Tarenti captum, & custoditum in Hispania, de-
 poscere, restituereq; in paternum Regnum, nō iniquā
 Ferdinandi Regis conditione cogitabat. Hæc ingēti a-
 nimo, uerūm ægro corpore cogitantem diuturnus fluē-
 tis alui morbus interceptit, eiq; Cardinalis Medices insti-
 gni conuertentis sese Fortune ludo, iuniorū suffragijs,
 Leonis decimi nomine desumpto, suffectus est. Ad eum
 creati Pontificis nuncium Alfonsus magnopere leta-
 tus est, quod pro acerrimo, eoq; semper inquieto & in-
 domito Pontifice, alium clementis animi nutusq; natu-
 ræ renūciatum uidebat, à quo ueterem gratiam & ho-
 norem quo fuerat spoliatus, adipisci posse speraret.
 quando ille ortus familia non modò nobili, uerūm cum
 ctis etiam eximie uirtutis numeris per totum serè ter-
 rarum orbem celebrata, Leonis nomen usque adeo il-
 lustris iudicio desumpsisset, ut præclare profiteri uide-
 retur, nihil ab se nisi maximè æquum piūq; & gene-
 rose clementiæ laude dignissimum ab omnibus ordi-
 nibus expectari debere, utpote qui iniuriarū omnium
 & ueterum offensionum obliuisci uellet, & quod pu-
 blicæ tranquillitatis interesset, pro turbulento re-
 rum statu, secus ac Alexander & Iulius ferreæ tem-
 pestatis Pontifices, leti tandem ocij, aureæque paci-
 seculum condere cogitaret. In hanc spem Alfonsus ben-
 gne

gnè uocatus ad præstandum sui muneris officium (erat enim antiqua dignitate uexillifer) in Urbem uenit. Nā ingenti apparatu nouus Pontifex ad XI. diem Aprilis se triplicis coronæ thiaræ in Laterano tēplo sumpturum edixerat, ut is dies qui ex clade prælij Rauennatis sibi ualde ater exstiterat, eo circumacti anni curriculo commutata Fortuna, in candidum atq; letissimū uerteretur. In ea autem pompa quæ à Vaticano in Exquilias perducebatur, Alfonsus de more paludatus Pontificij Imperij uexillum gestauit, applaudentibus ei Urbanis tribubus, quum quisq; summū ducē ex recentiq; uictoria clarissimū, os illud probum & uerè militare præferentē interno scere cuperet. Pontifex quoq; eodē ipso albo equo uchi uoluit, in quo Rauēna captus fuerat. Ceterum secundum id editū solennis pōpæ spectaculū, quo ornatiū & augustiū seniorū recordatione in Vrbe nemo uiderat, Alfonsus non leuē pro gratia ofensionē retulit, quāquā ingētibus promissis, benignisq; officijs oneratus summo in honore apud Pontificē, Senatoriūq; ordinem haberetur. Iulium enim paulò antè quàm uita excederet, adhortāte suadenteq; Alberto Pio, astantes ad lectulū Cardinales magnis precibus obsecrassè reperiēbat, ut urbem Mutinā deprōpta ex ærario pecunia per successorem à Cesare coemendandū curarent, quoniam Cesarem tenui semper ærario inueterata benignitate promiscuē largiri solitum, uel non multo auro de ea urbe facillè transacturū putaret. Pertinebat enim ad amplitudinē Pōtificij imperij, & dignitatē cum opulentia cōiunctā, parari expeditū iter, & nusquā insinuatis alienæ dittonis finibus intercissū, ab

Vrbe per Flaminiam atq; Aemyliam ad Padum. Hoc
 autem quærebat Albertus cum Reipublicæ studio, tum
 capitalis in Alfonsum odij causa: uir nanq; suopte in-
 genio peracutus & grauis, miram indefesso uigore sit
 cundiam ad impellendos quo uellet animos afferebat,
 ut non immeritò inter paucos sapientes uirtutis & do-
 ctrinæ nomine censeretur, si Ferrariensis odij cau-
 sam amoueres, quæ proculdubio, & publicam Vrbi ca-
 lamitatem, & priuatam sibi perniciem nõ serò rerum
 exitu pepererit. His tum honestis prouectus artibus, u-
 ti antea Iulio, ita Leoni expetitus adhaeserat. Nec mo-
 ra, quòd ipse Caesaris in urbe legati munus impleret,
 facillè prolata pecunia distrahendæ urbis assensus à
 Cesare est impetratus, abnuente quidem tergiuersan-
 teq; Videfrusto, qui magni quæstus præfecturam ea
 uenditione sibi eripi egreferebat. Sed cum dolo aptè
 composito Rangonij patritij extra arcis pontem simu-
 latione grauioris alloquij euocatum plectumq; com-
 prehenderunt. Atq; ita Videfrustus se proditum fra-
 stra querens, & arcem & urbem Pontificijs reliquit.
 Qua in re Alfonsus, quum eadem pecunia quæ non e-
 rat multa, & Cesarem & Videfrustum aggredi sta-
 tuisset, maiores omnino ad recuperandam urbem dif-
 ficultates subortas prouidebat, nullam præsertim sibi
 fidelis operæ spem præbentibus Rangonij qui primæ
 defectionis nequaquam obliti, metu pænæ nihil pro se
 commutata uoluntate tentaturi uiderentur. Verum Al-
 fonsus ubi Ferrariam est reuersus, erexit rursus animù
 in spem recuperandæ ditionis. Didicerat enim Ferdinã-
 dum regem occultè cum Ludouico pacem mu.uis com-
 modis

modis seruituram, ea cōditione pepigisse, ut Hispanus de retinendo confirmandoq; Cantabrie regno sollicitus, Gallis permitteret ut Mediolanum armis repeterent, hisq; Hispanorum copias quæ tum erant ad Trebiam annem, eo bello nusquã obsituras promitteret. Nemini siquidem dubium erat, quin Sfortia solis innixus, atq; his ualde ambiguis Heluetiorum auxilijs, ad primum Gallorum impetum Mediolano pelleretur, quo demum pulso Galli eodem tenore uictoriæ Placentiam, Parmamq; reciperent, qua uicinitate amicissimæ Regis paratis ueluti opibus subleuari posset, ut Rhenenses & Mutinenses ad uetus Atestini Imperij studiũ reducerentur. Sed eam opinionẽ aduersus Gallici belli exitus inopinatè sefellit. Nam Triuultius atq; Tramilius summi Gallorum duces, qui cum magnis copijs alpes transierant, in urbemq; Nouaria Sfortiam obsederant, improuisa Heluetiorum eruptione castris exuti profligatiq; sunt. Hoc inexpectato nuncio Alfonso eò grauius affectus est, quòd Leo Pontifex pecunia in stipendium Sfortiæ præbita, Placentiam & Parmam lubentissimis ciuibus recepisset. Has enim urbes Sfortia ab se moriente Iulio occupatas, repentino terrore Gallico & Venetis armis circumuentus, desertusq; ab Hispanis, Pontifici certa transactione reddiderat, scilicet ut ab eo præsentem pecunia iuuaretur: qua celeriter impetrata se saluum & incolumem, moxq; etiam uictoriẽ euasisse confessus est. Nam Veneti ad Nouariensis pugne famam relicta, Cremona finibus statim excessere, & Adurnij, qui pulsus Fregosius Genuæ dominatum uti Gallorum clientes inuaserant, urbe exacti sunt:

quòd omnibus terribile esset Heluetiæ uirtutis nomen. Eo siquidem tempore se defensores Pontificiæ libertatis, Sfortianæ domus patronos, & Gallorū hostes profiteri erant soliti. Nec deerat Rex Britannus qui Galliam uehementi bello quateret, quum in proximā Morinorum continentem cum ingentibus copijs traicturus esset, sic ut Alfonsus non temerè de Ludouici regis periculo timere cogeretur, in cuius potentia amicitiaq; conseruandi & recuperandi Principatus summam spem reposuisset. Verū hos, & qui postea in Gallia successere aduersi belli euentus, Alfonsus singulari grauitate consilij ita pertulit, ut nihil sua uetere spe deijceretur. Natura enim longanimis & infractus patientia gaudebat, & quas tempus afferre posset molliendarū rerum occasiones, inueterata prudentia, multaq; firmitate iudicij nusquam à se discedens, & intentus expectabat. Nec multis inde mensibus Ludouicus amissis duabus Belgicis urbibus, & Scotorum rege belli socio à Britanis interfecto, pulsusq; ad Gingatam totius ferè Galliæ equitibus, ab Henrico uictore pacem ea conditione impetrauit, ut Maria Henrici soror in matrimonium duceretur. Verū eius iniitæ pacis & instituti ad Italicum bellum apparatus letitiam apud Alfonsum minimè diuturnam, Ludouici mors ab his quaesita nuptijs magnopere perturbauit, quòd noui belli quo rursus Italia peteretur, spem omnem morte regis intercidit, & certam propè uictoriam interpellari existimabat, suffecto præsertim in regnum Francisco genero planè iuuenē, nec dum pubescente, quem uel socreri disciplina & uirtutis amulum, noui diadematis, &

tis, & tantæ accessionis Fortunam circumspectantem,
 & ætas prona ad uoluptates mollioraq; consilia, &
 æqualium amicorum adulationes à cogitatione gra-
 uissimi belli facillè diuellierent. Verùm cuncta secus ac-
 rebatur maximè leta & secunda mox euenerunt.

Nam Franciscus mirifica uoluntate hisdem propè qui
 bus socer ad parandum decus sensibus innixus, arden-
 tissimè bellum suscepit, transgressusq; alpes Helueticos
 Maximiliani Sfortiæ causam acerrimè defendentes, in-
 genti periculosoq; prælio iuxta Mediolanum debella-
 uit, quo uictoriæ prouentu Parmam obiter atq; Placē-
 tiam uti maximè cupiebat, Franciscus concedente Leo-
 ne ueteri suo Insubrum Imperio adiecit. Pontifex enim
 Etruscis rebus magnopere timebat, quum rex iuuenis,
 partæ uictoriæ gloria elatus, confirmatusq; Venetorū
 & Ligurum societate, si Padum traiceret, non Etru-
 riam modò, sed Romam atq; Neapolim inuasurus cre-
 deretur, incitatus præsertim adhortationibus Liuiani,
 qui tū Venetis exercitus Imperator Regi aderat. Hoc
 quoq; probabat & suadebat Alfonsus, ut pote qui eo-
 dem uictoriæ cursu à Gallis cuncta perrupturis secun-
 dum Parmam atque Placentiam, Rhegium & Muti-
 nam recipi insigni suo commodo posse speraret.

Non destitit tamen quin per regem ageret cum Leone
 in Bononiensi colloquio, ut aliqua comnino tolera-
 bili conditione, certa præsertim oblata pecunia, suas
 urbes redimere niteretur. Qua in re duriorè æquo Pō-
 tificem expertus conuiescere domi statuit, seduloq;
 explorare ex euentu rerū occasiones, quibus inuitatus
 noua inire cōsilia suasq; urbes repetere ex tuto posset.

Eo autem bello quod biennio post admodum uehementis in Umbria exarsit, Francisco Maria Feltrio Vrbinum unde Pontificijs armis eiectus fuerat repetente, Alfonsus Feltrium arcta propinquitate sibi coniunctum ea moderatione adiuuit, ut Pontificem nequaquam grauius offenderet, quum Feltrius in Ferrariensi agro copias coegisset. Sequutum demum est illud tempus quo post mortem Ferdinandi regis, & aliquanto post Maximiliani Caesaris, ingens libido Gallorum animis incescit inuadendi Neapolitani regni, quod Venetos & Ligures copijs & classibus sibi affuturos scirent, nemi nemque speratam uictoriam moraturum arbitrarentur, si Pontificem in societatem pertraherent, à quo beneficij iuris nomen ac authoritatem, & pacati itineris per Romanos fines fidem acciperent. Duobus enim summæ uirtutis & nominis defunctis auis regibus successisse Carolum nepotem adolescentem, quem agrè Hispaniæ atque Germaniæ uires expediturum credebant, quibus terra, marique Neapolitani regni possessionem tueretur. His initis consilijs Galli indignum amicitia Alfonsi facinus non sine læsæ fidei aut leuitatis infamia addere cogitarunt, misso ad Leonem ex ordine scribarum Ioanne cui Sanctomarcello nomen fuit, qui ingentis premij pollicitatione Pontificem ad inueundum fœdus impelleret. Promittebant enim se deserturos Alfonso, neque ulla in re adiuturos, si Ferraria tanquam Pontificij iuris ciuitas Mediceis armis peteretur, sic ut chirographo hanc pactionem confirmare non dubitarent. Qua Gallorum stipulatione Alfonsus non mediocre rerum suarum periculum adijisse uisus est.

Nant

Nam serebant Leonem postquam Urbini, & magnæ partis Umbriæ dominatu erat potitus, aucta crescenteq; proferendi Imperij cupiditate, Ferrariam quoque Laurentio fratris filio destinasse. Ceterum Leo qui irruptiones Gallicas cum Italia, tū domi suæ certam perniciem attulisse meminerat, in diuersum consilia uertit & Sanctomarcus in Galliam re infecta est reuersus. Hæc quum Alfonsus Romæ acbitata, & chirographo confirmata rescisset, id totum singulari prudentia dissimulauit, deditq; operam per idoneos proceres, legatosq; suos ut ueteris clientelæ suæ gratiam cum rege confirmaret: quod adeo benigne rex præstitit, ut generoso cum pudore eius rei suspiciones diluere, excusareq; legati temeritatem prolixè niteretur. Fuere qui existimarent in eo negotio egregia simulatione utriusque uerba data; Leoni quidem ut ad percutiendum fœdus alliceretur; Gallis porro, ut Pontifex propinquorum suorum animos spe distineret, quòd immoderata percuperent, quæ sine labe religionis, & graui sui nominis infamia concedi non possent. Sub id tempus Alfonsus Hippolytum fratrem Cardinalem amisit, graui Atestinæ domus incōmodo, quòd sacerdotiorū honores, & opimi redditus Alfonsi liberis tanquam hæreditate destinati, improuisa eius morte deperirent; & uir efficaci ingenio ualidus & acer, peritusq; rerum bellicarum atque ciuiliū, nondum recuperata ditione properante fato esset ereptus. Fuerat aliquandiu Romæ apud Leonem in aula frequens, ut Pontificem parum amicè de re Atestina sentientē, præsens coleret, officijsq; molliret, dum senatorio suo munere funge-

retur. Reuersus autem Ferrariam post aliquot menses in febrem incidit, initio lentam, successu uero atrocem atq; mortiferam, ut tum credebatur accersitam immo- dico esu scillarum cancrini generis, & plenioribus sub austeri uini insupremacœna poculis, sic ut paucis dieb. uir etate integra, & corporis habitu firmissimus, tota facie & spiritu collaberetur. Pauci ciuium præter unum Alfonso ueris lachrymis elatum luxerunt, cum pleriq; eum odissent, tanquam seuum, impotentem, superbumq; dominum, & sæpe fraterni imperij munia usurpantem. Quibus moribus eo grauior ciuibus & familiaribus apparere erat solitus, quando in Principe Alfonso clementiæ, moderationis, ac humanitatis præclaræ laudes spectarentur, usq; adeo confirmata populari opinione, ut nisi Cardinalis recondita ira serox & implacabilis obstitisset, omnino fratribus captiuis uel immane facinus ausis, concessa libertate parsurus esse crederetur. Per legatos autem à Pontifice impetrare non potuit, ut urbis Ferrariæ episcopatus filio suo concederetur, excipiente illum Ioannes Saluatiato qui Leonis sorore erat genitus, itemq; Nicolao Scombergo uiro Germano Antistite Capuæ renuntiato, qui à secretioribus consilijs Iulio Medici Cardinali operam nauabat. Defuncti uero supellectilem, totumq; opulentiæ domus apparatus Gazæ regiæ parem, Alfonso pensili ponte constructo ex fraterna episcopali domo in aduersum prætorium illico trāsferri iussit, ne tantæ opes ad inuidiam populi oculis notarentur. Nec de ea re Pontifex suo iure sacerdotum spolia in fiscum referre solitus, quicquam petendum existimauit, ne conceptū odium

odiu[m] quod postea erupit in Atestinam domum, alius atq; detectius enudaret. Altero autem anno post mortem Hippolyti Cardinalis exortum est bellum inter Franciscum Regem, & Carolum Caesarem apud Belgicas Eburonum urbes, quo nullum uehementius ac diuturnius hac aetate uidimus, renouatis scilicet ueteribus odijs, & nouis peropportune excitatis: propterea quod nuper apud Germaniae proceres de creando Caesare Imperatore comitia habentes, Franciscus Rex per acrem se amulum & competitorem ostenderat, ut imperatoriae dignitatis honos à Carolo Magno olim illustratus, ereptusq; demum à Germanis, aequitate quadam Gallicae nobilitati redderetur. Verum haec duorum candidatorum contentio cum habuit exitum, ut suffragatores Gallico coempti auro, uictiq; pudore patriae datâ fallendo fidem, Carolum tanquam Germanici sanguinis enixissime subleuarent, & Rex Gallus sua opinione deceptus repulsam ferret. Ab his offensionib. utrinque facile ad arma descensum est, tanta auuiditate, ut Germani Robertum Sedanium in Eburonib. Gallicas sequutum partes, bello persequerentur, & Galli ultra Pyreneos montes ad recuperandum Cantabriae regnū ut Hispaniam usq; intestino deflagrantem bello promouere auderent. Itaque detectis odijs, & coepto bello, uterque Leonem Pontificem in societatem noui foederis asciscere contendebat. Sed Leo duabus praecipue de causis Caesari adhaesit, quarum praecipua fuit, quod malignitate Lotrechij Gallicis copijs instructū fuisse Feltrium, constatūq; sibi inde periculosum bellū in Umbria rebatur. Altera uero quod in spem ueniret, bello

eo recuperanda Placentia, Parmæq; ; quas urbes cum magna gloria à Iulio partas, ipse demum probrosa suorum socordia, & sua infami pactione turpiter amisisset. Huius autem concepti belli consilium usque adeo astutè Leo suppressit, ut in speciem diuersi animi, ad fallendos Gallos conduceret Heluetiorum quatuordecim cohortes, quæ Hispanis ex Apulia Piceni fines ingressuris opponi uiderentur, sic ut nõ grauatè modò, uerum etiam benignè Lotrechius per totum Insubrem agrum Heluetijs tanquam amicæ genti socijsq; Pontificis iter præberet, in Padoq; nauigia parari iuberet quibus Rauennam deueherentur. Horum aduentus Alfonso non temere sollicitudinem metũq; attulit, utpote qui graui iudicio externæ genti per suos fines descendenti parũ fidendum esse existimabat, quando nihil iam exploratum & certius haberet de uoluntate Pontificis, cuius tum consilia cæcis simulationum latebris tegebantur. Itaq; præsidia idoneis in locis disposuit, duplicatisq; circa urbem custodijs quantam potuit militum manuum sedulo coegit, ne imprudenti imparatoq; aliquod detrimentum inferretur, quanquam Pontificij qui Heluetiorum agmina deducebant, præclare prædicarent, ipsos nemini nocituros, & sine maleficio pacatè transituros. Cæterum Heluetij per Rauennatem agrum & Flaminia oppida nusquam explicatis signis aliquantiduu ducti, retro demum unde uenerant in patriam remissi sunt, Alfonso plurimum admirante, quòd Leo nulla re tentata, persolutis frustra stipedijs, cohortes magna ex parte dimisisset. Sed eum postea certius didicit eis uti propterea noluisse, quòd earum dux summe
 authori-

authoritatis Goldilus è Tigurino pago, Gallicæ factio
 ni apprimè fauere diceretur. Hinc Galli atque Alfon-
 sus præsertim de Leonis consilijs in suspicionem uene-
 runt, quam mox auxere Mediolanenses exules, qui Hie-
 ronymo Morono, & Astore Vicecomite ducibus iam
 detectis quorundam coniurationibus Rheginum confu-
 gientes, à Pontificijs præsidibus amicè recepti fuerant.
 Horum opprimendorum cupiditate incensus Lescutus
 Lotrechij frater Parmensium fines temere transijt, &
 cum ingenti ala equitum ad Rhegij portas improuisus
 aduolauit. Verùm custodes conspecto Gallorum aduen-
 tu portas celeriter occluserunt. Ita Lescutus quū de mu-
 ro quid armatus peteret interrogaretur, cum præside
 Guicciardino ut sibi colloqui liceret postulauit, atque
 ita solus & pedes in uestibulum interioris portæ rece-
 ptus est. Ibi quum ira feruidus ab irrita sua spe, & fe-
 rociter minabundus, ut sibi illico dederentur exules i-
 dentidem peteret, idq; impetrare non posset, eo animo
 emissus est, ut graue periculum uitæ aut libertatis adie-
 rit, & nonnulli ex eius equitatu, qui circumeundo mœ-
 nia alicuius adaperitæ portæ ingressum quaeritabant, è
 muro tormentis icti sternerentur: in quibus cū nobili
 signifero Alexander Triuultius dux egregius interse-
 ctus est. Hoc inusitato ac insolenti Lescuti factò pax
 haud dubiè uiolata est, præbuitq; id exoptatam occasi-
 onem Leoni ut dissimulata consilia æquo iuro detege-
 ret, atque arma (uti occultè instituerat) protinus expe-
 diret. Tum quoque peropportunè à Guicciardino, Gui-
 doneq; Rangono in inuidiam Alfonsi fama excitata
 est, ipsum Lescutum tanquam ab Alfonso admonitum

incitatumq; fuisse, ut una repentina expeditione & ille exules odia & arma in Gallos undique excitantes opprimeret, & ipse Gallorum beneficio sua urbe potiretur. Sed ego postea ab ipso Alfonso accepi tantam sibi calumniam à Rangonijs inimicis suis atque rebellibus fuisse impositam, Neque enim ipsum adeò imprudentem & precipitem extitisse dicebat, ut in re dubij euentus tanti discriminis præiudicio integræ ad huc pacis fœdus suo impulsu turbari, belloq; initium præberi uoluerit. Nec multò post Pontifex arma proferre & bellum inchoare maturauit, ob id celerius quoniam Mediolani quosdam patritios nouis studentes rebus infidelitatisq; reos, Lescutus cum magna inuidia teterrimis supplicijs affecerat, & reliquæ ciuitates erumpente in Gallos odio defecturæ uiderentur. Itaq; Prosper Colūna in locum defuncti Cardonij suffectus Bononiã peruenit, ubi cohortes Italicæ scribebantur. Hunc subsequutus est Piscarius cum uetere Hispanorum legione & secundum eum Antonius Leua cum equestribus copijs. Creatus quoque est Pontificij exercitus Imperator Federicus Gonzaga Mantuanus Princeps; descenditq; è Germania Franciscus Castellatus cum quinque uexillis peditum Germanorum; nouæ etiam Helueticorum cohortes ex ea factione quæ à Gallis dissentiret, Pontificis pecunia conductæ accitæq; sunt. At Alfonso in eo graui armorum motu ueteres alas equitum suppleuit, conscripsitq; nouas cohortes, ut in utrunq; belli successum paratus foret, ad tentandas, si Galli superiores euaderent, Rhegiensium & Mutinensium uoluntates; aut si quid durius illis accideret, suos fines expeditis

peditis praesidijs tueretur. Interim Pontificij oppugna-
 ta & semicapta urbe Parma citra Nicæam amnem se-
 receperunt, quod Lotrechius Heluetijs & ipse legioni-
 bus confirmatus, adiunctoq; sibi cum Venetis copijs
 Andrea Gritto, Pado traiecto se praelio dimicaturum
 ostendisset. Verum non multo post Pontificij duces in-
 crepante segnitie Leone, urgenteq; Iulio Medice Car-
 dinale qui Legatus in castra uenerat, superato Pado
 in Cremonensem agrum transierunt: & intra paucos di-
 es, Ollio, Abduaq; annibus superatis, Lotrechium nus-
 quam praelio decertare ausum Mediolano pepulerunt.
 Quo tempore Alfonsus quibus potuit officijs Gallos
 adiuuit, & per equites circa Gabellum amnem excur-
 rentes Pontificis tabellarium interceptit. Eae literae qua-
 quam arbitrarijs conscriptae notis, Soro tamen Veneto
 scriba interpretante intellectae, & ad Lotrechium in-
 castra perlatae sunt. Cuius facti contumelia Leonis ani-
 mum ita pupugit, ut Alfonsi finibus arma protinus in-
 ferri iuberet. Remanserant ad tutelam duarum urbium,
 quibus tanquam sibi iniquè creptis Alfonsus imminabat,
 Vitellius Tiphernas cum duabus utriusq; armaturae e-
 quitum alis, & Calzemitus Heluctius cum tribus suae
 gentis peditum uexillis. Eae copiae ad Bondenum usque
 uicium irruptione hostiliter fecerunt. Alfonsus paulo
 ante de profectione itinereq; hostium per exploratores
 certior factus, copias suas eduxerat, pontemq; ex lin-
 tribus in ea parte Padi statuerat, quae Ferrariam decur-
 rit: nam altera pars amnis peninsulae rostro intercisa
 maiore aquarum mole defluit ad Francolinum, & Pulicel-
 lam Venetae classis clade celebratam. Hanc autem Padi

partem obscuræ aquæ lacum vocât, quod alludit ad id quod de Bondinco Plinius refert. Eam enim uocē Gallica lingua profundum significare dicit, quod idem ferè est quod obscurum; sic ut Plinij Bondincum, id hodie esse putem, quod uulgo Bondenū appellatur. Iuxta citioris ripæ marginem turricula erat cum parua munitione quæ casulas circumdabat, ubi portorium & uectigal à præternauigantibus exigebatur. Hunc locum Cabriana præfectus egregiè fortis cum præsidio cohortis obtinebat. Non longè autem ab eo cõsiterat Hector Romanus cum ampliore militum manu: reliquæ copiæ erant apud Alfonsum. Iam aliquantū itineris festinate descensione emensi erant Vitellius & Galzemitus, quæ Furnius cum leuis armaturæ equitib. exploratum missus, citato cursu Cabrianae nunciat non longè abesse hostes. Ille repentina re perturbatur, eo uehementius quod antea munitioni diffusus, frustra ab Hectore postulasset ut sibi auxilio cohortem mitteret. Sese tamen non deserit, detestatusq; apud suos conceptæ fugæ consilium hostem expectare constituit, indentidem ab Hectore opem implorans, & quo in periculo uersetur edocens. Sed Hector superbè malignèq; pernegauit ei opus esse alio præsidio quum eum de aduentu hostium rumorem omnino incertum esse insolenter dictitaret. Ita destitutus spe auxiliij Cabriana superuentu hostium oppressus, uel strenuè repugnans cum suis interficitur. Tum uero Furniani equites dilabuntur, totaq; Hectoris manus ducis sui ignauiam secuta, uix conspecto hoste terga uertit. Quo detrimento suorum cognito Alfonsus necessario consilio pontem repente solui, & in suam ripam integræ

integra nauium serie reduci iussit. Qua re opportunè
 atq; celeriter administrata, hostium impetus haud du-
 hic retardatus elususq; est: quum eodem cursu quo tur-
 rim interfecto praesidio occuparant, si pontem nacti
 essent, transituri anem, & ad Ferrariae usque moenia
 nulla certa & ualida manu obsistente peruasuri crede-
 rentur. Hector ignominia notatus suspectusq; perfidiae
 quòd ignauissimè se gerens accepti incommodi causam
 praebuisset, ab Alfonso irato dimissus est. Perductus e-
 nim fuerat in eum honestissimae militiae locum opinio-
 ne uirtutis, quòd unus è tredecim bellatoribus fuisset,
 qui in Apulia pro dignitate Italici nominis cum totidè
 Gallis feliciter depugnassent. Sed tum ubi praesenti uir-
 tute opus fuit, aut hebes ingenio, aut alicunde pecunia
 corruptus, opinioni minimè responderat. Audiui ego
 postea Antonium Pucium Antistitem Pistoriensem qui
 his copijs legati nomine praerat, de Vitellio & Calze-
 mito aperte conquerentem, quòd secus ac ipse uolebat
 post primam hostium caedem, legendis spolijs cunctan-
 tius substitissent, praebuissent ea mora spatium Alfonso
 reducendi pontis, quo occupato Ferrarienses in maxi-
 mum timorem adduci posse existimabat. Ceterum ab
 hac re gesta Pucius Placentiam cum his copijs est reuo-
 catus, quòd Placentini in fidem pontificis ultro conces-
 sissent, & Parmenses Placentinorum exemplo Rober-
 tum Sansseuerinum qui Gallicas tuebatur partes eiecis-
 sent, Pontificijq; Imperij insignia, quae à Gallis derasa
 fuerant, ingenti alacritate reposuissent. Verum eo mo-
 do profligatis Gallorum reb. Leo Pontifex in ipso uix-
 dum perceptae uictoriae gaudio praepro pera morte est

ereptus; cuius opportuno excessu Alfonso ita in præ-
 sens latatus est, ut mox de successore magnopere esset
 sollicitus, pecuniam tamen argenteam percipi iussit cū
 imagine Leonis hianti ore agno imminentis, cuius ti-
 tulus erat Agnus ex ore Leonis ereptus. Hanc tamen
 monetæ formam, quod eius argumentum inuidiæ ex-
 positum uideretur, celeriter aboleuit. Leoni autem tur-
 bulentissimis comitijs Hadrianus Batauius, qui tum præ-
 erat Hispaniæ, suffectus est. Is enim eximiæ probitatis
 nomen præferbat. Ad hunc illico Alfonso officij &
 procurationis rerum suarum causa, Ludouicū Catum
 præcellentem iurisconsultum misit, qui iniquissimo iu-
 re sibi ereptas paterni Imperij urbes quereretur; impe-
 ritumq; Italicarum rerum de statu belli & pacis, ciuita-
 tumq; liberarum, & Principum consilijs perdoceret.
 Is non multò post æqui iuris & sumæ moderationis re-
 sponsa retulit, eumq; à Tarracone Romam ad nauigan-
 tem comitatus est. Qua spe componendæ rei adductus
 Alfonso, qui Rhegium per eosdem ferè ciues per quos
 antea amisisset per interregnum receperat, uenienti ad
 urbem Pōtifici Herculem è liberis natu maximum ob-
 uiam misit, qui patris nomine se ad eius authoritatem
 conferret, & uolens, lubensq; totius controuersie sta-
 tum ad Pōtificis arbitrium se delaturum profiteretur.
 Nec multum inde honestis conditionibus pax inter Pō-
 tificē & Alfonso constituta est. Sub id uerò tēpus quo
 Hadrianus in Hispania publicis præfectus rebus ad
 nauigandum classē comparabat, & à Triumuiris Se-
 natorij ordinis in Vrbe Respublica gerebatur, Alfon-
 sus sese cum Iulio Medice Cardinali, qui tum legatus
 Bononiæ

Bononiæ præerat, in mutuum usum deterfis odijs conciliauit, missoq; ad eum Antonio Cōstabile, operam dedit, ut ueteres offensiones nouo amicitie uinculo deleuerentur; atque ex eius auctoritate, quæ tum erat ex Etrusci Imperij opibus longè maxima ad parandam pacem aditus præberetur. Hisdem quoque diebus Franciscus Maria Feltrius, qui Leone mortuo, ueteris Imperij sui dominatum receperat, res suas cū Pontifice ad omnia lenissimo simul & æquissimo cōposuit. Ceterū Hadrianus uix toto uertente anno, quū aduersus Gallos pro Casare cum Italiæ Principibus fœdus iniisset, & mores sacerdotum aulæq; licentiam correcturus esse crederetur, lenta febre extinctus est, quum pecuniæ inops in ærarium prorsus inane, Urbemq; pestilentia laborantem, & Tyrānos Pontificij imperij urbes impotenter occupantes, Rhodumq; à Turcis obsessam & ex pugnata, iniqua nominis sui sorte planè miser incidisset. Inde autem Iulius Medices quum iuniorum prærogatiua multis rationibus corroborata contra seniores ualisset, Clementis septimi nomine desumpto, Pontifex est renunciatus, cui Alfonsus per legatos eum summi honoris apicē ex animo gratulatus est, eo euentu ut statim eū & Gallis & sibi hostē futurū prouideret. Paulo ante id tempus Lucretia Borgia Alfonsi uxor integra adhuc ætate defuncta est, quū ea iam pridē persanctē castigato uetere luxu, abdicatisq; delitijs Christianæ disciplinae seueritatem induisset. Ex ea Alfonsus masculā prolem felici fœcunditate suscepit: Herculem scilicet primo partu, quem hodie auito nomine paterni imperij successorem uidemus; secundo Hippolytum patrui

nomen & dignitatem consequutum, quem multis inclytæ uirtutis nominibus in sacra purpura conspicuè ueneramur. Postremò tertium in honorem Gallie Regis Franciscum appellatum, qui apud Carolum Cæsarem insignis gratiæ locum armorum studio partum egregiè tuetur. Cæterum Lucretia nequaquam muliebri animo inanem simulatæ religionis laudem quærens, uerùm solidi nec interituri unquam meriti fructum expectans, ex priuatis suis opibus cœnobium cum ornatiſſimo templo constructum sacratis uirginibus ex ordine primæ nobilitatis dedicauit. Sequutum demum est id tempus, quo in auspicijs Clementis consilijs totius Italiæopes cum perturbatione diuinarum, humanarumq; rerum uehementer commotæ, conuulsæq; sunt: initio Cæsarianis ducibus orto, qui Franciscum Sfortiam sœderatorum Principum consensu restitutum, perfidiæ reum fecerant, periculosòque morbo conflictatum, exutumq; omnibus ferè urbibus in arce Mediolani obsederant. Neque enim Borbonius, Landius, atq; Piscarius, & Antonius Leua Cæsaris duces post Ticinensem pugnam, & deuictum captumque Regem Gallum æquo animo patiebantur Sfortiam opulentissimo Insubrum imperio potiri, quòd Cæsarianorum militum uirtute partum Carolo Cæsari deberi uideretur. Eam externorum insolentiùmque ducum atrocem audaciam in perniciem seruituræ mox Italiæ euasuram providebant, quum Pontifex ipse, tum Venctus Senatus, & Franciscus Rex, qui dudum persoluto auro, & duobus liberis obsidibus in Hispaniam missis, sese redemerat. Itaque Pontifex quum diu frustra apud Cæsarem

sarem pro Sfortia deprecator fuisset, & Caesar constā-
 ter suorum consilijs inniteretur, arma expedire coa-
 ctus est. Belli enim & pacis arbiter, & causæ Sfortia-
 næ disceptator, tanquam sacrorum princeps esse uole-
 bat, ut Italiam seruitutis metu liberaret. Verum For-
 tuna contra ius, & æquum facile pertinax, tum præ-
 clare ostendit, nihil in legibus foederum firmi esse præ-
 sidij, ubi uis & arma ualere cœperint, inaneq; haberi
 religionis nomen apud eos, qui res humanas parum cu-
 rare esse Dijs immortalibus, credunt. Ea siquidem su-
 scepta consilia usque adeo iniquum & calamitosum e-
 xitum tulere, ut copiæ à foederatis coactæ, quum Cæ-
 sarianos obsidentes Sfortiam obsessuræ, oppugnatu-
 ræq; Mediolanum aduolassent, irrito incepto cum i-
 gnominia pellerentur, ulsciscendæq; eius iniuriæ causa
 Vgo Moncata subnixus Columniæ familiæ opib. (hæc
 enim tota Principe Pompeio à Pontifice defecerat) è
 Neapoli Romam inuaderet, direptoq; Vaticano, &
 Clemente in arcem compulso fidei & pacis obsides e-
 xigeret. Tum uerò uidere licuit, nihil sanctum, aut ue-
 nerabile militibus esse, quum augustissimum toto terra-
 rum orbe diui Petri templum, direptis altaribus atque
 donarijs uiolarent. Exinde recruduit bellum, sed demum
 resedit, quum Lanioius Prorex oblata pace Caesaris no-
 mine è Neapoli in Urbem uenisset. Verum conscriptis
 uti apparuit ad fallendum foederibus, eadem Fortuna
 quæ urbi exitium struebat, fidē foederis ita interceptit,
 ut non multò post temporis spatio Borbonius aduentu
 Germanicarum legionum auctus, & foedera à Lanioio
 percussa, tanquā inania eludens, rectā ad opprimen-

dum Pontificem Roman iter intenderet. Initio huius belli Alfonsus per legatum Iacobum Aluarotum singularis industriae hominem de compositione rerum suarum apud Pontificem opportunè & diligenter egit. Existimabat enim eum solito æquiores & molliorem inuenturū, quòd sumēti arma cōtra Cæsare magno usui se futurū esse intelligebat, si in cōmune totius Italiæ Principum fœdus honesta Pontificis indulgentia traheretur. Verū Clementem alioqui à multo rerum usū cautum, & belli pericula sedulo metientem, eadem mā ligni Fati iniqua fors ex arce consilij deiecit. Iam enim composita res erant, non indignis utrinque conditionibus, cū eius negotij rem propè transactam duo insausi consultores importuna interpellatione conturbarūt. Hi erāt Iacobus Saluiatus cōsiliorū omniū particeps, & Marius Peruscus fisco præpositus. Hic cōficiēda rei certum sibi præsentis pecuniæ pretium Alfonso indignum impudenter expetebat; ille uerò priuato suo cōmodo potius quàm publico studere uidebatur, quòd salinarum uectigalia sibi publicano à Leone addicta ea transactionis stipulatione deteriora fieri providebat. Per hunc modum abrupta spe concordia Alfonsus ab hac contumelia indignabundus Cæsarianis tanquam Clementis hostibus sibi adhaerendum iudicauit. Nemo enim eo aptius ac expeditius, cū diuersa tempestates nauiganti occurrerent, uela flectere, excipere aurās, armamentaq; mutare didicerat. Fuere nonnulli ex familiaribus Pontificis, qui libero ore spreti Alfonsi, repudiat, eiq; eius amicitia factum, tanquā intempēstiuū, & maximè incommadum prædamnarent. Quid enim enixius

enixius contendere expetique è Pontifice poterat, in ipso præsertim limine tanti imminentis belli, quam ut quos posset Cæsari socios detraberet, ut sibi asciscerentur, quâdo vni tantum summæ uictoriæ neglectis offendiculis, à non insulso studendum esse uideretur. Eo autem liberius ac honestius Alfonso ut cum Cæsarianis sentiret adductus est, quòd deploratas penè res Gallicas, & se non obscuro accepti beneficii nomine Carolo Cæsari obstrictum fateretur. Superiore siquidem anno post abductum in Hispaniam Regem, Clemens cum Cæsare certa pactione foedus renouarat, quo ipse ingentem pecunie uim proferret ad persoluenda Hispano militi stipendia, qui ab tanta uictoria æquo insolentior atque procacior factus, non mensum modò, sed aliquot etiã annorum merita stipendia postulabat, ac nisi confestim pecunia numeraretur, Mediolanensis imperij urbium agros hostili acerbitate uastaturus minabatur. Verum Clemens natura auri tenax, non prius pecuniã deprospit, quam Lanioius, apud quem rerum omnium summa erat authoritas, Cæsaris nomine disertè promitteret, se Rhegio Hispanorum copias admoturũ, atq; eam urbem Pontificiæ ditioni redditurũ. Sed postea Clemens à Lanioio addita cõtumelia deceptus est: nam præterquã quòd promisso minimè stetit, quoniã id foedus Cæsaris tanquam alienum à suis rationib. ratum habere noluerat, nõ restituta etiam pecunia Hispanos in Placentinũ agrũ effudit, impudenti licetia hostilẽ propè cladẽ Placentinorũ & Parmensiuũ uicis & prædijs afferentes sic ut Rhegiũ eo decreto Cæsaris nihil temere stipulantis, non modò inopinatè seruatum Alfonso, uerũctiam

perspecta propensione Caesaris præclare confirmatum fuerit. Descendentibus itaque per Mantuanum agrum Germanorum legionibus, ut coniunctæ Hispanis Romam cõtenderent, Alfonsus ea quæ opus erant, usque adeò amicè benigneq; officia præstabat, ut ad eas omni penitus tormentorum apparatu carètes, duo minora curulia tormenta aduerso Pado submitteret. Hæc enim magno in lintre inter salis sacculos & storas occultata fuerant, miroq; mox usui Germanis extiteret. Nam quum iuxta Mincij ostium quo influit in Padum, Germani per aggeres agminatim facerent, eosq; Ioannes Medices frequentibus prælijs transuersos pariter & auersos per expeditas sclopettariorum cohortes, & leuis armaturæ equitatum multis occisis uulneratisq; continenter impeteret, ipse unus Medices acrius perurgens, pila in incertum ab his tormentis emissa genu ictus, interfectusq; est, fatali Italiae malo potius quam Mediceæ familiæ detrimento: quando mox ab huius mirificæ infauitæq; uirtutis ducis interitu publica spes & opes magna ex parte collapsæ sint. Etruscum uerò decus & Imperium Cosmus filius singulari hodie cum gloria atq; authoritate tueatur. Erat enim tum constans apud omnes opinio neminem nostrorū ducum Ioanne fortius, & certius Romani nominis dignitatem aduersus externas hostes fuisse defensorum. Nec multò post Georgius Franisbergus Germanorum Dux, ab inuisitata rabie feritatis aureum laqueum quæ sinu deferebat, sacrorum Principi & totidem singulis Senatoribus purpureos sericos, ut se carnifice necaretur,

tur temulento ore cominatus, in morbu, que Paralyfim
 uocant, sic incidit, ut diuino iudicio totis captus artu-
 bus eius immanis uoti damnaretur. Hunc Alfonsus cu-
 randum medicis Ferrariam deuehi iussit, contulitq; ei
 liberaliter cuncta hospitalis amicitiae officia, qua beni-
 gnitate tanquam intempestiua inuidiosaq; in hominem
 praesertim impium, Clemens non mediocriter est offen-
 sus, propterea quod Franisbergus iam pridem odio Ro-
 manae amplitudinis ad Lutheranam haeresim deficiens,
 has quoq; diri supplicij minas effudisset. Vbi uero ad
 prima adulti Veris initia Germaui Hispanis sibi adiun-
 ctis Duce Borbonio in Bononiensem agrum se dimise-
 re, & positis apud Castellum diui Ioannis castris con-
 meatus inopia premerentur, Alfonsus insigni studio
 omnibus eos rebus iuuare perscuerauit. Barbarorum
 enim more armentis captis & absumptis, reconditisq;
 frugibus turbulenta militum licentia direptis, uilla-
 rum incendia usq; ad urbem protulerant. Neque Fel-
 trius cum Venetis copijs, aut Michael Salassus cum
 Gallicis, aut Guido Rangonus cum Pontificijs, uel tan-
 tarum cladum indignitate permoti, consilia expedi-
 re, & arma conferre audebant, satis ad salutem sum-
 meq; uictoriae prouentum bellum geri existimantes, si
 circummemisso equitatu commeatus impedirent, quibus
 sublati & erepti hostes fame compulsos necessario
 iter retro conuersuros putabant. Caterum Alfonsus
 his difficultatibus opportunè occurrit, quum magnā
 moliti tritici copiam, atque item per amplam uim cum
 recentis panis, tum nautico more biscocti, ut in multos
 duraret dies, quotidie suppeditaret. Praesenti quoque

pecunia mutuo præbita Borbonium militari seditione
 afflictum, & iratis militibus in summae contignationis
 latebras mortis metu confugientem subleuauit, seda-
 taq; seditione progressuro tormenta obtulit. Sed Bor-
 bonius, qui una celeritate hostes decipere, Põtificali-
 imparatum, & frustra à Lanoio recentis foederis fi-
 dem implorantem, opprimere posse sperabat, ea tor-
 menta ad Apennini radices reliquit, ut expeditius Are-
 tinis iugis in Etruriam transfiret. Eo festinato cursu Fel-
 trium & reliquos hostium duces, qui dextrosum usita-
 tis itineribus ut Florentiæ præsidio forent, transierat,
 ita antecessit ut illi nusquam quiescentem, & interdum
 noctuq; per lutulenta itinera milites prædæ auidos ra-
 ptantem assequi nequiuerint. Itaq; improvise urbem
 male munitam & iusto carentem præsidio aggressus,
 dum scalam sua manu muro apponeret, crassiore glan-
 de per summum foemur adacta, aliquanto prius quam
 milites irrumperent, dubia adhuc uictoria est interse-
 ctus, insigni hercle Dei magni prouidentia, quando
 eius auso facinore potiri letariq; noluerit, & totius
 eius impietatis atq; perfidiæ præclarus uindex extite-
 rit. Sed milites expirante Borbonio in urbem irrum-
 pentes usque adeo immaniter uictoria usi sunt, ut dire-
 ptis profanatisq; templis, ac crudeli cæde ciuium edi-
 ta, & imbellibus excruciatas, obsesso captoq; Põtifice,
 ueterum Gothorum seuitiam magno interuallo supe-
 rarint. In hoc tanto strepitu cadentis Urbis, & capti
 Pontificis calamitate, Alfonsus occasione suæ non de-
 fuit, quanquam spretæ religionis admissum scelus, &
 publicam cladem magnopere doleret, crebroq; præpo-
 stera

stera Clementis consilia detestaretur, quòd imperiè atq; infelicitè se contemptum abrupta concordie spe fuisse diceret. Itaq; Alfonsus exploratis Mutinensium uoluntatibus quæ erant erga Ateslinum nomen propensissima, coacta equitum & peditum manu Ferraria profectus Mutinam sine tormentis iter intendit: nam antea tenuè ibi esse præsidium, Ludouicumq; Rangonum infirmi consilij hominem, & capti Pontificis calamitate uebementer perterritum esse didicerat.

Quibus de causis Rangonus uim aduentantis Alfonsi minime sustinendam ratus, desperata defensione ciues suos, ut sibi consulerent, admonuit, & nemine ad arma se commouente urbe excessit, atque eo modo post sextum decimum annum Alfonsus à Mutinensibus receptus est, & lætis populi acclamationibus Princeps salutatus. Is autem summa grauitate consilij, omnibus qui antea defectionis authores fuissent integra fide percipit, in gratiamq; recepit, quod eo libentius factum uidetur, quoniam seniores, qui deprauatis & pertinacibus animis infideliores habebantur, tot annorum spatio magna ex parte periissent. Edictum quoque proposuit iustæ clementiæ, quo cuncti exules, patritiique in primis Rangoni, re omnium incolumi, saluòque ueteris amicitia iure ad penates uocabantur. Nihil enim sibi ad laudè & securitatè efficacius & splendidius existimabat, quàm iniuriarum penitus obliuisci, beneficioq; & lenitate subiectorum animos redimere, ut urbs multis affecta malis, quæ esset imperij uetustissima, lætæ pacis & securitatis còmodo instaurata resloresceret.

Hic amissæ Mutinæ nuncius Clementem magnopere perturbauit: sed is demum uario concursu calamitatū fractus longè grauiſſimum subiit dolorem, quum Florentinos ad ueterem erectos libertatē defecisse cognouisset, atq; obiter expulſiſſe Mediceos adoleſcentes Hippolytum & Alexandrum, qui in ſpem inueterati domi natus educabantur. Ea defectio cauſam Alſonſo præbuit, ut rursus Gallis ueteribus amicis & ſociis iungeretur: nã quū iam multos menses Clementē deditum & planè captū Caſariani peruastata urbe in arce molis Hadriani cuſtodirēt, Frāciſcus & Hēricus Reges publicam iniuriam inuſitati eius, impij q; facinoris uindicare, & ſacroſanctum Pontificem e manibus ſceleſtiſſimorum militum eripere, maximè decorum atq; honeſtiſſimum exiſtimarunt, quòd hic ſe Pontificiæ dignitatis illuſtri titulo ſub Iulio Pontifice parto deſenſorem profiteretur, ille uerò antiquum Chriſtianæ pietatis cognomentum præferret. Itaq; Lotrechius qui unus ſerè ueterum Ducum in Gallia ſupererat, cum ualidiſſimis copijs in Italiam eſt miſſus, cuius impetum Caſarianæ præſidia quæ Boſchum oppidum, & Alexandriam, Ticinumq; urbes obtinebant, minimè tulerunt. Quibus expugnatis Gallus ita Medioloano imminebat, ut Antonio Leua multis rerum difficultatibus circumuento, metuenteq; ampliffima urbe quæ Regni eſt caput omnino potiturus eſſe crederetur, niſi peruerſo & ſibi demū fatali conſilio actus, dum Sfortiæ recuperati principatus Fortunā inuideret, propriæ uictoriæ ſuæ deſuiſſet. Signa enim per Flaminiā Neapolim uertit, quo itinere cum Florentinis ſœdus ea conditione percuſſum

cussum est, ut Gallus eorum libertatem se defensurum
 polliceretur, quum ei legionem delectorum militum
 Horatio Baleono duce iure noui fœderis adiungeret.
 Alphonſus quoq; qui multis de causis in rem suam turbis
 lento eo tempore satagebat, Gallo deesse non potuit,
 summæ præsertim spei, & summæ æquitatis bellum ge-
 renti, eiq; insignem alam equitum Cantelmo præfecto
 attribuit. Ceterum Lotrechius Clemente iam post septi-
 mum mensem ex certa pecuniæ pactione arce elapso
 eius belli exitum tulit, ut ipse Casarianis in urbem Nea-
 polim strenuè compulsis, & diu obsessis, ingruente per-
 autumnum pestilentia, cum uniuerso propè exercitu
 cunctisq; cum Gallis tum Italis ducibus statuis in ca-
 stris perierit. Nec ei Clemens quanquam præclaro Ro-
 manæ urbis liberatori, multis rerum difficultatibus la-
 borati oppressoq; ut opem ferret abduci potuit. Quæ
 una Pontificis auctoritate, pecunia & copijs, Galli op-
 portunè subleuari, & deleri continues hostes facile
 potuerint. Prouidebat enim se penitus exclusum uete-
 re dominatu patriæq; Florentia, neq; eam posse Galli-
 cis repeti armis, postquam Florentini cum Lotrechio
 societatem spei suæ alienam & penitus aduersam ini-
 re maturassent. Erat itaq; uni huic uoto incumbenti,
 ut restitui posset, Casari parcendum, acceptæq; iniuriæ
 penitus obliuiscendum, ut ab eo maturam opem exige-
 ret, à quo uel cum inexpiabili dolore uulnus accepis-
 set. Atque ita renouata amicitia percussoq; nouo, fœde-
 re, Casarem ab Hispania in Italiam accersiuit. His au-
 tem legibus fœdus inter ipsos ictum confirmatumq;
 est, ut Casar à Pontifice, Cardinaliumque è senatu

solenni atque usitata ceremonia Imperatorio diademate coronaretur : ipse uerò Pontificem suis copiis, & communi sumptu Florentiam reduceret, ac Florentinis tanquam maiestatis reis, quòd contra se auxilia Neapolim misissent, antiqua iura libertatis eriperet, Alexandrumque Medicem, quem generum ex foederis tabulis sibi asciuerat, Augustali auctoritate principem imponeret. Igitur Clemens Romam profectus Bononiam uenit, quòd Caesar classe Genuam appulsus cum illustri comitatu descendebat. Adfuit etiam Casari cum uetere exercitu Antonius Leua, Augustæ dignitatis & securitatis causa ad eam celebritatem euocatus. Transuentem autem Casarem Alfonsus Rhegij, & Mutinæ hospitio, uti debebat, splendidissimè & studiosissimè suscepit. Erat in magna expectatione hominum is congressus duorum maximorum Principum, qui modò inter se hostes conflato bello acerbissima odia exercuissent: nam in publico ornatißimo subsellio, erat futurus. Sed resedere statim iræ reuocatis ad religionem animis, deterseque sunt simultates, quum ex animo conciliati nouam amicitiam mutuo commodo & pari utilitate metirentur, ita ut mutuis oculorum obtutus, certo utrinque tranquille mentis indicio, ueterum malorum causas, & nouorum impendètiuum suspitiones post secretiora colloquia facile delerent. Actitatum subinde est, seuerè initis grauissimorum consiliorum rationibus, de componendo Italiae statu, parandaque publica pace. Nam tum Solymanus cum innumerabilibus copiis è Pannouia in Noricos fe-

nes penetrarat, frustraꝫ; quòd sine tormentis prouo-
 lasset, tentata Vienna, excitatisq; passim incendijs, &
 abducto in seruitutem magno Germanorum numero
 ea mente discesserat, ut se reuersurum atq; omnia fer-
 ro & igne absumpturum minaretur. Hæc cladium pe-
 ricula à tanto hoste nunquam temere denunciata, pu-
 blici consensus, & firmissimæ pacis remedia flagita-
 bant, quæ parari non poterant, nisi Cæsar Franciscum
 Sfortiam quorundam liuore tanquam calumniæ præ-
 dæq; expositum, maiestatis reum factum, benignè igno-
 scendo, & Pontifici, & Venetis deprecatoribus con-
 donaret, & Alfonso repetita concordia à Clemente
 in gratiam reciperetur. Nec mora, ambo euocati sub
 fide publica Bononiam uenere, non multoq; post Sfor-
 tia Cæsare ad æquitatem & clementiæ laudem gene-
 rose composito, paternum imperium octingentis mil-
 libus aureorum nummum impetrauit. Alfonso autem
 quum Põtifex sibi omnibus aduersæ Fortune malis obru-
 to Mutinã ademptam fuisse quereretur, Cæsare totius
 controuersiæ disceptatorẽ appellauit, atq; constituit.
 Nec conditionem renuit Clemens: uerum sibi cauendum
 ratus, hoc seorsum à Cæsare postulabat, ut si productis
 & inspectis utring; iurium documentis, Pontifici cau-
 sa cadendum fore prænosceret, ex sua tunc indulgentia
 pudoreq; sententiã non diceret, sed compromissi diem
 exire sineret, ne iura Pontificij Imperij eo prolata sen-
 tentiæ præiudicio eripi uiderentur. Ut hunc modum
 utroq; ad stipulante, quum Cæsar totius finiedæ litis ar-
 bitrium accepisset, Mutinæ decedentibus. Atestinis ma-
 gistratibus cum Hispanorum præsidio Petrum Zaba-

etiam imposuit, Alfonso quidem magnopere anxio sus-
 pensoq; sed nihil de Caesaris equitate atque pruden-
 tia dubitante, quod rebus suis Caesaris rationes inclu-
 sas esse intelligebat, quando maiores ipsius Aetstini
 Principes beneficiario iure Mutinam à Caesaribus ac-
 cepissent, neq; Caesar sibi sapiens, & sui iuris apprimè
 tenax id Augustalis iuris nomen temerè aboliturus cre-
 deretur. Alfonso demum coronatum natali suo Cæsa-
 rem & in Germaniam contendentem quod tanti spe-
 ctaculi celebritati interesse nequiuisset, ad Mantuanam
 est affectus, ubi honoris & officij causa maiores libe-
 ros Herculem & Hippolytum in clientelam obtulit.
 Sub id uerò tempus quo Cæsar per Tridentinas alpes
 & Rheni ripas ad natale solum in Belgas descendit, &
 Florentini compulsi in urbem à Cæsarianis & Pontifi-
 cijs iam multos menses obsidebantur, Franciscusque
 Rex confecta pace, ac liberis obsidibus receptis, Gal-
 liam tantis affectam detrimentis quiete atque ocio ad
 ueterem opulentiam reuocabat: sponsalia singulari hy-
 laritate celebrata sunt, quibus Ludouici Regis filia Her-
 culi Alfonso ex liberis natu maximo in matrimonium
 dabatur. Moriens enim Ludouicus ex Anna uxore,
 quæ Francisci citerioris Britanniae Reguli filia & uni-
 ca heres fuit, duas tantum filias reliquerat, Claudiam,
 & Renatam. Claudia Francisco Regi nupserrat, Rena-
 ta autem salubri consilio extra Galliae fines, in Italiaq;
 praesertim longè splendidissimè collocanda censeba-
 tur, ne si alicui Galliae procerum potentissimo iungere-
 tur, quod dimidiam maternae hereditatis partem se-
 cum traheret, illis oriri posset, cum aliena liberis Fran-
 cisci

cisci Regis ex Claudia susceptis, tum Gallia regno ma-
 xime damnosa: timebant enim ne inde intestini belli se-
 mina prouenirent. Profecto ad Belgas Casare, Regniq;
 sui publicas & priuatas res conuentibus habitis com-
 ponente, iam penè totum recepti arbitrij tempus efflu-
 xerat, quo Ferrariensis controuersia negotium expli-
 cari conficiq; debebat, propterea utriusq; partis lega-
 ti adhibitis iure consultis causam diligenter instruxe-
 rant. Ea uerò tum Casaris mens erat, ut sibi Augusti
 Imperij personam sustinenti, nihil temerè iudicando,
 decedendoq; de iure suo, quo authoritas lædi posset, om-
 nino detraheret, alieni autem iuris pondus sedulo ex-
 pendens, quæ præclare doceretur legitimis possessori-
 bus adiudicaret, ut mox euenit. Nam efflagitante Pon-
 tificis legato ut in causa pronunciaret, Caesar oblitus
 promissi, quum sibi non liquere impune dicere, & ar-
 bitrij terminum elabi sinere facile posset, conceptæ iu-
 stitiæ uim priuato pudori prætulit, & his legibus sen-
 tentiam tulit, ut Ferraria Pontificij Imperij authorita-
 tem libertatemq; perpetuò respiceret, & Alfonso po-
 steriq; eius se Romani Pontificis beneficiarios fide atq;
 obsequio profiterentur, certumq; auri pondus tributum
 nomine penderent. Mutina uerò tanquam Imperato-
 rij iuris, atque obiter ueteris concessionis beneficium
 iam pridem esset consecuta, Alfonso Atestinæq; domui
 redderetur. Ab eo autem graui auri pondus Clementi
 solueretur, si eius sententiæ beneficio uti uellet. Hoc
 promulgato Casaris iudicio Alfonso mirum in mo-
 dum est letatus, quanquam per Caselium iurisconsul-
 tum legatum suum, qui in aula diligenter ambiendo,

obtestandoq; singulos adibat consiliarios, quorum
 authoritati Caesar inuiteretur, permagnas pecunie
 largitiones factas didicisset. Id uero Clemens usq; adeo
 grauius ac indignanter tulit, ut nihil sibi molestius ac-
 cidere potuisse amarulentis sermonibus fateretur. Se
 enim deceptum à Cesare dicebat, qui secretioribus pro-
 missis fidem prolixè datam acceptamq; minimè presti-
 tisset. Nec multo post eius iniuriæ inflictum animo uul-
 nus apertissimè denudauit, quum aurum, quod centum
 millium aureorum nummum summam superabat, alla-
 tum Roman, & ex decreto Caesaris ad pedes prolata-
 tum, seuerè admodum repudiasset, frustra offerente ob-
 testantèq; Aluaroto legato. Negabat enim Pontifex se
 eam Cesarianæ sententiæ conditionem ratam habitu-
 rum, quæ Romani Pontificis nomē suggillare censeba-
 tur. Atq; ita Aluarotus nihil adstipulante admittenteq;
 Pontifice, expositum aurum collegit & retulit. Cle-
 mens autem ab altiore sella descendens, quæ in eo cu-
 riæ loco ubi mane Senatus habebatur erat posita, reni-
 denti ore ad me conuersus, qui eius actionis uocatus te-
 stis aderam, An tu Ioui, inquit, in historijs me auarum
 & pecuniæ cupidum perscribes? quum hunc tantum
 aureæ monetæ cumulum lubens & uolens repudiem,
 ut hinc ineptus & insanus fortasse existimer, quod
 presenti lucro & commodo Pontificiæ seueritatis exi-
 stimationem anteponam? Alio quoq; ingenti Caesaris
 beneficio Alfonso cumulatè est auctus: nam Carpi op-
 pidum de quo diuturna lite cum Alberto Pio conten-
 derat, ei cecit, legitimæq; possessionis iura per amplius
 Caesaris codicillis est consecutus, quoniam Albertus
 Gallicis

Gallicis addictus partibus, proptereaq; maiestatis reus factus de iure totius feudi decidisset. Ex hac benignitate centum millia aureorum nummum honorarij muneri nomine ab Alfonso persoluta sunt, ut in ararium Caesaris perueniret. Nouium autem oppidulum, quod Carpenfi ditioni erat attributum, de cuius possessione cum Alberti clientibus & copijs aliquandiu uario successu dimicatum fuerat, Alfonsus manu captum solo equauit, ne sibi pro tenui castello sepius sumenda arma forent, cuius redditus tutelae sumptum nunquam adaequaret. Redijt demum in Italiam Caesar, Bononiaeq; iterum Pontificem conuenit, atque inde adito Mediolano repetitaq; Genua in Hispaniam est reuersus, alienatum planè ab se Pontificè nò obscure diuinans, quòd eum Mutinensis sententiæ còtumeliã in praesens dissimulanti ore deuorata perturbato stomacho concoquere nò posse didicisset. Quae Pontificis alienatio in Alfonso ita recidebat, ut Clemes renouato odio, quod armis aperte nò poterat, insidijs ei perniciè moliri nò desineret. Nã sequètib; annis detectae sunt còiurationes duae, altera Hieronymi Pij, altera Bartholomei Còstabilis, quarum còscij fuisse nò obscura fama ferebatur Vbertus Gãbara, & Bernardinus cognomèto Barba, qui Bononiae magistratũ gerebãt, neq; enim uerissimile uideri poterat, honesti alioqui nominis Antistites, Gamba raq; praesertim summo Brixiae loco natũ nefario flagitio sese cõmaculare uoluisse, ut infamè operã gratuitò praestaret, quãdoquidè ad honorè Senatoriæ dignitatis Clemente facile promittète, uehemèter aspirare crederetur. Ceterũ Hieron. (is militari presidio Rhegij praerat.

non modò se eam urbem Pontificijs traditurum, sed Al-
 fonsum, ad quem nihil tale timentem sibi aditus omni-
 bus horis patebat, scelestam manu confossurum pollice-
 batur. Huius uerò immanis animi decretum solo insa-
 niæ morbo confirmatū, quando nulla alia atrocis odij
 extaret causa, nouarum rerū spes, atq; inde nouus opu-
 lentiae prouentus aluerat, eò quidem malignius & im-
 probius, quòd tum Marcus germanus frater legationis
 honore apud Regem in Gallia fungeretur. Huius com-
 positæ coniurationis quum nonnulli temere sermones
 à conscijs emanassent, horum uestigia non inanibus cõ-
 iecturis subodoraturus est Robertus Boschetus, à quò
 detestante atrocitatem sceleris indicium repente dela-
 tum est, quamquam is paterni supplicij memoriam re-
 tineret; Albertino enim erat genitus, quem ex duorum
 fratrum scelestam in Alfonsum conspiratione concidisse
 docuimus. Itaq; Hieronymus apud Rhegium appositè
 & dissimulanter captus, perductusq; Ferrariam in que-
 stione nõ diu perstitit, quin cuncta cogitati instructiq;
 sceleris suo ordine proferret, atq; inde de conuictio con-
 fessoq; capitale supplicium sumeretur. Constabilis ue-
 rò diu pensitatum facinus & malè tectum Hierony-
 mus Pepulus Bononiensis Patritius deprehendit, op-
 portuneq; detulit, magno Alfonsi beneficio, in inuidiam
 (ut credi par est) Vberti Gambaræ Bononiensis præ-
 genio turbidum relegarat in oppidum Centum Ferrar-
 iæ propinquum. Ipse porrò Constabilis erat tenuis-
 simæ autoritatis, extremæq; egestatis iuriconsultus,
 etate utiq; senex, & planè uecors, qui neq; opes habe-
 bat,

bat, neq; sui studiosos, ut id efficeret, quod improbo a-
 nimo patrabat. Is domum humilem mœnibus coniun-
 ctam atq; ita cohærentem conduxerat, ut si murum per-
 foderet, per id foramen, quos uellet hostes noctu admis-
 surus in urbem facile uideretur. Cõpositæ fraudis atq;
 perfidiæ is erat ordo, ut delecta militum manus ma-
 gnis limtribus frumentariæ negociationis simulatione
 secundo Pado demitteretur ad Thealdi arcẽ, pontemq;
 occuparet, atq; inde urbem edito clamore inuaderet,
 hinc arrepta occasione, quòd Alfonsus tum aberat ad
 Aponenses aquas ualetudinis causa profectus, & libe-
 ri eius uoluptario in secessu ad Belloguardum uillam,
 auita magnificentia per celebrem, ociosè rusticarẽtur.
 Itaq; patefacta Constabilis malignitate, præfecto rerũ
 capitalium negocium est datum, ut summæ perfediæ se-
 nem cõprehenderet, totiusq; conceptæ proditiõis se-
 rie exquisitis tormentis eruta in eum lege ageret. Nec
 multo post capite punitus intèpestiuus senex indignus
 nobili familiæ nomine, abscisis ceruicibus in foro ia-
 cuit, Deo maximo gratias habentibus Atestinis, qui se
 propitio numime seruatos, & incolumes fatebantur.
 Sub id tempus Clemens Masiliam enauigauit, ut cum
 Rege præsens colloqueretur, & Catherinæ iunioris
 Laurentij filiæ nuptias celebraret. Eam enim Henrico
 Aureliano natu secundo Regis filio desponderat. Eo
 congressu communicatis consilijs, ac aduersæ utrique
 Fortunæ casibus deploratis agitasse credebantur, quo-
 nam pacto immodicæ ac formidabili Cesaris potentia
 obuiam iretur. Sed ea consilia repenti eadem quæ sem-
 per à Cesare steterat Fortuna mirabiliter elusit. Nam

Clemens reuectus in Urbem non multò post in morbiẽ
 incidit, maximè diuturnum exituq; lethalem, sic ut re-
 petitis irritisq; semper remedijs ueneno tentatus crede-
 retur. Atq; ita ad sextum calendas Octobris, qui robo-
 re corporis aduersus omnem morbi contumeliam in-
 domitus putabatur, spiritu adhuc ferox è uita migra-
 uit. Quo nuncio Alfõsum incredibili uoluptate affe-
 ctum ferũt, geminato etiam mox insigni gaudio, quòd
 Farnesium Pauli tertij nomine desumpto primis comi-
 tialibus diebus ei suffectum audierat, hominem omni-
 bus sensibus Borgiae familiae coniunctissimum, ut pote
 qui Alexandri Pontificis memoriam gratissimo animo
 percoleret, à quo initium dignitatis accepisset. Reba-
 tur enim eum neq; sibi neq; liberis ex Lucretia Borgia
 susceptis unquam defuturum. Neque ipsum opinio se-
 fellit: nam initio statim Pontificatus minimè dubitauit
 quin latam à Cesare sententiam ratam haberet, totum
 que id auri pondus, quod Clemens publicæ dignitatis
 causa abstinentissimè atque sanctissimè reiecerat, pro-
 penso flagrantiq; studio reciperet, & Hyppolitum fi-
 lium Archiepiscopum Mediolanensem, ei collato ho-
 nore pupuræ in Senatum legeret. Verum Alfõsus uix
 duam Paulo Pontificatum gratulatus, usq; adeo grauem
 incidit in morbum, ut non diu, uel acerbissimi hostis
 morte, uel inexpectata amicissimi hominis felicitate
 letari potuerit. Trigesimo enim & quinto die post
 Clemẽtis mortem extinctus elatusq; est, quum octauis
 & quinquagesimum ætatis uix impleisset annum, Fe-
 runt eum nimio melopeponum esu per autumnalem
 intemperiem labefactat uentriculo accersisse febrem,
 cuius

cuius uim occultè grassantis uel temperetura firmis-
 mus sustinere non potuit. Præcessere mortem eius pro-
 digia quædam à curiosis obseruata. Conflagrauit in
 primis atrocissimo incendio prætoria tot Principum
 domus, tanto ciuium, & concurrentium ad resanguen-
 dos ignes pauore & strepitu, ut tota ciuitas rapacissi-
 mis atque impotentibus flammis cessura crederetur.
 Verum in summo inopinatoq; periculo Princeps egre-
 giè ante omnes fortis & impauidus, medias ædes salu-
 bri consilio euersis tectis proscindi iussit, periculosam
 operam strenuè quidè, sed non impunè nauantibus, qui
 Principis edicto ab emissis undiq; præconibus, & mul-
 to cæpani æris sonitu ad ferendam opè uocabantur. Pa-
 tesacta itaq; est dolabris atq; securibus multo cū labo-
 re, & miserabili quorundam interitu media ferè pars
 ædiū, usq; ad interioris porticus aræ, ubi erāt ad thea-
 trale usum edendis comædorū ludis per æpla cōclauia,
 ut surcetes flammæ, proxima queq; quamocissimè corrip-
 entes, in anibus aperti cœli spatijs occurrerēt. Sed non
 uno in loco rediuiuū edaci impetu resurgebat malum,
 eò quidem liberius & terribilius, quòd hybernæ præ-
 longæq; noctis densissimæ tenebræ, in tumultuosa con-
 cursatione pauorè augentes, cuncta prorsus humana
 subsidia retardarent. Hoc inusitati crudelisq; spectacu-
 li ostentum nequaquam ad triste ommen Alfonsus uer-
 tit, quoniam is igneus splendor certæ lætitiæ euentum
 prænunciaret. Nec ea opinione deceptus est: nam Re-
 nata nurus non multò post exoptatū marè peperit, eò
 pleniore omniū gaudio quòd pleriq; Renatā Annæ ma-
 tris foetura similè euasurā crederet, quæ iterato paratu

fœminei sextus geminam prolem edidisset. Hoc tranquillo uitæ exitu Alfonsus tanquam uotorum omnium compos, ideoq; beatus ex hac luce in cœlum migrasse credi potest, quando per omnem ætatem assiduo curarum æstu agitatus, totq; inimicitijs & cõiurationibus, ac durissimis bellorum difficultatibus circumuētus semper erumnosus, & nonnunquam in summa rerum desperatione miser apparuerit: quæ omnia conuertente se demum Fortuna magnis commodis expiata sunt. Tres enim Pontifices, qui Atestino nomini insensissimè hostes fuerant, immaturo Fato atq; opportuno tempore extinctos uidit, amissas urbes recepit, & quod semper exoptarat, Albertum Pium inimicorum longè grauissimum, cum à Cæsare damnatum, tū à Gallis in supremo pacis fœdere prætermissum, indeq; urgente animum dolore apud Parisios exulantem mortuum esse audiuit, scilicet ut eius ditionis factus hæres cumulata letitia frueretur. Prospexit quoque Alfonsus, quod exacte felicitatis existimari poterat, nominis sui sobolem multiplici cūm ex sua tum filij Herculis prole ad posteros longissimè propagari. Nam præter quinque liberos ex Borgia uxore susceptos, etiam duos mares ex Laura concubina sustulerat. Hanc enim abrupto celibatu, qui sibi ad dandam liberis operam æquè pronò & ualido noxius erat & molestus, à non inuito patre plebeio opifice uirginem acceperat, uel ob id præcipuè, quod neque decorum, neque tutum sibi iudicabat honestas ciuium familias stupris ac adulterijs dedecorare. Verum eam demum probis pudicisq; moribus, & statæ formæ dignitate ad genitū respondentē, & à fœ

lici fecunditate commendatam legitimæ uxoris loco
 habuit, & geminos ex ea filios de nomine suo Alfonso
 appellauit. Fuit Alfonso aspectu & natura subauste-
 rus, sed in familiari conuictu ualdè iucundus & facilis;
 mendacium in primis, furumq; & seditiosorum seue-
 rus hostis, cum in reliquis criminibus puniendis exora-
 bilem se lenemq; præberet. Vna tantum in re nimis se-
 uerus, & quibusdam immodicè terribilis uideri pote-
 rat, quòd suburbanos agricolas proprias ipsius Princi-
 pis uenationis & aucupij uoluptates intercipere au-
 sos proposito edicto se laqueo puniturum minaretur;
 eo tamen humanitatis temperamento, ut eius edicti se-
 ueritate in speciem tantum uteretur, cum atrocis male-
 ficij quosdam damnatos, falso appposito titulo ad deter-
 rendos rusticanos homines in furca suspendi iuberet,
 appensis scilicet ad collum fasianis, ut in eo prædæ fur-
 to deprehensi uulgo crederentur. Sed qui in omni ciui-
 li militariq; negotio mira prudentia grauitatq; iudi-
 cij plurimum ualebat, à quibusdam non obscura suba-
 grestis quæstus sugillatione notabatur, quòd salsamen-
 torum & pomorum omnis generis atq; olerum mono-
 polia per institores suos exercere diceretur. Nam opi-
 mæ piscationis circa Padusas usitata, & fructus ex am-
 plissimis ipsius hortis collecti expositiq; uenales, non
 toti modò aulæ, uerum etiam urbanæ multitudini expe-
 titam moderati pretij copiam suppeditabant. Aggeres
 nanq; uniuersos intra pomerium per decliua planaq;
 uti locus posceret, frugiferis arboribus, & inflexis ui-
 netis, digestisq; areolis perpetua uiriditate uestiuerat,
 quæ omnia diligenti cultura & perenni irrigatione,

ad id lata & nauigabili fossa ex Pado perducta, ad miram ubertatem omnium terra nascentium, & per amoenam deambulationis uoluptatem instituta, clari hospites mirarentur. Verum imperiti homines temere probra Principibus affigere soliti, nesciebant certissimos atq; sanctissimos redditus ex unâ maximè industria, & parsimonia quæ neminem lederet, facile prouenire, ut pote qui Principem prodigum & in consultâ liberalitatis mallent, quâ tenacè iusti & æqui patriæq; amantissimū & minime largitorem. His autem in rebus Alfonso sumæ fidei, summæq; æquitatis & diligentiae ministrus & moderator aderat Alfonsus Trottus, qui ararij fisci, & totius familiaris negotij rationibus erat præpositus. Ab hoc princeps admonebatur quâtâ pecuniæ uim tot bella, totq; impetratæ pacis sumptus, & tot admirandorum operū, quibus patriâ fecisset inexpugnabile, diuturnæ impensæ consumpsissent, quantū deniq; absumeret quotidianus liberorum luxus, qui ipso ad tranquillum remissi animi ocium, & familiarem conuictus disciplinam sponte subducto, uniuersum familiarū decus aulæq; frequentiam erudito atq; perpetuo mensarū splendore tuerentur; sic ut eū nisi à malignis & improbis auarum appellari posse iudicem; quando se creditorem existimari malle, quâ debitore profiteretur: ideoq; militi sua semper stipendia incorrupta fide ad diē persoluerit, & nunquā optimarū artium professoribus, qui in Gymnasio iuuentutem docerent, cōstitutâ præmia retardarit. Sic enim sibi cum securitatis, tū dignitatis suæ rationem constare existimabat, quarū alteram fide militum parari, alteram autem præclara florentis

rentis gymnasij existimatione sustentari nunquam honeste laudis oblitus arbitratur. His de causis cum esset natura edificator assiduus, ab eo insatiabili studio quod erarium exhaurire posset se temperabat. Nam civili elegantia potius quam Principali magnificentia aedes condiderat in insula Padi contra urbem, quam Beluederiam appellabat: ubi erant opaca uiridaria, atque Indici pecoris, nouarumque uolucrum peregrini generis septa. In aduersa quoque parte urbis alteram construxerat domum picturis et salientibus aquis per amoenam quam Montanam ideo uocabat, quod excelsis et nemo rosis aggeribus subesset. Neque enim his mediocribus edificijs quae erant ad temporariam uoluptatem difficillimis ardentis belli temporibus urbano in secessu constituta, proprium decus quarebat, sed ingentibus bellicarum munitionum operibus, et admirandis propugnaculis, mirificoque tormentorum apparatu, quibus cum sibi, tum ciuibus summa securitatis aduersus hostes existimationem peperisset. Quae omnia eo maiore cum admiratione incredibili sumptu coepta perfectaque spectabantur, quod nunquam ciuibus nominatim, aut publice pecuniam imperasset, nec milites per occasionem dilatati stipendij in agros sui imperij ut agricolarum copijs alerentur unquam emisisset. Curabat enim enixè, ut ciuium et uillicorum Fortune inter belli detrimenta essent incolumes, quod his maximè praesidijs, publica salus et decus urbis cum insigni omnium erga se studio subsistere et resflorere censerentur. Caterum Alfonsus aduersus parsimoniam et totius disciplinae suae obtrectatores sine iactantia differendo, hoc graui edito proloquio

ſapiffimè prædicabat, Principis inane eſſe nomen, &
 id contemptui atque iniuriæ ſemper expoſitum uideri
 niſi eius arario prægrandem ſignatæ pecuniæ uim, at
 te pericula congeſtam, contineri ſeruariq; omnis gene
 ris homines exiſtimarent. Id porrò non in ultima eius
 laude poſuerim, quòd lectiſſimos homines præcellentiſſi
 ſtudiorum atq; artium gloria florentes præcipuo in ho
 nore ſemper habuerit. Herculis enim patris exemplo,
 tanquam bellicarum rerum grauiffimis agitationibus
 occupatus, literarum ſtudia deſeruiſſe potius quàm cõ
 tempſiſſe exiſtimari uolebat; ſic ut nonnũquam eo in
 ſcitæ nomine grauiter offenderetur, & ore ingenuo
 certa pœnitentiæ ſigna daret; quòd pertinaci ualetudi
 ne tentatus, & ob id uariarum oblectationum leuanẽ
 querens, minus neceſſarijs quanquam iucundis fabri
 lium rerum opificijs ingenium occupaffet. Inter eos au
 tem quos reuereri, & ſeriò diligere erat ſolitus, præcla
 ra tum nominis fama eminebant, præter ipſos Matthe
 um Caſſellium & Ludouicum Catum iuris ſcientia cla
 ros, Nicolaus Leoniceus ſummæ eruditionis & inno
 centiæ ſenex philoſophus, & ſecundum eum Manar
 dus huius doctrinæ ſectator; ſed qui diuiti medico quàm
 algenti philoſopho propior eſſe mallet; amœnioribus
 autem literis liberaliter inſtructus Piſtophilus epiſtola
 rum magiſter, & Celius Calcagninus multæ uigiliæ
 multæq; lectionis honeſtam famam uarijs ſcriptis ade
 ptus: atq; item Andreas Maro extemporanea ſaculta
 te, quum Latinos uerſus effunderet poeta incompara
 bilis. Cæterum hos omnes authoritate Etruſcorum car
 minũ, & artiſſima Principis familiaritate Ludouicus
 Arioſtus

DVCIS FERRARIAE. 397

Ariostus anteibat: cuius in satyris urbanam grauitatem: in comœdijs nouum leporem & salem: in heroicis uerò miram granditatem, non insulsi homines admirantur. Hi ferè omnes hodie fato suo functi, ab ingeniorum monumentis (ut credi par est) diu in celebri fama hominum uiuent, & cum his proculdubio Alfonso ipse egregio suo merito luculentissimè celebratus. Præclaro enim gentium omnium consensu, boni studiosiq; mortales, qui in hac uita multis Fortunæ lusibus exposita, inçlytis augustæ uirtutis operibus, maximè diuturnâ laudem petunt, hunc unum ueluti summū ex tota laboriosæ uitæ agitatione fructū spectant, ut nominis sui memoria ad posteros nobili perenniç; literarum præsidio, postquam cæterea omnia tempus edax celeriter absumit, quamlongissimè proferatur.

F I N I S.

PAVLVS IOVIVS EPISC.
NVCERINVS CONSALVO
FERDINANDO CORDV.

be Principi Sueffano

S. D.



LVDOVICVS pater
tuus generoso perillustriq;
ingenio uir, cum ab Hispania
à Carolo Cæsare legatus
Româ missus apud Hadrianum
Clementemque Pontifices
in eo grauissimi officij
munere versaretur, usque adeo
splendore vitæ munificentiaque
liberalis animi, & denique
(quod ad promerendam gratiam
plurimum intererat) vrbana
comitate præcelluit, ut
vel à morosis & maximè parcis
Principibus, quæ in rem
Cæsaris forent, inusitata dona
feliciter impetraret, eum verò
omnium ordinum ex aula
lectissimus, quisq; vehementer
adamarret, ipsaq; præcipuè
Romana nobilitas studiose
percoleret. Is me tum in
præclara luce Vaticani
condendæ nostrorum temporum
historiæ acriter intetum, ex
optimisq; literarum studijs
si huic ingenuo labori nostro
non dubia vita proponitur,
non facile interituram laudem
& gloriam sperantem, humanissime
rogauit & impulit, ut peculiare
volumen de uita & rebus
gestis **MAGNI CONSALVI** eius
soceri auiq; tui, latinè
conscribendum susciperem,
quod suppressa eius viri laus,
à quibusdam annales angustè
scribentibus, & ab ineptis
quoq; poetis defraudata
videretur. Itaq; beneuolentissimo
homini

homini honesta petenti cohortante præsertim
 Eluira matre tua uirilis animi fœmina, alacriter
 sum obsecutus, ita ut continuis lucubrationib.
 idvolumen ad umbilicū ferè, nec præcipiti quĩ
 dem sed accurata quadam celeritate perueni-
 ret. Verùm crescente & iam propè confumato
 opere, exortum repentè bellum institutas vigi-
 lias interrupit, & pater tuus iussu Cæsaris Vrbe
 excedere coactus est, qui dum apud Colúnios
 proceres Marini cohortes conscriberet, in su-
 premum incidit morbum. Id cùm rescisset Cle-
 mens, & eger, ut in eo tumultu facilè accidit, ab
 agrestibus medicis miserè iactaretur, amicissi-
 mo ei homini extra belli causam Pontificiæ hu-
 manitatis officium omne præstandum ratus,
 me ante alios delegit, qui ad eum inuisendum
 contenderem: Quoniã intima familiaritate cõ-
 iunctum professioneq; medicum, & veterè Co-
 lumnix domus clientem proculdubio egrotã-
 tis animo atq; oculis gratissimum fore intelli-
 gebat. Itaq; id deposcente Pontifice, amicisq;
 probantibus, quòd salutis cura parãdi belli stu-
 dio potior esse censeretur, nec ideo publicæ si-
 multatis nomen priuatæ pietatis officium ex-
 cluderet, in Urbem lætica delatus est. Verùm
 morb. ex cõtumaci febre vitalia carpès, neq; in
 signium medicorum diligētia, neq; vllis omni-
 no uel exquisitis remedijs potuit mitigari, cùm
 integris sensibus expirantem hora fatalis eri-
 peret. Nec defuere qui eum mortifera potione
 sublatū temerè prædicarent, quòd sacrosancto
 Pontifici, Vrbiq; se infesta arma nisi lacessere-
 tur, illaturum esse, uti verè piũm decuit constã

tissimè pernegasset. Sed nullum omnino huius
 modi sceleris vestigium nobis apparuit. Inde
 tamen paucis admodum diebus, conceptum
 antea immane facinus Vgo Moncata, Colum-
 naq; Pompeius direpto Vaticano, obfessoq; in
 arce Pontifice, perpetrarunt. Vnde postea tan-
 quam à lugubri initio longè omnium clarissi-
 mæ atque miserrimæ vrbs funestissima clades
 emanauit. In ea autem publico calamitate in-
 choatum (vt diximus) volumen conturbatis
 scilicet atq; direptis omnium fortunis, magna
 ex parte perierat, & proculdubio interijisset to-
 tum, nisi post viginti annos Franciscus Mendo-
 cius Cardinalis doctrinæ atq; virtutis nomine
 mihi plurimum excolendus, imperfectum, &
 planè sepultum, tanquam ab inferis tuo precla-
 ro monitu reuocasset. Quo fit, vt eius mirificæ
 pietati plurimum debeant, cum ipsa parens Hi-
 spania patria, & Cordubæ gentis domus, tum
 & ipsi præcipuè **MAGNI CONSALVI**
 felices manes, qui purissimo in æthere & in fa-
 ma hominum perpetua gloria perfruuntur. Tu
 verò Princeps amplissimè hoc vnum Iouio de-
 bebis, quod ei pro trophæo monumentum e-
 rexerit, omni quidem ære cælatoq; marmore
 perennius, quod non Granatæ tantum, vbi té-
 porario in loculo satis angustè longè ma-
 ximi viri ossa cubant, sed toto terrarū
 orbe religiosa cum veneratione
 omnis posteritas admiretur.

Vale. Romæ Idib. Septem-
 bris.

M, D. XLVII.

PAVLI

401
PAVLI IOVII NOVOCOMEN.

SIS EPISCOPI NVCERINI,

DE VITA ET REBUS GE-

stis Consalvi Ferdinandi Cordubæ co-
gnomento Magni. Libri III.

LIBER I.



ELLEM ut afflictæ peneq;
subactæ Italiae fato esset datum
quod certè haud mediocri sola
tio, ijs maximè luctuosis tempo
ribus foret, ut eum uirum qui
omnium longè optimus atq; in
uictissimus nostræ tempestatis

extiterit, in ea nasci contigisset. Nam postquam ueterè
belli gloriam dignitatemq; omnem insanis dissensionibus
nostris amissimus, acerbissimus certè dolor deplora
tæ libertatis, uel hac una percepta uoluptate leuaretur.
Externi nãq; hominis uitam, ante alios literarum
memoriæ commendandam existimaui, postquam diu
turno immensi operis labore fatigatus, aliquam hone
sta cum uoluptate requiem fueram quæsiturus: sed uel
ea potissimum ratione, ut clarissima perfectæ uirtutis
exempla quæ in Historijs attigisse non decuit, imitan
da posteris traderentur. Quanquam nec Italiam forti
bus uiris atq; omni ciuili bellicaq; laude dignissimis a
deo effectam arbitramur, ut in ea ueterum ducum, qui
ceteros quondã omniũ ætatũ ac gentium haud dubiè
ueræ uirtutis gloria superarunt, sobolem penitus inte
rnisse putemus. Nam si ingentes bellorum clades quæ
non modò Italiae, sed toti uel incognito antea orbi ter-

rarum, omnium propè rerum funestam mutationem attulerunt, memoria repctamus, multos profectò hæc turbulentissima tempora tulisse fatebimur, qui insignibus maximarum uirtutum ornamentis, vel clarissimos antiquorum triumphos æquasse uideantur. Quod si Romana res stetit incolumis, ueterisq; militiæ disciplina ad hunc usq; diē incorrupta peruenisset, nec interea dire factiones quas barbarus hostis inuexit, mentem cunctis eripuissent, nulla profectò collata huic nostræ uel militum uel ducum feracior ætas extitisset. Etenim uigentiæ reipublicæ, atq; ipsorum Augustorum inexhaustæ opes, felixq; ille & salutaris Italiæ consensus, quo cuncta sunt domita mediocribus sepe uiris, qui uel sorte magistratum iniissent, admirabiles uictorias triumphosq; pepererunt. At nostræ tempestatis impetatoribus aliam rerum faciem infensissimi seculi fortuna prorsus ostendit, quibus sæpenumero suum militem in officio continuisse aliquanto difficilius fuit, quam hostes periculosis ambigui Martis operibus deuicisse: adeo enim militarem disciplinam uel tenuitate opum Italiæ importuna Regulorum multitudine laborantis, uel diuturno exitialis negligentie morbo affectam profertatq; conspicimus, ut iam ea ab externis gentibus quibus illam maiores nostri cum multa gloria tradiderunt imitatione parum decora, postquam fatali desidia concidimus, repetenda uideatur. Nam si quo militie obsequio, qua centurionum præfectorumq; religione, quæ imperatorum seueritate constiterit, animo repitare uelimus, paucos certè uerorum militum nomine dignos esse censebimus. Inueterato namque fat scentis
huius

huius sæculi uitio, si qui sunt ingenui, uel à mediocri
 Fortuna non ignobiles, qui uires, atque animos militia
 idoneos afferre uideantur, ij ante omnia pedibus stipen
 dia mœrere, quod multo gloriosius maioribus fuit, lon
 gè turpissimum ducunt. quo fit, ut ex pessimo seruiliq;
 genere hominum legiones conscribantur, temerario
 potius impetu, quàm certa ratione pugnaturæ, aut i
 gnauia turpique flagitio prodituræ ducem, in cuius ma
 nu atque consilio gerendi belli summa consliterit. Nec
 id mirum uidetur, quum milites linguarum ac morum
 uarietate dissimiles, non unum omnes militandi finem
 respiciant, nec sensibus inter se coniungi, nec à ducibus
 regi possint, nisi uim imperij, quod reuerentia, quàm se
 ueritate ualidius semper fuit, atrocibus exemplis præ
 sentibusq; supplicijs, sædata sæpe nominis maiestate
 experiantur. Quis enim uel diuinæ uirtutis imperator
 rem bellicam ratione gubernauerit, quum milites ac
 cepto stipendio sæpe transfugiant, opus militare detre
 ctent, in agmine prædentur, in castris nec uini, nec ob
 sonij quidem recentis desiderium patienter ferant, at
 que in acie demum canente classico instantèque hoste
 stipendium flagitare non erubescant? Porro quis leuis
 sima sæpe de causa consternatis, quis contumacibus
 quis seditiosis desertoribusque pepercerit? Quis hæc
 unquam militum errata, prænuntia calamitatis, &
 cladis ingenio prudentiæque correxerit? Per has ergo
 labantis disciplinæ difficultates, nostræ tempestatis du
 cib. ærumnoso quodam labore fuit eluctandum, ita ut
 nulli sit dubium, quin innatæ eorū uirtuti, & ad summū
 proculdubio bellicæ laudis fastigiū contendenti, eæ plus

rimum offererint. Floruere quidem multi æquales, quorum
 res gestas perpetuo Historiarum cursu latè per-
 scripsimus, cum Itali, tum externi duces imperatoria
 laude conspicui: sed qui diuersis omnino uirtutibus ad
 amplissimos eius nominis titulos peruenerint, & ante
 alios Triuultius, Pitilianus, Franciscus Gonzaga, Pau-
 lus Vitellius, Liuianus, Gasto Foisseius, Nauarrus, Pro-
 sper Columna, & qui modò immatura morte prære-
 ptus est Ferdinandus Daualus. Quis enim Triuultio à
 pueritia usque ad summam senectutem omnibus mili-
 tiæ muneribus gloriose persuncto, aut plures, aut me-
 liores artes in administrandis conficiendisq; bellis secū
 tulit? qui quum floreret omni genere uirtutis, ea tamē
 incomparabili laude clarissimus fuit, quòd sæpe sine
 suorum uulnere magnas hostium copias profligarit.
 Quis Pitiliani cunctatoris atque statarij ducis constan-
 tiam, iudicium ac uigilantiam æquauerit? Quis autem
 Gonzaga Mantuano auctoritate, splendore, militum
 studio, equorum atque armorum apparatu, alacritate,
 ardoreq; pugnacis animi superior fuit? Quo non ge-
 nere laudum Vitellius dignus esse censebitur? qui fla-
 grantissimo bellici decoris studio ductus, tanta ingenij
 grauitate, tanta arte, ex domestica maxime disciplina
 quæ mirifica eius familiæ semper fuit, tantæque de-
 dio cursu cecidisset, solus ipse libertatem Italiæ defen-
 surus esse uideretur. Liuiani autem acuti, uehemen-
 tis, exercitatiq; hominis promptam & paratam in-
 consulendo agendoq; industriam nonne omnis posteri-
 tas impensè laudabit? Porrò quæ nā ætas Foissei iuado-
 lescentem

lescem non admirabitur? qui penè prius imperator
 quàm miles, prius uictor clarissimus quàm receptus
 imperator multo plures nobilioresq; uictorias paucis-
 simis diebus incredibili celeritate est adeptus, quàm quis
 quam ferè dux uetus toto longissimæ uitæ cursu com-
 pararit, Nauarrus quoq; qui omnibus ueræ uirtutis
 subsidijs fretus sine ulla maiorum cõmendatione aduer-
 sis pariter atque secundis rebus inclaruit, maximi pro-
 fectò ducis famam consecutus esse uideretur, nisi eum
 impotens fortuna in has supremi carceris miseras præ-
 cipitasset. In Prospero Columna singularis altitudo, mo-
 deratiq; animi eximia solidaq; prudentia, incredibilis
 authoritas, ac religiosa potius quàm seuera disciplina,
 cum perpetuo quodã tenore lautioris uitæ plurimum
 enituerunt. Verum uel ob id sempiterna laude fruetur,
 quòd uti Romani sanguinis imperatorem decuit, tan-
 quam terræ patriæ amantissimus, dira belli incõmoda
 tam pio instituto, quàm seuro in externos præsertim
 milites imperio semper auerterit. Sed Daualum eiusdè
 belli imperijq; & gloriæ successorem, quoniam satis de-
 coro meritiæ gloriæ præconio dignum existimabimus?
 quem sicuti inusitatus mirificarum uirtutum concur-
 sus omnibus bellis admirabilem fecit, ita eum tot opi-
 niæ incomparabilesq; uictoriæ, uno eius diuino con-
 filio, unaq; prope eius fortissima fataliq; dextera com-
 paratæ, supra summos rarissimarum laudum ho-
 nores extulerunt. Ceterum eorum quos modò præstã-
 tissimos fuisse memorauimus, nemo omnes simul milita-
 riũ uirtutum numeros ad bellũ attulisse iudicabitur,
 quum alijs in gerendis rebus expeditus uigor, alijs

matura consilia, alijs syncerae fidei nitidior fama, ple-
 risque uerò fortuna ipsa, quae iam sibi ex professo rei
 bellicae gubernacula uendicauit, omnino defuerint: ita
 ut planè perfectum imperatorem, quem frustra oculis
 & cogitatione requirimus, neque nos uidisse, neque
 unquam in posterum uisuros esse fateamur. Quòd si
 miscere in unum singulas omnium uirtutes, absolu-
 tumque ducem detractis ingentibus uitijs effingere a-
 nimo, & spectandum comparandumq; ceteris propo-
 nere uelimus, ei certè MAGNVS CONSAL-
 VVS cum felici meritòque cognomine, tum uirtuti-
 te ingentis animi, lineamentisq; excelsi corporis, lon-
 gè omnium nostrae aetatis proximus ad illum accesserit.
 NATVS est Cordubæ, Batica urbe per-
 uetusta, & quod summum dignitatis locum respicit,
 præcellentium ingeniorum altrice clarissima, uel si à
 Romani imperij tempestate qua nobilissimi uates Lu-
 canus & duo Senecæ inde prodierunt, fidem repeta-
 mus, uel si recentioremem Punicarum rerum memoriam
 sequamur, quum post eiectos Gothos & Vandalos Hi-
 spania ferè omnis Maurorum armis cesserit, & Cor-
 dubæ Gymnasia disciplinarum omnium inuectis lite-
 ris Arabicis insigni professorum fecunditate florue-
 rint. Maiores Consalui æquè nobiles à præalta stirpe
 ac strenui bellatores fuisse produntur. Aquilarij siqui-
 dem appellati sunt, quòd uti credi par est, Aquilam Ro-
 manae legionis illustre signum, spectatae uirtutis prero-
 gatiuae deferre consueffent. Ita ut præclari eius officij
 dignitas, quum in generosa progenie uiri fortissimi tan-
 to muneri implendo pares nunquam decffent, in fami-
 lia no-

lie nomen transiisse existimetur ; unde & ipsa
 quod incolerent antiquæ ditionis oppidum appellatio
 nem traxerit. Iuuat enim in militari familia prætulisse
 Marium decus omnibus Gothorum profapiis, quan-
 do sicuti hodie audimus, quod magnoperè dispudat,
 non aliunde quàm à Gothorum sanguine, generis cla-
 ritas in Hispania petatur. Sed hoc de Romanæ legio-
 nis Aquila procerto non affirmauerim, quanquam ma-
 gno ueritatis argumento sit, quòd Aquilarij antequam
 Cordubæ nomen susciperent, Aquilam in antiquis eo-
 rum gentilitijs insignibus gestarint. Licet tamen scri-
 ptoribus uel à fabulis Heroum nobilissimi cuiusq; san-
 guinis origines cum bona legentium uenia repetere.
 Quo fit ut nostro iure quosdam poetas historiarumq;
 scriptores demiremur, quòd cū rectissimè nec ulla qui-
 dem mutata litera Consaluum suo certissimo nomine
 Aquilarium uocare possent, modò Agidarium, modò
 Agellarium ineptè appellare maluerūt, secuti, uti reor
 corruptam uocem Aghilarij oppidi, unde more gentis
 sicut in Hispania Galliaq; uidere est, à ditione posses-
 sioneq; oppidorum in familijs nouum cognomen obue-
 nire perspiciamus. Verùm Consaluus ut à Ludouico e-
 ius genero accepimus, se Corduba familia ducto stem-
 mate ortum enarrabat, quanquam id urbis familieq;
 nomē in familiarib. epistolis omitteret, ut à cæteris ge-
 tilib. ex oppidi nuncupatione discerneretur. Egregij
 nãq; ulterioris Hispaniæ procures, cū ab eis urbs Cor-
 dubadiuturna obsidione fatigata, demūcapta esset, pro
 decore spolio captæ urbis appellationē prætulerūt, re-
 cepto utiq; nouo tanq; nobiliore Cordubæ cognomēto

uetus familiae nomen abdicantes. Quamquam familia
 Corduba ab uno præalto stipite in multos diffusa rã-
 mos, alia atq; alia ad discernendas cognationum pro-
 pinquitates cognomenta, uel ab oppidorum possessio-
 ne, uel à matribus sæpius ducta recipiat. Cæterum
 Petrus Consalui pater ab adolescētia Punicis exerciti-
 tus armis priusquã Granata oppugnaretur, quòd gra-
 uitate consilij, & militari fortitudine inter sũmos prin-
 cipes emineret, bellicæ laudis plenus nequaquam se-
 nex, apud Toletum lateris morbo consumptus est, reli-
 quitq; ex uxore Eluira Ferreria nobilissimi sanguinis
 & formæ incomparabilis fœmina Alfosum & Con-
 saluum filios adhuc impuberes, magnæ demum fortu-
 næ gloriæq; multis in prælijs ostentatos. Vigebãt enim
 in urbe Corduba duæ factiones, & utraq; ex Corduba
 familia, quarum altera Capræ comitis dicebatur, alte-
 ra ab Aquilarijs nomen ducebat. Huius acerrimus dux
 & defensor Petrus extiterat, ita ut eo mortuo Aquila-
 rij in contentionibus & prælijs nullum omnino alium
 ducem quàm fratres orbatos patre, uel adhuc impube-
 res mallent, eosq; in aciem sæpe producerent, quòd nũ-
 quam his ducibus ab hoste uinci posse arbitrarentur.
 Granatensi autem bello quod ipsis iam planè adultis,
 & tanquam inter ciuilia arma natis & educatis, pro-
 spera uirtutis fama florentib. incidit, ab Antichera op-
 pido Granatæ propinquo multa detrimenta Mauris
 intulerunt. Verum Alfosus triennio maior Hispanica
 lege fermè integram paternæ ditionis hereditatem a-
 deptus est, ita ut Consaluo res domi angusta, & ea tan-
 tum quæ in uirtute fortunaq; posita forent, speranda
 relinqueret.

relinqueretur. Sic enim nobilis stirpis iuuentutem (quæ in unaquaq; familia natu ex liberis maximo, tota substantia paternæ facultatis obuenciat) egestatis malo impelli ad nouas spes atq; ad bellicum laborem unde præmia proueniant, antiqui patres arbitrati sunt: quòd generosos adolescentes ab ignobili pinguiq; ocio, ad expetendum procul à delitiis uerum militiæ decus excitari constet. Itaq; Consalius adhuc imberbis munificentia Alfonsi fratris liberaliter instructus, ad Alfonso puerum Regem mittitur, deducente Didaco Charlamo honesto prudentiq; equite. Is præceptoris atque nutritij officio & munere, adolescentem & ardentis ingenij captu, & toto firmissimi corporis habitu, ad uirile decus aspirantem elegantissimis moribus erudiebat. Commendarunt adolescentem Regi ex paternis amicis uiri summæ dignitatis atq; potentie Alfonsus Carrilius Archiepiscopus Toletanus, & Ioannes Paccus magnus Compostellani ordinis equitum magister. Sed non multò post Alfonsus in ipso Regni limine morbo surreptus interijt. Nec multis inde mensibus coætaneo Rege dominoq; orbatum, Isabella ad se pari conditione Segobiam accersiuit. Hæc erat Ioannis Castellæ Regis filia, pueri Alfonsi atq; Henrici Regis soror & hæres, Aragonio Ferdinãdo nupta, quæ ulterioris Hispaniæ Regna dotali iure, citerioribus Regnis adiunxit, cum generosi prudentisq; animi magnitudine, tum pudicitie & pietatis laude antiquis Heroidibus comparanda. In eius aula Cõsaluus quum spectacula & equestres ludi, uel concurrentium iuuenum hastatorum, uel arundines more Maurisiaco iaculantium ederentur,

usq; adeo supra æquales summæ nobilitatis adolescen-
tes sese extulit, ut acclamatione spectantis populi iu-
uentutis Princeps appellaretur. Superabat enim cum-
ctos eximis uiribus, decora facie, proceritate corporis,
& supra hæc admirabili facundia, quæ (quum ceteræ
uirtutes aspirant) animis ac ingenijs hominum impo-
tentissimè dominatur. Ad hæc accesserat illa auræ po-
pularis captatrix, profusa & nusquam astuta liberali-
tas. Largitor enim animus nullum omnino modum
sumptibus imponebat, quum nobilitate equorum, ar-
morum ornatu, in omniq; genere principalis elegan-
tiæ, & perpetuo hospitalis mensæ splendore, maximo-
rum Regulorum filios anteire contenderet. Erant ij
sumptus non modò supra eius censum, qui erat per te-
nuis, sed supra rationè humanæ spei, quæ nouū pronè-
tū afferre posse uideretur, adeo ut quū purpuræ ue-
stem Schyticarum sibillinarum pellibus suffultè, quæ
buobus aureorum milibus constiterat, nec solenni qui-
dem festo die induisset, mussaret Chartamus, Alfonso
uero frater per literas seuere quidem admoneret, sed
fraternè simul hortaretur, ut insanis sumptibus indul-
gere desineret, ne uertente anno cum ignominia nomi-
nis, æmulorumq; risu ambobus esset decoquendum. Ad
ea Consalius his fermè uerbis rescripsit: Non eripies
mihi profectò Alfonse frater, quam Dij dederunt ani-
mi magnitudinem hoc inani futuræ egestatis timore
iniecto: nam præclare compertum habeo, neque te a-
mantissimo fratri unquam ex substantia tua defutu-
rum, neq; Deum ipsum, qui haud dubia prouidètia ad
honestum decus uadentibus semper adesse consuevit,
à fide

à fide ex arcano syderum data desciturum. Omnabatur enim sibi iam opes ingentes, quibus totius beneficiæ & liberalitatis uota esset expleturus. Eo modo nobilissimorum atq; insignium morum commendatione totius aulæ specimen præferentem, militiæq; audum, exorto cum Lusitanis bello, Isabella ad Alfonsum Cardenem misit. Is tum Regijs in castris ad Trögillum positus erat imperator: impetrauit autem Consaluus, ut fraternæ alæ, quæ ex ceterum & uiginti armatis equitibus constabat, legatus iret: atq; ita apud Cardenem primum militiæ rudimentum posuit, usque adeo prospero successu, ut quum ab Alboheram insigni prælio esset dimicatum, & uictor Cardenes aduocata concione gratias militibus ageret, unum ante omnes Consaluum ex his qui fortissimè dimicassent, cum multo uerborum honore laudarit, utpote quem ipse in medio pugne ardore armis cristisq; conspicuum acerrimè pugnantem conspexisset. Nec multò post quum rex Ferdinandus Isabellaq; uxor acre bellum aduersus Mauros suscepissent, summamq; uim & longè maximum terrorem Granata urbi ex propinquo admouendum arbitrarentur, expugnata iam Alhama, contra Talarum castra posuerunt. Id erat magnæ opportunitatis & ualidæ munitionis oppidum, ita ut Consaluo id magnopere expetenti, aggrediendæ expugnandæque Talaræ munus imponerent. Nec dubitauit iuuenis impiger, quin muro succederet plurium scilicet ostiorum ualuis pluteorum more ante se erectis, quòd extruendæ munitioni locus asper & frequētibus petris uerrucosus glebam & cespitem denegaret. Hos autem

pluteos multo subere, cuius materiæ copiam hortorum
 aluearia suppeditabant, ita protexit, ut milites egregie
 tecti, aduersus sagittas telaq; omnis generis in oppu-
 gnatione uersarentur: ripse uerò Consaluus ante omnes
 pericula intrepidè subiret, acreq; certamen omnibus
 in locis nusquam fatigatus instauraret, adeo ut Mauri
 nouitate pluteorum, & uirtute cōfidentiaq; Consalui
 magnopere territi, colloquium peterent, internūcioq;
 Consaluo de detione paciscerentur. Taiara eo modo in
 potestatem redacta, quum Consaluus acerrimi mili-
 tis laudem tulisset, industriæ quoque & felicitis eloquen-
 tiæ in trahendo in conditiones suas Barbarorum duce,
 nomen adeptus est: atq; inde castra ad Hiloram sunt
 traducta. Id est oppidum egregiæ munitiois Grana-
 te intra centum stadia propinquum, ideoq; Mauris ad
 conuersiones commeatu ualde opportunum, quoniã
 eo tanquam statione speculaq; tutissima ad quotidia-
 nas expeditiones uterentur. Rex qui ad Taiaram Con-
 salui promptitudinem & nouæ subitariæq; munitio-
 nis industriam uehementer fuerat admiratus, uni ei ex
 pugnanæ Hiloræ negocium imposuit, tantaq; ui tor-
 mentis incenia quassata sunt, ut murus nonnullis in lo-
 cis stermeretur, Mauriq; uarijs fessi prælijs, & magna
 ex parte à Sclopettarijs uulnerati animos desponde-
 rent, & Halatar præsidij præfectus saluti consulen-
 dum ratus, Consaluum ad colloquium euocaret, atque
 eo totius pactionis arbitro fidenter uteretur: itaque
 non abnuente Rege his quas Consaluus dixit legibus
 oppidum magno postea incommodo Mauris futurum,
 in potestatem est redactum. Id uerò Ferdinandus ex-
 cellenti

cellenti iudicio possidendum defendendumq; uirtutis
 causa Consaluo attribuit, eiq; tum primum a. e. centum
 uiginti equitum praefectura, uti antea Alfonso fratri
 obtigerat, ad insignis meriti nomen data est. Regina
 porro studiosissimè Consaluo fauente, ut is optimè in-
 structus ad gerendum acere bellum magis accenderetur,
 magnam telorum & tormentorum commeatusq; om-
 nis generis copiam, & delectos subinde pedites & e-
 quites praesidij causa impetrauit, idq; assignata pecu-
 nia ex certo uectigali, ut militibus ad certam diem sti-
 pendia praebentur. Ab hac Hilora auspiciatus haud
 dubiè Magni cognomentum, uti magnopere cupiebat,
 indomiti corporis atq; ingentis animi uim ad celebra-
 tem nominis ostendit, quòd ante omnes hosti proxi-
 mus quotidianis praelijs exerceretur, & in oculis Gra-
 natensum circumiecta oppida perpetuis detrimentis
 afficeret, usque adeo ut cum Alarcone Nuclini oppidè
 Praefecto consociatis praesidijs, ad Granatae portam
 usque, quam Bibatabim uocant, deferretur, disiectisq;
 molis frumentarijs, atque earum custodibus inibi truci-
 datis, ipsas portae ualuas incenderet, Rege ipso ad id sa-
 cinus excito, & ciuitate ad tumultum metu consterna-
 ta, quòd non casu aut militari audacia, sed dolo & tec-
 tis perfidiosè prodentium insidijs, Consaluum tantan-
 rem aggredi ausum fuisse suspicarentur. Eo enim tem-
 pore dissentientes inter se duo Reges Granatae regna-
 bant. Nam Bulahace Rege mortuo, Baudeles eius fra-
 ter regium nomen dimidia parte Regni ad sui studium
 auctoritatemq; traducta, haud cunctanter usurparat.
 Erat enim re Alzagal, sicut & nomine, & quae uox Pu-

nicè audacis & expediti hominis uim exprimit. Alter autem erat eodem nomine Bulahacis filius patre uiuo à possessæ urbis ditione, rex Gaudix appellatus. Hunc Hispani Ciquittum hoc est paruulum, quòd etate staturaq; patruo minor esset, appellabant. Is Albaizina arce se tenebat; ille autem Alambra potiebatur. Vrbs enim Granata quæ ex antiquæ Illiberis ruina creuit, mali Punici ex maturitate perrupto cortice sese aperientis formam refert. Nam duæ aduerso exurgunt Regiæ oppositis in collibus aliquanto maiore amœnitatis quàm munitionis studio à delicatis Regibus adificata. Odoratis enim Citriorum arborum uiridarijs, & perëniuum fontium scaturigine, uermiculatisq; passim pauimentis admirabiles existimantur: ita ut imagine quadam sicuti in nauì, hæc urbis proram, illa uerò puppim obtinere uideantur. Media namq; uallis domorum frequentia celebris urbem determinat. Porro Populus regionatim in contraria studia diductus, contentiones primo de iure imperij peracerbas, mox & arma atque intestinum bellum attulerat, ea consuetudine, ut regionum compita ad prohibendos incursus magnis trabibus atq; repagulis obserata, armatorum statione firmarentur. Auari namq; seditiosiq; homines, & supra quàm credibile sit natura suspicaces, atq; ideo fluxa fide Regum discordias dum enixè alerent, optimæ prædæ loco habebant, ita ut utrūq; propter Regni æmulationem ab æquo & bono desciscientes ac deprauatos, atq; ob id suorū quisq; perfidiam timentes, ad cæsa ciuitate diductaq; in factiones inferior opibus rex iuuenis

iuuenis egrè dominatum retinebat, prævalente seniore qui maiore astu constantiaq; regere ac temperare suorum animos solitus, eò cunctis artibus ferebatur, ut unus tantum in Bethica rex foret, qui par externo bello rem Punicam ab Hispanorum iniuria defendere tutariq; Regni caput, & Bethicæ fines integris uiribus posset. Augebant quoq; metum apud iuuenem Regem importuni auariq; milites, qui stipendia labefactatis uectigalibus egrè prouenientia, flagitiosis uocibus postulabant, atque ideo non obscuro minarum genere ad Alzagalem studiosum multitudinis liberalemq; uti ad legitimum Regem se transituros dictitabant, adeo ut indignatus contumeliam & perfidiam timens, accersendos in auxilium Hispanos potius quàm patruo parendum esse decerneret. Huius iracundiæ consternationisq; Regiæ à speculatoribus & captiuis certior factus Consalvus, per idoneos homines Regem perpulit, ut ipse acceptis obsidibus in urbem accerseretur, contraq; inimicum Regem & patruum Hispanorum auxilijs uteretur. Atque ita rebus occultè compositis, quum fratres obsides Rex dedisset, Consalvus cum Martino Alarcone sibi amicissimo atq; fortissimo uiro (hic enim asperis in rebus fidus ei atq; acer adiutor extiterat) Granatā intrauit: ualida scilicet sagitariorum & sclopettariorum manu duarum alarum equitibus adiuncta, qua inter angustas regiones & inæquales urbibus anfractus barbari ex occulto peterentur, attulitq; secum pecuniam quam stipendij nomine Mauris militibus diuideret, & supra eam sericæ quoq; & laneæ vestis opportuna dona, aulæ Principibus Regis monitis

largienda, ut scilicet dubios & nutantes in fide contineret. His fretus auxilijs Rex iuuenis commissa saepe pugna in medijs plateis & regionibus magna Alzagalii patruo detrimenta intulit, oppressitq; omni ex parte factionis suae tumultus. Nam ex liberalitate Consalui Hispanorumq; societate populus in uniuersum ex moerore diuturno se in letitiam repente conuerterat, tanquam externo bello subleuatus erectusq; ad non dubiam spem summae commoditatis & lucri, quod ex eo Consalui foedere permulta emolumenta mercatoribus obuenirent: quoniam Mauri qui in partibus iuuenis Regis essent, uendendis & coemendis undique mercimonijs tutissima facultas daretur, usque adeo stabilitate Hispanorum fide, ut inuiolati benigneq; apud Hilaran & passim ceteris in oppidis recepti ad Cordubam & Hispalim usq; penetrarent: quum in unos tantum Alzagalis imperio subiectos, Christianorum seu arma uerterentur. Dum haec Grauitate agitaret Consaluis in id omnem ingenij curam intendit, ut Alzagalem extra urbem eliceret, prouectumq; longius ab urbe interclusumque opprimeret. Erat in proximo Alhendinum magnae opportunitatis Castellum quod Alzagalis praesidio tenebatur, ut hoc oppugnatum irent, proximos praesidiorum praefectos Consaluis admonuit, diemq; consuituit gerendae rei scilicet, ut rex Maurus laborantibus suis opem ferre, in aciemq; prodire cogeretur. Verum fortuna cepti consilij successum ita direxit, ut quum ex condicto Alfonso Pennauela a Loxa oppido, & Saccius Lopes ab Alhama ad Alhendinum cum cauastantes excurrissent, idq; Alzagal ex fuga suorum cognosce-

cognosceret, ne in oculis luctuosa calamitas acciperetur, contineri nequiuert, quin auxilium suis laturus erumpere. Iamq; in suburbanum Almorauæ (ut aiunt) campum peruenerat, quum Principes Sacerdotum quos Alphaches appellant, & apud Reges præcipuo in honore sunt, quod uaticinandi disciplinam callere existimantur, ab Alzagale ne iter intederet graui obte statione ac precibus impetrarunt, scilicet ne ab interno hoste interclusus urbe, ab Hispanis cederetur. Nec eius rei oborta suspicio ex sacro monitu inanis uideri potuit: nam suppressa statim profectio, quum Consalius & Alarcon properè sub signis erupissent, nec Alzagal ultra Almorauam procederet, tumultuaria pugna conferta est, tanto ardore incumbentibus Hispanis, ut Alzagal perturbato agmine multis ex familiaribus amicorumq; intimis in eo tumultu desideratis, intra portam sit compulsus, summo quidem timore concepto, quod prædicentibus Alphachis, breue capi spatium ad receptum nactus summi periculi casum euasisset. Nec multo post Consalius, Alarcone ad Moelinum remisso Hiloram regressus, nihil unquam consilij uel laboris intermisit, quo Mauris hostibus quàm maxime noceret, ante omnia cum Barbaris utriusq; factionis qui uel Granatæ uel in Castellorum præsidij essent amicitias iungens, largiendo scilicet & captiuos sæpe donis exornatos sine pretio dimittendo. Ante alios autem exquisitis artibus aggressus Halatarem qui antea Hiloræ præfectus fuerat, & tum præsidio oppidum nomine Mundaiar tenebat, egit, ut id Castellum sibi traderetur. Quo recepto Hispanoq; milite firmato, magnus

Granatensibus terror illatus est. Quod Mundaiar Al-
 bendini praesidio uicinum frequentes contentiones &
 graua in commoda urgente Consaluo afferre posse ui-
 deretur. Eo periculo adductus Mamphot uir egregie
 bello fortis qui Alhendino praerat, Nihulam (haec pars
 cis stadijs abest à Mundaiar) cum parte copiarum con-
 tendit, ut Hispanorum eruptiones ex opportuno loco
 intercisis itineribus expedita manu cohiberet. Sed ce-
 leritate Consalui euenit, ut ab eo Mamphot priusquam
 se communicaret, imparatus opprimeretur, & uiuus in
 eius potestatem perueniret. Is non multis post diebus
 quum Hiloræ humanissime custodiretur, uti nimis cu-
 pidus libertatis ad eam conditionem deuenit, ut Alhen-
 dinum sine pretio dimissus traderet, eo quidem mino-
 re cum pudore quam Halatar, quod pro libertate id sa-
 cinus patrasse uideretur. Horum quoque exemplum se-
 cutus Abemelech, quod de re Punica dissentientibus re-
 gibus desperabat, breuique affuturum, id praedicente
 Consaluo, cum ingentibus copijs Ferdinandum Regem
 arbitrabatur, saluis rebus Mahalam suae fidei commis-
 sam tradidit. Quo nuncio tantus Granatae cum luctu
 moeror exortus est, ut intercurrentibus atque obstan-
 tibus Alphachis, ambo Reges Reipublicae causa & re-
 ligionis studio inter se positos ad tempus odiis, certo sa-
 dere iungerentur, & iunior Baudeles oblitus fratrum
 obsidum ad oppugnandum Alhendinum priusquam Hi-
 spanorum munitiones perfici possent, ire pergeret: ex-
 tinuo etiam Mahalam ubi Consaluis confiterat obses-
 surus, pro certo existimans eo oppresso captoque obsides
 fratres

fratres qui penes Alarconem in arce Porchūna erant, facile recepturum. Sed Baudelem ab eo itinere repentinus nūcius auertit, afferens Hispanos ad Salobrēnam obsessos, & quoniā eis aqua deficeret, ex siti de oppidi defensione desperantes, si ipsi aduentaret nullam deditiōni moram allaturos. Verum Baudele obsessis supplicia cōminante, & Hispanis extrema pati potius quā dedecus admittere paratis, quum frustra tempus tere- retur, Tendilius atq; Cifonsius cū ualido equitatu multisq; cohortibus superuenerūt, subsequente eos ex pro- pinquo quum reliquis copijs ipso Ferdinando: quorū aduentu cognito perfectōque Baudeles inusitatis tra- mitibus per Serram quam Niuosam uocant, ad Gra- natam se proripuit, tanta perturbatione, ut anisus im- pedimētis multi nō ignobiles ex postremo eius agmi- ne caderentur. Hęc molientem Baudelem & magna- ui cuncta aspera tentantem, Fortuna ingrati perfidio- siq; hominis ultrix, in insidias precipitauit. Ad Lucen- nam enim quum excurrisset commisso tumultuario cer- tamine fusus captusq; est a Didaco Corduba Capræ co- mitē gentili & Consalui consanguineo. Is fuit pater- nus auus Ludouici Cordubæ, ipsius Consalui generi, qui Romæ legatione functus interiit. Baudeles quum se præfectum non Regem esse mentiretur, a Mauro e- quite captiuo, qui ad eius pedes osculabundus cum- ululatu se prouoluerat, proditus est, atque ita cum- Comes ad Regem Ferdinandum deduxit, promeruit- que ad insignem pulcherrimi facti memoriam, ut in- gētilitijs insignibus imago catherati Regis & uexilla- barbarica ad XXIII. quæ ex prælio relata fuerāt, per-

petuò deferentur. Nec multis post diebus Montem Frigidum Castellum oppugnante Rege, Consalvus muralis coronæ decus promeruit: nam quum frustra redintegratis aliquot prælijs fessi milites languidius murum subirent, uulneratorumq; & cadentium ex alto exanimata corpora ad pedes iacerent, ipse intrepidus alios ad promerendam laudem accendens, scalam muro appositam conscendit scuto pedestri oblongo in terga reiecto, & murali galea caput munitus, quo deiecta saxa & tela contemneret, comprehensaq; muri pinna & confosso propugnatore per coronam deiectis Mauris deferretur. Sed hæc ferè innumera & prorsus strenuis imitanda, quæ Bæthico bello ab ipso uel milite, uel unius tantum alæ equitum præfecto gesta sunt, tanquàm celebrata Hispanorum annalibus omiserim, uel ob id quòd alienis auspicijs ea gessit, quando Rex ipse Ferdinandus præsens, & uxore quidem castrensiu[m] laborum uirilis animi comite id bellum administraret, aut quum ipse abesset Indicus ante alios Mendocius Tendiliæ comes uir grauisissimus in castris cum imperio relinquere tur. Ab hoc duce omnibus cum ciuilibus tum bellicæ laudis numeris absoluto, non minus quàm ab ipso antea Alfonso Cadene primo solertissimoq; Magistro exactæ militiæ documeta, præcetaq; quibus postea suo cognomine Magnus euasit, accepisse fatebatur, usque adeo gratè studiosèque ut eum non secus ac patrem tem singulari cum ueneratione percoleret. Ceterum Consalvus qui ab initio belli (uti incensum spe laudis decebat) aduersus omnes diuturni laboris asperitates indomitus nunquam castris abscesserat, quum ad finem

nem laborum esset peruentum, perfecti belli suppre-
 mum decus tulit. Quando uni ei insperato arridentis
 Fortune munere contigit, ut parata sed agrè obueni-
 enti uictoriae limen aperiret. Protulerat Rex Ferdinan-
 dus castra in conspectum Granatae urbis, eaq; adeò e-
 gregiè & sumptuosè muro circumducto munierat, ut
 in nouae urbis formam cum summo hostium terrore
 consurgerent, eorumq; ambitus religioso sanctae fidei
 Ciuitatis nomine uocarentur. Constabat enim Mauris
 nulla iam alia re quàm insana animorum obstinatione
 se sustentantib; nunquam inde abscessurum Regem, ni-
 si patrato ultimo belli opere, decem annorum labores
 deletae Granatae ruinis expiaret. Cuncta enim iam
 Mauri antiquae ditionis oppida & urbes uel Hispano-
 rum deiectis trucidatisq; praesidijs amiserant: ita ut exi-
 gua tantum suburbani agri parte, eaq; quotidianis in-
 cursionibus euastata, uarijs praedurae obsidionis cir-
 cumuenti malis potirentur. Non resederant odia in-
 ter Reges Mauros, apparebatq; Baudelem iuniore
 nequaquam ex animo, sed pudore religionis & opti-
 matum obtestationibus ab Hispanorum amicitia disces-
 sisse, cōsensiseq; cum patruo nequaquam sincera fide,
 quum utrinque noua occasio ad struendas insidias, &
 ad facinus maturandae mutuae necis, non obscure expe-
 ctaretur. Dum eo modo ciuitas diuisa in ueteres factio-
 nes firmi consilij expers, & multarū rerum inops, tan-
 quam in diuerso aestu extremis periculi fluctibus iacta-
 retur, Baudeles iuuenis merita supplicia timens, ne-
 que sibi iterum clementiae locum apud Regem futu-
 rum existimans, oblata deditioe Ferdinandi animum,

an eo munere promereri ueniam posset, experi constituit: meminerat enim se paucis antè annis quum ad Lusitannam à Regulis Cordubæ familiæ prelio superatus & captus fuisset, insigni cum laude Regiæ clementiæ & liberalitatis à Ferdinando dimissum, in tutelamq; aduersus patruū receptum, scilicet ut demum ingrato animo acceptæ salutis & liberatis obliuisceretur, rursusque cum patruo communi hoste in amicitiam rediret. Hæc quum essent in Rege anxio nocturnæ diurnæq; cogitationes, neminem, qui fidelius tantæ rei consilium explicaret, Consaluo potiore ratur, ad eum ex fidissimis Mauris hominem idoneum misit, qui magnis precibus oraret, ut sub fide secretò urbem intrare, & secum de grauissimi negocij deliberatione colloqui uellet, fore ut eius officij benignè præstiti eum nunquam poeniteret, magnamq; ex eo sermone uoluptatem animi referret. Consaluus totum id, qua de re colloquium futurum diuinabat, ad Regem defert. Is magnæ spei occasionem probat, sed ut sibi cauere uelit prolixè admonet, neu se fidei Punicæ temerè committat. Tum uerò Consaluus ne dubites magnanime Rex inquit, timore enim in hoste summus intrepidum me facit, & hercule salus mea Deo magno pro quo pugnamus cordi esse debet, & mirifica uirtus tua, & hæc ipsa castra quorum fremitum Barbari trepidantes in urbe exaudiunt, honesta & decora ausum proculdubio defendet. Nec noctis horam, ut aduentus eius tegeretur, in urbem esse receptus, amplissima cõponenda pacis mandata Baudeli afferens, quorum summa erat, ut si Granata urbe

exce-

excedere, eamq; bona fide tradere, quam supremi periculi casum experiri mallet, fore ut Ferdinãdus & fracta fidei, & totius præteritæ immanitatis ac pertinaciæ ueniã condonaret, eumq; beneficiario iure ad Almeriã in Bæthica regnare suis legibus pateretur: iteq; res incolumes Mauris suas præstaret: nec ij qui in Bæthica remanere quàm in Aphricam transmigrare malent, sacra sua deserere cogèrentur. Si qui porrò Mahometicã sectã ulro conuersis animis exuerēt, & Christiano baptisinate laurentur, ea uitæ conditione in tutela clementissimi atq; optimi Regis futuros, ut nusquã liberius aut beatius securã uitã possent traducere. Hæc tanta sacundia Consaluus explicabat, ut uel fortissimis terrorẽ incuteret, quũ acerbissimæ cladis discriminẽ oblate pacis abnuëtibus conditionẽ imminere prædicaret, testareturq; iurasse Hispanos milites uti exacerbatos lōgo militiæ labore, & nō dubia spe opulētissimæ prædæ excitatos, nisi Granata capta excisaq; nunquã ad uxores & liberos esse redituros. In has supremæ pactionis leges proclinatam Baudelis animum una ea, ne statim iureiurando confirmaret cura retinebat, ne patrum immani flagitio præterire, hostibusq; tradere uideretur. Etenim generosus pudor uel in aduersa Fortuna Regijs pectoribus insidet, ut omnem periculi timorem plerunq; dedecoris metus exuperet. Quamobrem Consaluus minimè cūctandum ratus, ut cōtinuò transigere tur Baudelem tanquã æqua pro se nec indecora Ferdinando postulantiem, eo animo esse iussit, ut cuncta quæ ad salutẽ dignitatẽq; patrum Regis eiusq; factionis Maurorum omnium cōmoda pertinerēt, ex Ferdinandi liberali

tate expectanda existimaret. Nec promisso fides defuit, redcunte enim Consaluo ex sententia Baudelis solennes concepti fœderis tabula subscribente Rege, impressaq; ad ceram Regia gemma confectæ sunt. Sed Alzagal natura ingenioq; ferus & peruicax, integro cōditionis beneficio uti noluit, ac priusquam Baudeles ad Almeriam non diu regnaturus Granata excederet, impetratis nauigijs in Aphricam transfretauit apertè adominatus leuitatem atque perfidiam Baudelis tantquam Regiæ stirpi & Punico nomini pestilentem, quoniam quando ipse ab eo nefariè proditus esset, antiquæ eius existimationis iacturam, uel tota Regni possessione pluris æstimandam apud Mauros prædicarent. Per hunc modum Ferdinandus honestissima uite conditione cunctis Granatæ ciuibus, qui seruandæ fidei sacramentum dicerent per præcones atq; interpretes benigne proposita, acclamante populo ut diu felix esset, urbem triumphans intravit quarto nonas Ianuarijs anni à partu Virginis Nonagesimi secundi supra Mil-le & quadringentos, quū septingenti fermè anni essent, ex quo Miramolinus Maurorum, qui ad Atlantem montem uergunt, bellicosissimus princeps, Hispaniæ serè omnis domitor, id regnum in Bethica condiderat. Non caruit ea uictoria memorabili ostento: nam non multo antequam Granata dederetur, ex nocturni luminis candelabro flamma enicans, & uentilata aure flatibus, uela sensim lambens, Regiæ tabernaculum ita corripuit, ut Regia magni ambitus tētoria priusquā allatis hydris succuri posset, incēderetur, cōcrematoq; toto penitus lectorū instrumēto, Regina serè nuda in apertum

apertum se proriperet, nec ei quicquam ex muliebri se-
 cretore cultu, linteæ suppellectilis quo se contegeret,
 omnino relinqueretur: Rege quidē exterrito, sed mox
 extra metum posito, paratæ uictoriæ ex elucente flam-
 ma omen accipiēte. Tū Consalvus parandæ ab Regina
 gratiæ occasionē agnosces, Mauricam uxorem in pro-
 ximo Hilore castello confidentem admonuit, ut Regi-
 næ toto tunicarum & lodicum necessario ornatu exu-
 ta, quicquid ipsa haberet ex mundo maritali, & dome-
 stico multarum ancillarum acu pingentium labore, lin-
 teæ uestis copiam largiretur. Non desuere in opulenta
 domo apud generosam fœminam (si dici fas est) ipso
 coniuge liberalissimo splendidiorem, quæ supra spem
 Consalvi uotumq; Regiæ immensæ atque expeditæ li-
 beralitatis munus implerent. Dono enim celerrimè op-
 portuneq; transmissa sunt, tot & tanta muliebris usus
 ornamenta, ut Regiæ opulentiæ æquari posse censerentur.
 In his erant pretiosi operis textilisq; materiæ cono-
 pœa reticulatis commissuris insutoq; passim auro &
 purpura undiq; limbos depingente, nuptialib. Regum
 thoris dignissima. Sed interularum tunicarum & lodi-
 cum sudariorumq; omnis generis scitissimè acu, picto-
 rum operosas amœnitates usque adeo Regina letis oculis
 mirata est, ut quum sumptū subtilissimæ pretiosæq;
 artis inæstimabilem iudicaret, una maximè diligentie
 & celeritatis admiratione teneretur, ut ea dona tan-
 quam in eum incendij casum multis ante annis oppor-
 tunè prouisa, atq; elaborata crederentur. Superueni-
 ente autem Consaluo Regina cum eo his erga eum uer-
 bis blandè iocata est, repentinum eius incendij casum

sibi magno commodo cessisse; quod ab incenso tentorio suo importunus ignis in ipsius Consalvi domum rapaci uolentia peruasisset. Ea liberalitas inexpectato munere Reginae animum ita obstrinxit, ut ea omnibus sermonibus unum Consaluum uirtutis atque elegantie nomine cunctis praeferre effuséque laudare non dubitaret, usque adeo ut nonnulli Consaluum à Regina tenerius adamari crederent, quanquam ea esset certissime atque impenetrabilis pudicitiae, et ipse Consaluis iocos omnes insigni uerecundia terminaret. Ceterum Ferdinandus rebus Granatae compositis urbeque cum Alambra arce Indici Mendocij Tendilij prudentiae fideique commissa, Consaluum felicis industriae merito, amplissima domo et certo reddito, qui ex serici bombicis uectigalibus exigitur liberalissime donauit. Post Baethicum autem bellum Consaluis modica quiete curando corpori apud Hiloram desumpta, Regem mediterraneas Hispaniae urbes aduentem uxore comite secutus est. tanta autem praecellentium morum temperie in aula illustris atque omnibus gratius uersabatur, ut quaequam plerique Hispaniae Reguli eum cum aetatis honore atque opibus, tum speciosis rerum gestarum titulis anteire uiderentur, ipse tamen recentis spectatae uirtutis gloria conspicuus, et regis, et Isabellae in primis Reginae gratia polleret. Erat enim exquisitis aulicæ uitae artibus abundè instructus, grauiusque pariter ac iocundis moribus militares uirtutes resperferat; ita ut cum in tranquilla pace molliora iocandi tempora inciderent, uel in medijs foeminarum coronis omnes eius sermonis urbanitate ducerentur. Deduxerat Isabella

rat Isabella Regina ad proximum Cantabrie portum
 Ioannā filiam, huius qui modò rerum imperio potitur
 Caroli Caesaris matrem, ut inde ad Philippum maritū
 in Belgicam oram nauibus adueheretur. Ea cū mater
 na charitate ab adamatæ filie complexu diuelli nō pos-
 set, unaq; ad classē lembo transuecta esset, in regressu in-
 tumuit Oceanus, adeo ut lembus adigi in terram com-
 modè non posset. Postulabantur asseres à nautis totoq;
 littore subsidia ad excipiendam Reginan parabantur;
 cū Consalius eam ignobilium ministrorum manib. at-
 tractari indignū ratus, ut erat in sago purpura auroq;
 contexto, in mare pectore tenuis se haud cunctanter im-
 misit, complexusq; Reginan atq; in humerum attollēs
 in littus acclamantibus cunctis eam reportauit. Quoin-
 expectato officij genere tam opportunè quàm alacri-
 ter Regine animū elegantibus obsequijs gaudentē miri-
 ficè delectauit, adeo ut illa uirili ingenio grauissimorū
 consiliorum munia capeffens, & cū Rege coniuge ex
 æquo imperans, unū ante alios Consaliū ad omnia for-
 titer ac splendide peragenda diuino munere natū præ-
 dicaret, & rex æquè grauis, ac prudens animo gratisi-
 mo uel in maximarū rerū deliberatione Regine ple-
 rung; obsequeretur, ut qui ab ea vltioris Hispaniæ re-
 gnū acceperat. Ita euenit, ut cū paranda classis, in Sici-
 liāq; dux bello impiger mittendus foret, ipse Consalius
 tot in clytis Hispaniæ procerib. cōmendate Regina præ-
 ferretur: eo enim tēpore Carolus Gallie Rex octauus
 euocate Ludouico Sfortia, qui Mediolanēse imperiū op-
 presso fratris filio occuparat, totā Italiæ lōgitudinē inui-
 ctis armis percurrēs in Alfonsū regē ferebatur: qua in-
 gētis cursus felicitate pterriti Italiæ principes, utpote

max. caroli
 qm. joana.

qui formidolosa arma uictoris immodiciq; iuuenis ma-
 gnopere suspectarent, animos conuerterant, foedusq;
 inter se pro communi salute percusserant, auctore Ale-
 xandro Pontifice. Is subito Gallorum aduentu occupa-
 ta urbe Roma, in arcem confugiens, iniquasq; amicitiae
 leges accipere coactus, Caesarem filium Cardinalem ob-
 sidē dederat, ut praesenti periculo sese explicaret. Itaq;
 Carolus incredibili celeritate Latina uia progressus,
 cuncta sibi armis aperuit, Aragonijs Regibus Neapoli
 depulsis arceq; expugnata, cuncta sine uulnere usque
 ad Siciliae fretum in potestatem redegit, ita ut Messana
 quoque traiecturus esse credetur, quod eius insulae im-
 perium antiquo hereditatis iure ad Galliae Reges spe-
 ctaret. Quibus de causis Ferdinandus Hispaniae rex Si-
 ciliam firmo praesidio praemuniendam ratus, unum an-
 te alios Consaluum ut inter maiores ipsos Regulos ap-
 petendi eius honoris emulationem praecideret, classi-
 copijsq; praefecit, edicens ut e Carthagine noua primis
 tempestatibus oram solueret. Nam tametsi Ferdinan-
 dus paulo ante Perpennianum urbem in montibus Py-
 renaeis a Gallo Rege benignè concedente acceperat, ea
 conditione ut Aragonijs Neapolitanis Regibus nullam
 terramariue opem ferret, percussus tamen cum publi-
 co, tum suo maxime periculo ad id foedus accesserat,
 quod Pontifex & Maximilianus Caesar Venetusq; Se-
 natus, & Ludouicus Sfortia libertatem Italiae defensori
 percusserant. Itaq; per Antoninum Fonsecam legatum
 Carolo Regi denunciabat, se amicitia incolumi non pas-
 surum uti Pontifex sacrorum Princeps ulla iniuria le-
 deretur. Alfonsus quoq; qui attonito similis Regnum
 Ferdinando

Fernando filio relinquens in Siciliam enauigarat, ubi
 didicit commeatus esse, principum uoluntates, atq; ar-
 ma parari aduersus Gallos, postulabat opẽ à Ferdinã
 do Rege, monebatq; sedulo ut Siciliæ reb. caueret, quòd
 ab insita Gallis uictoribus repetendæ Siciliæ cupiditate
 Carolus obsecundante Fortuna incitatus, cursum non
 esset remissurus, donec tota Sicilia potiretur. Opportu-
 ne itaq; Consalius cum quinq; milibus peditum & sex-
 centis equitib. Hispanico more armatis, Messanam ap-
 plicuit, sub id fermè tempus quo Carolus præsidij per
 singulas Regni præfecturas distributis cum lectissima
 parte exercitus è Neapoli Romam profectus fugiente
 Pontifice in Galliam iter intendit. In ea rerum commu-
 tatione rex Ferdinandus pari desperatione Alfonso
 patrem subsecutus, ab Aenaria in Siciliam traiecerat,
 substiteratq; Messanæ, & cū Federico patruo amiscisq;
 ducibus Regiæ calamitatis Fortunam secutis, de reno-
 uando bello repetēdaq; Neapoli consultabat: ueneratq;
 eò è Mazara Rex Alfonso, ut fratrem filiumq; & uniũ
 maximè Consaluum inuiseret. Is quanquam abdicato
 Regio cultu circumtonsi sacerdotis præferēs, humanis
 curis & uoluptatibus renunciaasse uidebatur, filium ta-
 men & militari consilio, & quanta sibi ex ea extremi
 casus acerbitate supererat pecunia iuuuit. Nec mora, cõ-
 scriptæ sunt aliquot cohortes, nauante in id operam Va-
 gone Cardonio Siculo, cuius erat eximia authoritas a-
 pud Siculos, & insigne studium erga Regem: & eo qui
 dem præclarius, quòd sororem Alfonso Daualo inter
 Regios duces gratia uirtuteq; præcipuo collocarat. I-
 taq; explicatis consilijs, & multo commeatu repleta

classe, cohortibusq; miro ordine in naues distributis,
 Consaluo cohortante omnesque moras praecedente, è
 Messanae portu Rhegium secundo freti aestu traiciunt.
 Nec dubitauere Rhegini territis Gallis in conspectu
 tantæ classis, quin arma caperent, & exoptatū Regent
 singulari alacritate reciperent. Galli sermè omnes in
 arcem confugerunt. Hanc Consaluus oppugnare ador-
 tus, quum prolatis tormentis undique uim inferret, eò
 Gallos adegit, ut inducias peterent, per quas de deditio-
 ne tranquillius ageretur. Sed astutè & dissimulanter
 id petebant, ut eo temporis spatio interiorem muni-
 tionem extrueret, & socij qui in proximis Brutiarum
 urbium praesidijs erāt, de suo periculo admonerentur.
 Sed Consaluus intellecto dolo quū inducias sustulisset,
 eo magis quòd Galli contra edictum paulò antè quos-
 dam Hispanos incautè obuersatos ante arcem minorum
 tormentorum glandibus & quidem lethaliter uulne-
 rassent, totum expugnandæ arcis apparatus protulit,
 accensisq; militibus spe prædæ, atque his magno animo
 rum ardore irrūpentibus arce est potitus, multis Gal-
 lorum cæsis, reliquis ad unum qui in tutiorem arcis an-
 gulum refugerant, concessa uita in deditionem acce-
 ptis. Recepto Rhegio & Gallis sese in munitiora oppi-
 da recipiētibus, Brutij magna ex parte ad Aragoniam
 fidem redierunt. Inde rex profectus ad Sanctæ Aga-
 thæ oppidum posuit castra. Nec oppidani conspecto
 Rege portas aperire cūctati sunt. Galli per eos dies qui
 ut in nullo metu uicatim in aestiuis agebant, ad impro-
 uisi hostis famam aduentumq; opinione celeriozem,
 ad signa Obegnini prouinciae præfecti uarijs iuicri-

bus dissipatoq; agmine coibant Brutiorum præde ex-
 positi; nã agrestes armati notos saltus angustiasq; uia-
 rum insederant, & Hispanorum aliquot turmas Con-
 saluus speculari causa prædatũ miserat, à quibus ala
 Gallorum quæ Semenariam se recipiebat in caua ualle
 circumuenta interceptaq; est, Brutijs infesto clamore
 edito maiorem periculo metum Gallorum ita augenti-
 bus, ut planè sine uulnere ad unum omnes caperentur.
 Ab eo successu Consaluus cũ uniuerso equitatu, Rege
 cum pedestribus copijs subsequente ad Semenariæ por-
 tam prouectus, oppidanos monuit ut Ferdinandũ suũ
 mæ humanitatis atq; uirtutis Regem, quem & antea
 regnante patre benignum liberalemq; dominum ex-
 perti essent, Gallis externis scriisq; hominibus antefer-
 re uellèt, ipsum adesse instructo exercitu ea spe, ut exi-
 stimaret Semenarienses nequaquam ueteris studij erga
 Aragonium nomen oblitos, continuo ad apertis portis
 ad fidem redituros. Iam enim appropinquantis exerci-
 tus tympana exaudiri, & uexilla conspici cœperant,
 & à Consaluo Galli equites ostentabantur, qui in sup-
 plementum præsidij quod erat infirmum euntes ex iti-
 nere oppressi fuerant. Quibus de rebus Semenarien-
 ses quòd auerso animo paucos Gallos facìle cõtēnerēt
 & Aragonia factio clamore edito præualeret, emissis
 per aduersam portam Gallis Regem exceperunt. Coge-
 bat tum undique copias ad Terramnouam quam Teri-
 nam antiquam urbem fuisse quibusdam uidetur, Ebrar-
 dus Stuardus cognomento Obegninus natione Sco-
 tijs. Is uir egregie fortis & impiger à Carolo Rege Bri-
 tijs præfectus cognita Rheginorũ defectione, Persiuum
 Alegrio

Alegrie fratrem cum Heluetijs cohortibus & ualido
 equitatu è Lucania acciuerat, deductisq; ex proxima
 regione presidijs, exercitum robore quam numero fir-
 miorem effecerat: Quibus adauctus copijs nullam pro-
 fectionem moram attulit, & priusquam hostes de Per-
 siii aduentu certiores fierent, ad Semenariam profe-
 ctus est: eo consilio ut cum Ferdinando quam primum
 confingeret, uel si ille Semenariae mœnibus teneretur,
 neque aperto campo se committere uel dimicare aude-
 ret, ueluti uictor expressa hostibus ignauia reuertere-
 tur. Quod ad populos in officio continendos plurimum
 conducere iudicabat, presertim quum ex Campania
 Apuliaq; & Pelignis conuentura ad se auxilia intra
 paucos dies existimaret. At Ferdinandus, qui nondum
 quidem de Persiii aduentu cognouerat, sed tantum de
 Obegnini copijs (eæ pertenues erant) à speculatoribus
 certior erat factus, oppida copias educere, & aduen-
 tanti hosti obuiam ire non dubitauit. Quoniam quic-
 quid nouæ existimationis & gratiæ audendo & For-
 tunam egregia uirtute experiendo paulò antè collegis-
 set, una fœdæ obsidionis & conclusionis infamia con-
 ceptiq; timoris dedecore si oppido se cōtineret, amissu-
 rus esse uidabatur. Consaluus cuius animo ea uis exa-
 ctæ prudentiæ inerat, qua postea ceteros ferè omnes
 nostræ ætatis duces superauit, monere iuuenem recu-
 perandi regni pariter & parandæ laudis auidum cœ-
 pit, atque obtestari, ne prius oppido exiret, quam cer-
 tius de hostium consilio ac uiribus cognosceret; Ea sa-
 tis decora esse consilia quæ dubijs rebus securitatem
 promitterent: illa uerò longè turpissima, atq; miser-
 rima,

rima, quæ à temeritate, dum inanem animi uigorem o-
 stentamus, omnes summæ rei conceptæq; demum niſto-
 riæ rationes cõturbare conſueuiſſent. Ergo inquit Fer-
 dinandus eadem qua Regnum amiſſimis ignauia, nobis
 erit recuperandum? nec quàm ſedendo abſtinendó que
 à prælijs in Aemilia & Campania aduerſam ſenſimus
 Fortunam, eam nunc in tam proſperis cœptis agendo
 audendoq; experiemur: quaſi initia bellorum maxi-
 mum in reliquos ſucceſſus momentum nõ habeant, &
 quæ audacter cœperis, niſi ea perficere fortiter pergas
 fœdum atque infelicem exitum non ſortiantur? Aderit
 audentibus Fortuna, Conſalue, quæ haſtenus pro Gal-
 lis ſtetit, quum iam cœptis arrideat noſtris, nec quos ul-
 tro ad uictoriam uocat, unquam deſeret, niſi ipſam i-
 gnobili cunctatione deſeramus. Videamus aliquando
 Gallorum ora, quos ſola, & ea quidem inanis fama ter-
 ribiles fecit, & ſtrenuè noſtras atque alienas uires col-
 lato pede experiamur. Peditatu & equitatu hominũq;
 ſtudijs, ipſo denique Fortune fauore ſuperiores ſumus
 neque de ueſtra uirtute erit dubitandum. Quis enim
 ueſtrum fuerit qui ſi ſingulari certamine erit depugnã-
 dum, ſuum ſibi Gallum vel Germanum hoſtem alacer
 non depoſcat, atque egregiè non obruncet? Ego certè
 quem primum in acie armis inſignem conſpexero, pri-
 mus eum ante alios intenta haſta princeps inuadam,
 fortiq; auſu exemplum uobis præbebo, ut eodem ardo
 re irrupentes celerem de temulento hoſte uictoriam
 paribus animis referatis. Erant in conſilio plerique ui-
 ri illuſtres, qui poſtea ad ſummam rei bellicæ laudem
 peruenerunt. Andreas è pernobili Capuana familia

Altauilla, Vgo Cardonius, Theodorus Triuulius: pre-
 terea ex Hispanis Emanuel Benauidius, Petrus Pacæus
 Alberadus & Pennalosa, qui quum praelio decertare
 magnoperè cuperent Consaluum orabant, ut militum
 uirtuti diffidere nollet, strenuamq; se operam nauatu-
 ros pollicendo, Ferdinandum ut signa portis efferrè in-
 beret hortabantur. Semenaria edito loco posita est,
 pertinētq; perpetui colles ab eo oppido ad modicam
 uallem que humili uado flumen emittit, ab ea paten-
 tes campi initium habent, in quos Galli à Terranoua
 processerant. Ferdinandus per colles agmen duxit, &
 confectis tribus passuum milibus ad annem peruenit,
 collocatisq; ad leuā peditibus citeriore in ripa, & toto
 equitatu in dextram ad alæ similitudinem exporrecto,
 si hostes annem transirent expectabat. Ex aduerso O-
 begninus atque Persiuus Helucios in unam densatos
 phalangem hostium peditibus opponunt, Brutiorum
 cohortes in tergo subsidiarias collocant, partiunturq;
 inter se equites. Erant ij cataphracti paulò minus qua-
 dringenti, & more Gallico leuis armaturæ bis toti-
 dem, quadratoque agmine transgressi annem in ho-
 stes feruntur. Id conspicati equites Hispani concita-
 tis equis alacriter procurrerunt, & quum armis ui-
 ribusque impares, cataphractorum confertam aciem
 loco pellere nequirent, clamore edito flectere equos,
 & ad suos per gyrum Hispanico pugnae genere re-
 dire coeperunt. Ea res & peditibus Aragonijs ani-
 mum fregit, quum suos ab hoste pulsos refugere puta-
 rent, & Gallos ad incumbendum incitauit. Ita Obegni-
 nus à dextra, & Persiuus à leua ex subsidijs cum ala
 sua

sua in pedestrem aciem acerrimè inuecti, eam totam pe-
 niè priusquam Heluetij à fronte hastas inclinarent, per-
 turbarunt, & compluribus eorum stratis penitus dissi-
 parunt. Ferdinandus frustra suos, ut in pugnam redi-
 rent cohortatus, cum familiarib. cataphractis strenuè
 in hostes incurrit, in aduersoq; insignis Galli pectore
 lanceam perfregit. Sed cum hostium multitudine ob-
 rueretur, in fugam se coniecit. Fugientem cristis auro-
 tisq; armis conspicuum, multi sunt persecuti, sed nemi-
 ne eius cursum equante lapsu equi in arctas concisæ
 viæ angustias præcipitatur. Nec multum inde Galli a-
 berant, quum desuper equo resupinato, stapedi ac luna
 tis ephipij cornibus implicito, summoq; in uite pericu-
 lo laboranti Ioannes Andrea Altauilla frater eius
 scilicet, qui postea militiæ clarissimus multa decora no-
 bili familie suæ intulit, auxilio superuenit, & memora-
 bili charitate equum obtulit, quo ipse perniciosissimo ad-
 salutem utebatur. In eum Ferdinandus uti erat desulto-
 tiæ artis peritia mirè agilis, quanquam grauib. con-
 tectus armis esset, insiliens è manibus Gallorum euo-
 lauit. Ipse autem Altauilla in pedes destitutus, paulò
 post ab hostibus interfectus est. Obegninus magna par-
 te peditum cæsa, non longè ab eo loco consedit amissa
 occasione conficièdi belli, ita ut uictoria uti nesciuisse
 ab omnib. diceretur, quòd nec tot illustres uiros, in qui-
 bus etiam erat Ludouicus Aragonius Cardinalis fuisset
 persecutus, nec ad Semenariam uictorem exercitum
 protinus adduxisset. Quo spatio & illi cū Rege uarijs
 itinerib. incolumes ad classè peruenerunt, & Cōsaluus
 qui acerrimè depugnans non uno in loco restituta acie:

haud dubiè multos seruarat, oppidum ingressus impe-
 ditamenta, & pretiosiore[m] omnem apparatus[m] aspor-
 tavit, Rhegiumq[ue] nequicquam postea persequentibus
 Gallis se recepit. Eo praelio re infeliciter gesta secus at-
 que alijs accidit, Consaluis eximia prudentia[m] laudem
 tulit, quod suis alienisq[ue] uiribus rectè estimatis nihil te-
 merè audendum esse iudicasset. Apparuit nanque Hi-
 spanos equites cum Gallis cataphractis, Hispanosque
 & Siculos pedites cum Heluetiis, uel genere armorum
 uel ordinu[m] constantia nequaquam esse comparandos.
 At Ferdinandus tanto accepto incommodo, quanquã
 à summa spe ad extremam rerum desperationem pun-
 cto temporis erat redactus, nihil tamen sese animo de-
 mittere eosdem propè, ac si uicisset spiritus gerere,
 queri tantum se sua opinione deceptum, ac nihil de for-
 tuna dubitare, quæ iam pluribus ostentis maturum in
 regnum patriamq[ue] reditum despondisset. Inerat eius a-
 nimo fiducia quedam fato potius quam ullis humanis
 innixa rationibus, ita ut cuncta quæ amicorum ani-
 mis obuersabantur pericula despiceret, ac si non mo-
 do ciues sibi fautores, sed & Deos quoque ipsos ter-
 ra mariq[ue] presenti numine adfuturos arbitraretur.
 Nec spes eum, quanquam temere concepta, rem extre-
 mæ difficultatis atque dementiae aggredi ausum fessellit,
 superato namque freto & collectis Messanae circiter
 septuaginta nauibus, in queis aliquanto pauciores
 quam nauta milites erant, secundissimis usus uentis
 Neapolim peruectus est, penè priusquam certior fama
 de praelio ad Semenariam facta in urbem perueniret.
 Exceperere cum ciues incredibili studio, multisq[ue] demum
 rebus

rebus prosperè gestis Gallos urbe arcibusq; expulit,
 uti diffusius in historijs perscripsimus. Dum uerò ea à
 Rege gererentur, Consaluus qui tota ea æstate è Rhe-
 gio extremi Brutiorum anguli oppida aduersus Gal-
 los Obegninumq; recenti uictoria elatum strenuè de-
 fenderat, euocatus à Rege in castra ad Atellam in Hir-
 pinos uenit. In id oppidum Galli duces multis acceptis
 detrimentis compulsi obsessiq; ab Aragonijs ægra spe
 supremi consilij sui euentum expectabant. Nam Ferdi-
 nandus superiore æstate ad Semenariam prælio supe-
 ratus, nihilo secius ac si uictor euassisset inuictos spiri-
 tus gerens conscensa classe cum reliquijs fusi exercitus
 felici ausu Neapolim adnauigarat, urbeq; receptus
 Gallos in arce circumuallatos ad deditiõem fame com-
 pulerat, quanquam Persiuus ab Obegnino obsessis au-
 xilio missus, fuis in itinere Aragonijs, ad Ebulum Pi-
 centinorum geminata uictoria ferox, in conspectum
 arcis deuenisset. Datis enim obsidibus ex lege inducia-
 rum nihil sese commouere obsessi in arce poterant, nec
 Persiuus Eccie suburbani montis munitiones à Prospe-
 ro Columna uenienti obiectas, perumperè ausus fue-
 rat. Itaq; irritò conatu per Pausilipi montis cryptam
 agmen auertit, & retro unde uenerat, in Lucaniam
 reuersus est. Ab eo sædo rerum exitu Gilbertus Bor-
 bonius cognomento Monpenserijs, ad quem milita-
 ris imperij summa authoritas pertinebat, Neapolita-
 na arce cum reliquis copijs emissus, bellum priore ue-
 hementius adiuuante Salernitano Regulo in Apulia re-
 parauit: accessit ei Virginius Ursinus cum Paulo Vitel-
 lio, Pauloq; Ursino & Liuiano tria milia utriusq; ar-

mature equitum adducens. Hic indignatus quòd
 duo Columnij duces Proffer atque Fabritius contra-
 riæ factionis apud Ferdinandum in honore essent, op-
 pidaq; sua in Marsis occupassent, Gallicas partes se-
 quebatur, ex agroq; Romano profectus in Apuliam
 ad Monpenserium Persuumq; peruenerat. Ita coniun-
 ctis tribus clarissimis ducibus, & magno coacto exer-
 citu cum Aragonijs utrinque spes alternante Fortuna
 magnis conatibus certabatur. Nam & rex ipse recenti-
 bus foederatorū Venetorumq; præsertim auxilijs con-
 firmatus, egregiè vim hostium sustinebat, aduentu an-
 tè alios Francisci Gonzagæ Mantuani, qui Tarrensi
 prælio pugnacissimi ducis laudem consecutus post re-
 ceptam Nouariam & Gallos Italia eiectos, Veneti
 exercitus imperator euaserat. Cum eo fuere mirificæ
 Græcorum ale quæ per patentes Apuliæ campos ad-
 uersus cataphractos Gallorum prouolando atque elu-
 dendo equiore conditione certare uidebantur. Fuc-
 re sepius in conspectu aciebus instructis Galli atque
 Aragonij, nunquam tamen uniuerso prælio certatum
 est, quod adeo è re Gallorum erat ut eos exploratæ ui-
 ctoriæ occasionem ad Frengetum oppidum amisisse
 omnibus appareret, idq; malignitate Persui, quòd
 Monpenserium atque Virginium imminentis calami-
 tatis ignominiaq; consortes quàm uictoriæ socios ha-
 bere maluisset. Is peruicaci superboq; ingenio apud
 Heluetios egerat ut non prius pugnam inire decerne-
 rent, quàm ipsis debita stipendia soluerentur. Ita exu-
 ti uetere existimatione Galli duces, instante uestigijs
 Rege, & Græcis terga cadentibus in Atellam con-
 pulsi

pulsi sunt. Igitur Rex in spem potiunde uictoriae ad-
 ductus, statuebat totis uiribus obsidere atque oppugna-
 re hostes, qui temere sese in id oppidum coniecissent,
 unde elabi sine insigni detrimento non possent, modò
 undique circumpositis castris perpetua ueluti corona
 cingerentur. Sed ad eam rem efficiendam augendus no-
 uis copijs exercitus erat, ut separatis castris ad diuer-
 sos uiarum exitus opponi ex tuto hostibus posset, qui-
 bus ex ualido genere ueterum militum non contenen-
 dae uires erant, quibusq; duces diuersarum gentiũ stre-
 nui praesse censebantur. Haec erat causa cur Consalius
 è Brutijs accersendus uideretur, eo namq; coniuncto in
 quo tanta uis industriae militaris uigeret, bellum matu-
 re atq; feliciter confici posse iudicabant. Missus est ad
 Consaluum Bernaudus Brutius uir togatus consilij &
 fidei nomine, auctoritateq; apud Regem pollens. Is man-
 data detulit, docuitq; occasionem summæ laudis sum-
 miq; prouentus ad uictoriam à generoso fortiq; duce
 non esse praetermittendam. Hiemaratum apud Neo-
 castrum, & ad samam receptæ Neapolis Rhegio egres-
 sus uarijs expeditionibus Brutiorũ urbes pulsas Gallis
 in potestatem redegerat, & in his Scylaccum, Croto-
 nem, Sibarim ad Ionium mare spectantes, ipsamq; Se-
 menariã, pro qua infeliciter à Rege fuerat dimicatum,
 Terramq; nouam, & pleraque alia castella opulenta,
 idq; tanto successu, ut in ora magnæ Græciæ, & secur-
 dum littora Tyrrheni maris certatim Aragonij Regis
 uexilla figeretur. Obegninus enim qui dimidiato exer-
 citu infirmus in prouincia remanserat, munitis locis se
 tenebat, quod Persius Neapolim ire perges, ut in arce

obsessis opem ferret, robora Gallicarum copiarum, Heluetias cohortes, & ueteranum equitatum secum abduxisset, quorum postea insigni uirtute nobilem ad Ebulum uictoriam fuerat consecutus. His de rebus Consalius consilij anceps sedulo expendebat an ex re esset, & ad summam totius belli conduceret, in ea Populorum inclinatione Obegninum persequi, ulcisci obiter infestos Andegauensium partium Proceres, eorum spolijs ditare milites, an omnino honestius foret atq; præclarius, petenti opem Regi non cunctanter obtemperare, atq; interesse uictoriæ & crescenti uirtuti suæ, rebus amplioribus gerendis uia aperire. Hæc quum in excelsi uiri deliberatione sententia uicisset, copijs instructis procedit in Cōsentinum agrum suburbanosq; uicos inuadit & diripit, adortusq; Consentiam urbem, quæ in Brutijs summā obtinet claritatē, frustra Gallis ab arce repugnantibus manu capit. Inde profectus eos omnes populos qui Cratis annis in Ioniū sinuoso cursu decurrentis uallem incolunt, in fidem recipit, atque item Castrū francum, quod ex antiquæ urbis Pandosie Alexādri Epirotæ morte nobilis ruina creuisse ea coniectura creditur, quod illac Flumen Acheros præterlabitur, hodie Cāpanianus ab indigenis appellatus. Promotis deinde castris ad Castrū uillarū insigne oppidum ab Aragoniæ factionis exploratoribus didicit, ad Murranum magnam Andegauensium agrestium multitudinem occupatis nemorosis saltibus insidere, ut transituros Hispanos, quod unicum & angustum iter esset, ex insidijs adorirentur. Itaq; speculatus sylvarum situm miro ordine inexpectatus insidiantes tripartitō inuadit, in

uadit, inclusosq; uelut indagine, nec militum uim aut
 clamorem ferentes, magna ex parte cædit, eo successu,
 ut ipse nunquam se opimius uenatum asseueraret. Se-
 quenti die trepidi Muranenses deditionem fecerunt.
 Ab ea agrestium strage patefactis itineribus ad Lay-
 num oppidum Lao flumini impositum, quod Lucanos
 à Brutijs disterninat, contendit. Ibi Sanseuerinæ fami-
 liæ Reguli Andegauensis nominis partes secuti cum a-
 liquot Gallorum turmis, & cohortibus clientium suo-
 rum castra habebant, aliquanto negligentius quàm mi-
 litaris disciplina postularet, quòd de Consalui aduentu
 nihil admodum suspectarent. Itaque Consaluus noctu
 incautos & propè sopitos aggressus, oppidum sine ul-
 lo propè suorum uulnere cepit, tantà felicitate, ut in-
 terfecto Americo Sanseuerino Principe, qui ad tumult-
 um semiernis adcurrerat, supra uiginti nobiles eius
 familiæ cum Oppidanis Gallisq; omnibus caperet, &
 Hispanos suos multa præda ditaret. Nec multò post
 eodem impetu Brutios agrestes qui confragosi itine-
 ris uallibus infederant, adortus, circumuentos cæcidit:
 Ita ut ad aduentantis famam, refugientibus undiq; præ-
 metu hostibus expeditum latè iter pateret. Appropin-
 quantem Regijs castris compositisq; more militiæ pe-
 ditum atque equitum agminibus ordines explicatam,
 Rex ipse Mantuanusq; & Borgia Pontificis legatus
 obuiam progressi, summo cum honore singulariq; læ-
 titia susceperunt. Consaluus conspecto procul Atella
 oppido, situm collium in theatri speciem inferiorem
 planitiem cingentium oculis contemplatus, idoneo in
 loco castra fecit, auidusq; nauandæ Regi operæ, præsi-
 dium

diū Gallorū adoriri cōstituit, ut quid ualeret auderetq;
 Hispanus miles, edito statim insigni facinore, inspecta-
 tibus gentium prope omnium ducibus ostenderet. Erat
 id præsidium in statione extra oppidum ad frumenta-
 rias molas, ad quas exiguus amnis è proximis delabens
 iugis excurrensq; in Ausidum & molendi tritici, & a
 quandi, magnam obsessis afferebat opportunitatem.
 Itaq; Hispanorum cohortes scutatas aduersus Vasco-
 num sagittarios, & post eas hastatos decurrere inuade-
 req; hostes iubet, simul equitatum in duas partes diui-
 dit, eo quidem ordine, ut altera in qua aliquot erant ca-
 taphracti sese inter oppidum & molas insinuaret, e-
 rumpentibusq; Gallis ad ferendam opem opponere-
 tur, altera porrò prouolans, & latè sese extendens ex
 omni parte hostes circumueniret. Itaq; utrinq; concur-
 ritur, attollitur clamor, cruentum certamen editur,
 Heluetij uix consistunt, Vascones nec dum iteratis sa-
 gittis in fugam uertuntur, Hispani leuis armatura cir-
 cumfusi, dissipatos & in oppidum refugientes truci-
 dant. A diuersa parte ij quos diximus cataphracti erū-
 pentia Gallorum auxilia constantissimè sustinent, quo
 temporis puncto Consalius euersis ligneis machinis
 molas perfringit continuoq; suos reuocat, priusquam
 Galli duces maiora præsidia ad ferendam opem expe-
 dirent. Tanta re eo ipso die quo uenerat strenuè patra-
 ta, Consalius præclaram promptitudinis atq; pruden-
 tiæ singularis apud omnes laudem tulit, simul & Hispani-
 nis quorum uirtus adhuc erat incognita, bellici ui-
 goris eximium decus peperit. Sed & triduò post
 Ripæ candidæ oppidum Venusinæ uie impositum
 admisi

admisti Italii Hispani fortiter expugnarunt. At Gal-
 li aduentu Consalvi fractis animis de rerum exitu de-
 sperantes, & aquatione prohibiti, ob quam sepius in-
 felici contentione pro flumine dimicabant, & duo e-
 tiam Pauli, Vrsinus & Vitellius eruptione facta Venu-
 sianam eisdem conati, in itinere fusi, & retro in op-
 pidum compulsi fuerant, de deditioe agere coeperunt,
 Persiusque demum cum rege collocutus, ita transe-
 git, ut Galli omnes in Galliam sine iniuria transpor-
 tarentur, Regno excedentes, tormenta & equos Re-
 gio stigmatibus notatos relinquerent. Sed gentem uini
 & pomorum omnis generis, per eos praesertim astat-
 tis feruores auidissimam, hisque alieno sub caelo in-
 temperanter uescentem, magna ex parte ad Stabias
 atque Puteolos pestilens Autumnus absumpsit. Periit
 inter alios ipse imperator Gilbertus Monpensierus,
 & Lenoncurtius cognomento Baylinus Vitrius, Hel-
 uetiorumque & Germanorum duces quatuor. Virgi-
 nius Vrsinus contra fidem custodiae traditus, post aliquot
 menses in carcere Neapoli interiit. Sed & eadem Au-
 tumni intemperie Rex ipse Ferdinandus correptus
 febre ad Vesuuium, ne degustata, quidem uictoriae la-
 titia e uita discessit, Federico patruo Regni heredi-
 tatem relinquens. Hic Consaluum arctissime comple-
 xus orauit, ut in Brutios conficiendo bello expeditio-
 nem susciperet, nec Consaluum impositum sibi munus
 a nouo Rege detrectauit, regressusque in Brutios, adau-
 ctus nouis copijs, tria Andegauensium partium oppida
 in potestate redegit, uersurus arma in Obegninum, qui
 discessu ipsius in nudatas praesidijs urbes ferebatur.

Sed Obegninus de infelicitate Attellanae obsidionis edoctus, cognitoq; Consalvi reditu, quem maxime sibi metuendum intelligebat, Atellani fœderis beneficio u-
 ti, quàm irritò conatu bis iam damnata fatis arma re-
 sumere maluit, atq; ita deductis præsidijs uacuum pro-
 uinciam reliquit. Nec multò post Consaluus à Federi-
 co Rege ad perdomandos Oliuetanos accitus est. Ii e-
 nim in finibus Aquinatium & Marsorum, mira periti-
 uacia in fide Gallica permanebant, armaq; ipsis infe-
 rentem Rodoricum Daualum Monterisium, Alfonso
 Piscarij germanum fratrem, eximia spei duce[m] ad In-
 sulam Vicium interfecerant. Verùm audito Consalvi no-
 mine, quòd in eius humanitate autoritateq; apud Re-
 gem ueniam sibi repositam existimabant, neque uerò
 uim tanti ducis expectandam censerent, ad Aragoniã
 fidem facta deditione redierunt. Ita receptis pacatisq;
 Oliuetanis quum Neapolim ad Regem rediret, seque-
 returq; eum deditorum frequens legatio, ut eius con-
 mendatione apud iratum Regem pertinaciæ ueniam
 impetrarent, magnis interim precibus ab Alexandro
 Pontifice Romam uocatur. Eo enim tempore Menal-
 dus Guerra Cantaber pirata immanis, ex arce portuq;
 Ostiensi Tyberinas subuectiones ita intercipiebat, ut
 Populus Romanus multarum rerum uiniq; præsertim
 inopia premeretur, quòd negotiatores Siculi, Bru-
 ttiq; & aduenæ Hispani ac Ligures crudelitatem Bar-
 bari timentes aliò cursum dirigerent: nam ut quodq;
 nauigium quis Ostiam adegisset, nisi nautæ sese diripi-
 dos capiendosq; continuo demissis uelis sublatisq; re-
 mis ad ripam arci subiectam consistrent, coniectis ex
 propin-

propinquo tormentis demergebatur . Nec adeo multum abfuerat quin Pontificias triremes incautè ad amnis fauces prouectas interciperet , aut certè demergeret . Neque ea truculenti prædonis feritas ulla condicione propofita leniri , aut alia ui subigi poterat , nifi in inſanū arroganterq; pertinacem , & diras imprecatio nesq; ſacroſancti Pontificis impiè contemnentem iuſtum bellum inferretur . Nemo autem qui maturè atq; feliciter perdomare immane monſtrum , atq; urbem extreme mediæ periculo liberare poſſet , Conſaluo efficiator & promptior futurus uidebatur . Obtemperauit Pontifici Conſaluus cohortante præſertim Federico Rege , continuoq; cum ſuis peculiaribus copijs Romanam contendit , paucosque poſt dies loco idoneo ad Oſtiam caſtrameatus eſt , poſtquam Menaldus per ſuperbiam atque obſtinationem , neq; à maleficijs temperabat , nec de integro motas pacis conditiones ullas admitteret . Triduòque tantum in apparatu conſumpto , ſpeculatus omnes aditus incredibili iudicio Centurionibus conuocatis prædixit locum per quem eſſet irrupturus , prolatis enim ab una parte tormentis , ut qua tiendo murum hoſtes ei periculo intentos diſtineret , ab altera ſcalas parari iuſſit , quibus auerſo nec opinante hoſte moenia ſuperaret . Subicere ab utroque loco Hiſpani alacriter , ſed ad conſtrati muri ruinas aliquanto cunctatius , uti erat præceptum : admotis autem ſcalis ad deſtinatam partem tanta celeritate coronam moenium ceperunt , ut paucis deſenſoribus deiectis , & multo clamore edito , maiorem Gallorum manum que perſracti muri hiatus tuebatur , auerteret , & undi-

que caesis captisq; Gallis Ostia cum arce caperetur. Menaldus perditis rebus contusa animi ferocia uitam tantum petens, sese cum ignominia uincendū tradidit, ut mox ludibrio cunctis futurus in triumphum duceretur. Ingressus est triduo post Urbem Consalius Ostiensi porta, ouanti similis, inter acclamationes urbanae multitudinis, tanto beneficio accepto planè pates, eaq; ouatio iusti triumpho gloria nobilior existimata est, quòd hæc ipsa uictoria ineffabili populi Romani commodo parta, apud omnes ciuium inquilinorumque ordines maximas gratulationes insignemque lætitiā & plausum iucundissimum excitaret. Vehebatur in equo strigoso uinctus Menaldus, cana barba ad horrorem proluxa, incultaq; & trucibus oculis metuentus, fractos quidem, sed non planè domitos spiritus tristiore amaroq; intuitu passim ostendens, quem per mediam Urbē gratissimi spectaculi pompa inter tympana & tubarum cantus sequentibus cohortium alarumq; uexillis in Vaticanum duceretur. Pontifex autē in amplissimo ornatisimooq; conclauis sub umbella in solio sedens uenientem Consaliū, assurgente senatu, & genua ad sacros pedes flectentem, oblato oris osculo excepit, accuratāque oratione laudauit, gratias agens quòd Urbem inuecta rerum omnium copia maximis incommodis liberasset. Ad ea breui & grauius modesto sermone respondens Consalius, nihil demum petijt quàm ut de more Christianæ clementiæ, suppliciter & ad pedes proiecto ueniāque petenti Menaldo parceretur, Ostiensesq; acerbissimis detrimentis afflicti, sublatis uectigalibus, decem annorum immunitate fruere-

fuerentur. Quæ omnia Pontifex sanè benignè Con-
 salui precibus tribuit, Menaldusque in Galliam abire
 permissus est. Nec multò post Consalvus eximijs mu-
 neribus à Põtifice, Romanoq; populo honestatus, Nea-
 polim ad Federicum redijt, sed ex itinere quum Latina
 uia Romanis finibus excessisset, Gulielmæ arcis oppi-
 dum inter Venasfrum & Fregellas, quòd Gallicum no-
 men pertinaciter coleret, neq; clade Gallorum permo-
 ueretur, autoritate sua in potestatem redegit: tantam
 enim & uirtutis & clementiæ opinionem præferebat,
 ut plura suadendo deterrendoq; quàm ui & armis di-
 micando conficeret, ut iam nemo rebellantium esset,
 qui in certam spem æquæ conditionis se dedere, quàm
 ad non dubium ineuitabilis excidij euentum inuicti dis-
 cis uim experiri mallet. Quum uerò Neapolim esset re-
 uersus, tanto cum honore lætitiâq; Rege obuiam pro-
 deunte, & Neapolitanis uias exornantibus, arcem in-
 trauit, ut uerè dignus MAGNI cognomine ab omni-
 bus censeretur. Nec multis post diebus à Rege duabus
 urbibus septemq; oppidis uirtutis nomine donatus, in
 Siciliam nauigauit, quòd ibi conquerentis Siculis mul-
 ta à Ioanne Nuccia præfecto, auare peruerseq; admini-
 strari, nec ex fide cõmodoq; Regis frumētariæ nego-
 ciationis uectigalia locari, exigiq; cognouerit: eius ad-
 uetus sanè toti Siciliae expectatissimus fuit. Nec multò
 post quū Siculis omnibus conuentū Panhormi edixis-
 set, paucis diebus autoritate & moderatione ingenti,
 & præclara iudiciorū equitate, Nuccia seuerè admoni-
 to ut benignius imperare cõdisceret cūcta cõposuit. Re-
 bus Siculis ex Ferdinadi sententiâ cõstitutis, à Federico

Rege iterum in Italiam euocatus, ad eum ultra Sylarim annem, quum Dianum nobile oppidum oppugnaret, in castra uenit. Dianenses enim Antonelli Salernitani Reguli & Sansseuerinae domus clientes, Andegauenfibus partibus fauebant, uni propè omnium nihil fracta spe, quòd Gallicas classes ad renouandum bellum ad ea littora uenturas rebantur. Itaq; confisi loci munitione ingentiq; copia parati antea commectus, magnæ sibi gloriæ futurum putabant, si cæteris uictori Regi manus dantibus, soli propè omnium in fide permansissent. Conatus est Consalius per colloquia Dianenses Regi conciliare, sed apud peruicaces animos insanientis multitudinis omnia frustra fuerunt, quum summæ humanitatis conditiones se etiam uade patronoq; offerret. Ita res ad uim bellumque conuersa est, Consalique monitu à duabus partibus tormentalia subiecta sunt, uineisque oppugnantes protegentibus, oppugnatio in aliquod dies protensa est. Quæ laborum diurnitas magis ac magis spe prædæ atque uindictæ milites accendebat, quuum contra obfessi cædis atq; supplicij metu, quanquam fessis corporibus in suprema pertinacia agrè animos sustinerent, propugnatores acerrimi redderentur. Sed cum oppugnationis exitum Consalui humanitas Dianensibus dedit, ut ui perdomiti captiq;, ac supremos cruciatus meritò expectâtes, eo deprecante misericordiam ab irato Rege impetrarent. Postquam uerò Federicus Neapolim est reuersus, Consaluo redditæ sunt literæ, quibus eum rex Ferdinandus, ut de rebus gestis quàm exactissimè docerentur, in Hispaniam reuocabat. Igitur

tur cum delecta parte copiarum, atq; his maxime præfectis equitum & centurionibus, qui digna laude præmiò que facinora tot bellis ediderant, conscensa classe in Hispaniam enauigauit. Incredibile dictu est, quanto cum honore eum Rex Isabellæque Regina susceperint, confitente Rege aliquanto plus gloriæ Hispanico nomini fuisse partum, consanguineis & gentilibus suis in auitum regnum restitutis, quam ipse nuper capta Illiberi, & Mauris Granatæ regno pulsus percipisset. Eam uerò commendationem & laudem non adulatione, sed ex animi iudicio profectam re ipsa præclare testificatus est, magnis in eum beneficijs optima & planè Regia liberalitate collatis, sed quum nè sic quidem opibus & patrimonij Fortuna maioribus Hispaniæ Regulis æquaretur, quòd Alfonso fratri natu maiori tota paternæ dittonis hereditas Hispanica lege obuennisset, uno certè spectatæ uirtutis præconio ferè omnes anteibat. Nec dum exacto biennio quum requiem à tantis laboribus atque ocium in terra patria quæsisse uideretur, Fortuua illa eadem quæ antea nequaquam instabilis, sed fida uirtutis comes extulerat, nouam belli materiam nouosq; triumphos non inerti utique, sed generosè semper ad parandum decus erecto protinus ostendit. Per id enim concessæ quietis tempus tumultuantes Mauri Granatini qui Baudelem Regem bello uictum, amissòque Bæthicæ regno Hispania decedentem sequi noluerant, & in fidem certis legibus recepti fuerant consternati ad arma speciem noui grauissimiq; belli præbuerunt, quòd sese ad Christiana sacra ui adigi minime paterentur,

Iamque ab his repente rebellantibus regie stirpis in-
 uenem ex proxima Mauritania in spem regni accer-
 siri apparebat, qui maximis Barbarorum auctus au-
 xilijs continuo traiecturus esse uideretur. Ad eum tu-
 multum excitus Rex Ferdinandus quantas pro salute
 dignitateque Hispanie copias efficere possent omni-
 bus Regulis imperavit, breuique erectis omnibus &
 impigre rem nauantibus copie peditum ac equitum
 penè innumerabiles conuenerunt. His autem militari
 cum imperio Consaluum praefecit, graui hercle iudicio
 ne summae dignitatis atq; potentiae Regulos, si ex eo-
 rum ordine quis praeferreretur, ceteris ueluti despectis
 offenderet, quum nemo existimatione sibi aequalem ef-
 ferri uellet, libenterq; extra emulationem inferiori o-
 pib. pareret, qui uirtutis opinione peritiaq; rei milita-
 ris & locorum utiq; noticia, in queis egregiae fortitu-
 dinis monumenta reliquisset, confessione omnium sin-
 gulos anteiret. Per hunc modum accepto imperio cum
 exercitum per turmas cohortesq; diligenter inspice-
 ret, & milites tirones à ueteranis segregandos dimit-
 tendosq; domum arbitraretur, Alfonso fratri aliam tra-
 ducenti, ut cito agmen cogeret & pertransiret, impe-
 rauit, adeo graui seueraque uoce, ut fratris oblitus &
 suae tantum personae memor esse uideretur, cumq; ma-
 xime potentiae Reguli exactissime parentes, magno-
 perè laudarent, & Mauri unum cum inter duces ma-
 xime tinendum arbitrarentur. Nec multo post Mau-
 ri transnarinarum auxiliorum spe decepti, territique
 tantis expeditis productisq; hostium copijs animos de-
 sponderunt, quum Consaluus tot iam colloquijs cum
 duobus

duobus eorum Regibus notus, & semper pacis benignus arbiter æquissimam pacem ostentaret, ita ut sine sanguine summæ difficultatis negociū adiuvante procuranteq; Mendocio Tendilio Granatinæ arcis præfecto, ignoscenteq; Rege Ferdinando tota Bæthica pacaretur. Tulit autem Consalvus humanitatis civilisq; industriæ laudem castrensi gloriæ parem, quod una tantam eloquentia fretus, tantam rem sine sanguine decoram atq; utilis Regio nomini perfecisset. Eo quoq; tempore Ludovicus Gallia rex qui Carolo repentina morte sublato successerat, itemq; Pontifex Alexander & Veneti, Florentiniq; adversus Ludovicū Sfortiam Federicūq; Regem diro toti Italiae fœdere coniurarant, ijs conditionibus, ut Ludouico Regi Mediolanum, Venetis Cremona cederet, Cæsari uerò Borgiæ Pontificis filio, qui Candiano fratre immaniter interfecto, sacri sepulchri honore abdicarat, in Galliaq; Carlotā Alabretanæ Cantabriæ Regis filiam uxorem duxerat, auxilia præberentur, quibus Flaminia Aemiliaq; & Umbria urbes, trucidata aut eieccta omni antiquorū Principū stirpe, inuaderet, regnū uerò Neapolitanū Reges ipsi Ferdinandus & Ludovicus inter se partirentur: tanta autē calliditate Ferdinandi nomen in fœdere suppressū est, ut Federicus à nemine in ipso summi periculi metu, maiorem opem quàm à Ferdinando consanguineo, ueterē que suo defensore certius expectaret. Hac atroci Principum conspiratione Sfortia circumuentus, cum à Maximiliano Cæsare per se pecunia semper indigente, & frustra opem expectaret, ad Baiazetem Turcarū impe-

ratorem legatos misit, qui docerent in unum id consilia
 sententia confectæ in Italia res essent, communia arma
 terra mariq; in Gracciam transferrentur. Intellexit oc-
 casionem atq; periculi momentum Barbarus, exem-
 ploq; mare Ionium magnis classibus compleuit, Schê-
 derbassamq; Illyrici præfectum, qui omni belli clade
 Venetos fines popularetur ad intimum usque sinum
 Euganei littoris cum expedito equitatu, ita ut Venetæ
 urbis turres conspiceret, penetrare iussit. Sed adeo gra-
 uiter Gallica arma ab alpibus in Sfortiam incubue-
 runt, prementibus etiam à tergo Venetis, ut miserè de-
 sertus ab omnibus, & planè proditus à suis, amisso Me-
 diolano in Germaniam effugere sit coactus, idq; pau-
 cis ante diebus quàm Turcæ obiecta præalta flumina,
 Lipientiam, Natisonem & Tiliauentum Anaxumq;
 tranantes acerbissima calamitate, nihil tale timentibus
 agricolis illata, in Taruisinum agrum peruenirent.
 Aliud quoq; Venetus detrimentum cum summo dedeco-
 re ad Protum inter Sporades insulas ad Peloponnesi-
 ram accepit, quòd Grimanus classe ualidior cum O-
 thomanica classe congressurus, aliquot triremes na-
 uesq; ingentes duas incendio absumptas, exploratæq;
 demum uictoriæ occasionem turpiter amisisset. Sed no-
 toto uertente anno cū Ludouicus Sfortia Heluetijs au-
 xilijs & Burgundionum equitatu instructus, Mediola-
 nū pulsus Gallis recepisset, oppugnata etiā captaq; No-
 uaria, is demum belli exitus fuit, ut Gallorū duci Tra-
 mulio proderetur. Ascanium quoq; fratrem eius Car-
 dinalem Veneti in Placentinum agrum fugientem ce-
 perunt

perunt, Gallisq; deposedentibus tradiderunt. Baiazetes uerò per Isthmum cum ingentibus copijs Peloponnesum ingressus Methonem expugnauit. Iuncum quòd Nestoris pylus olim fuit, & Crisseum ultra Acritem hodie Galli caput appellatum, Coronemq; in potestatem redegit, quum paulò antè & Naupactum in Actolio sinu & Dyrrhachium in Epiro Venetis ademisset. His secundis Turcarum successibus Veneti perterriti ab omnibus Christianæ Reipublicæ Regibus opem implorabant; primusq; omnium Ferdinandus eorum precibus benigne liberaliterq; respondit, utpote qui supra recentis gloriæ nomen, nonum decus cumulare contenderet, quum nuper eximia uirtute & pietate insigni Mauros Reges Bæthicæ regno expulisset: quanquam altioris consilij causa suberat, ut scilicet diuisi ex foedere cum Rege Gallo Neapolitani Regni dimidiam partem paratis copijs occuparet. Itaque Malacæ amplam classem exornauit, maximè enim decorum fore uidebatur, si Reipublicæ laboranti religionis causa expeditam opem attulisset, Siculis prospiceret rebus, priuatisq; simul consilijs, quæ tum detegenda non uidebantur, in tempore deseruaret. Itaque Consaluis publico omnium iudicio & fauore delectus est, qui in Siciliam militari cum imperio traiceret, atq; inde aduersus Turcas contendens, cum Veneta classe iungeretur. Eoq; modo militibus ad classem Malacæ conuenire iussis Alfonso fratris opibus liberalitateq; adiutus è Malaca Messanam, atq; inde Zacynthum secundis tempestatibus nauigauit. Recensentur in ea classe quatuor insignes Ligusticæ naues, omni bellico apparatu exornate, quarum

maxima nomine Camilla Prætoria fuit. Præterea minores onerariae trigintaquinque, Celoces militariter instructæ septem, Trirèmes octo, quatuor Biresmes. In his fuere circiter octo milia delectorum peditum, equites mille ducenti, in quibus plerique summæ nobilitatis iuuenes Consalvi nomen secuti, & ante alios corporis atque animi magnitudine præcellens Didacus Mendocius Toletani Cardinalis filius, conspiciebantur. Cesserat Turcis paulò antè Cephalenia, quam postea Melchior Triuisianus, Grimano ob rem male gestam à Senatu damnato, relegatoq; in Ossorum Absirtidum insulam, succedens frustra oppugnat. Hæc maximam ad maritimas negociationes habebat opportunitatem, uerebanturq; Veneti, ne Barbari hostes pari audacia euentuque proxima Zacyntho potirentur. Tenebat tum maris imperium Benedictus Pissaurius militari constantia uirtuteq; animi inter Venetos maximè insignis, confiteratque cum uniuersa classe ad Zacynthum. Is summo cum honore ingentique omnium alacritate appellentem Consaluum suscepit, & cum eo communicatis consilijs Cephaleniorum urbem oppugnare consiuit. Othomanica tum classis ad Hellepontum inclinante Autumnno se receperat, quum ad Baiazetem in Hispania, Gallia, atque Italia aduersum se parari classes fama peruenisset. Ipse Methone capta, & Nauplio in Argolico sinu ex itinere frustra tentato, in Thraciam redierat. Cephalenia inter Zacynthum & Ambracium sinum Ionio in mari sita est, gemino portu ubertate agri, & dulcis aque fontium copia nobilis. Ea magnam in negociatione ma-

ne maritima opportunitatem habitura uidebatur, præsertim amissa Methone quæ tutissimam stationem nauigantibus in Syriam antea præbuisset. Igitur omnibus quæ ad oppugnationem opus erant undiq; comparatis, Consalius priusquam eò traiceret, Legatos ad Turcas, Pucium Trierarchum & Solisium insignem peditem præfectū transmisit, qui docerent opulentissimi Regis Hispaniæ ueteranas copias longa exercitatus militia, quæ ipsorū sectæ Mauros deuicissent, auxilio Venetis aduenisse, propterea si insulā arcemq; dederent, incolumes abituros omnes, sin Hispanorū uim experiri, & tormentorum iclus expectare uellent, nullū postea uenire salutis locū inuenturos. Ad ea Gisdares natione Epirota præsidij præfectus alacri uultu, gratias inquit uobis agimus uiri Christiani, quòd nobis aut uiuis, aut egregiè defunctis eximiam constantiæ gloriā apud Baxetem parituri estis. Nos nullis hominū minis perterremur, quū omnibus media in fronte uitæ exitū Fortuna præscripserit. Itaq; duci uestro renūciate singulis militibus meis septenos esse arcus & sagittarū septena militia, quibus interitū nostrū egregiè ulciscemur, si fato aut uirtuti uestre succūbemus. His dictis arcū ualidum cum pharetra inaurata, muneri Cōsaluo ferendū dedit colloquiūq; diremūt. At Consalius atq; Pisaurius idoneū nacli uētū à Zacyntho ambobus Cephaloniæ portibus inferūtur, expositisq; in terrā copijs, hinc Veneti, illinc Hispani castra ponūt, & omnē tormentorū apparatus admovent. Habebat Pisaurius anea tormenta ingētis magnitudinis, quæ Basilisci nomine uocabātur. Horū tāta uis erat, ut pilæ ferreæ octonū pedū murum

transuerberarent, & quaecunque intus muris adhererant, horribili fragore diruerent. Contra Turcæ supra quam cuiquam credibile sit, intrepidè consistere, foeda suorum strage non commoueri, munimenta interiore in parte ex congestitia gleba materiaq; construere, tormentis incessanter uti, tantam deniq; sagittarum uim emittere, ut his, totis castris tentoria complerentur, eoq; res erat atrocior, quòd sagittæ ueneno illitæ, uel iclu minimo mortem sauciatis militibus afferebant: sicuti Seruantio Velasco summæ nobilitatis atq; uirtutis iuueni accidit, qui prius quàm à Venetis medicis certiora ad id remedia peterentur, leui ex plaga celeriter extinctus est. Arx erat saxeo tumulto imposita, propterea aditus in eam per accliuem rupem & ruentium murorum stragem difficilior præbatur, subibant tamen Hispani impigrè, & cruenta omnibus horis contentione præliabantur. Nec Turcæ sibi deerant, missilem namque ignem, sagittas, saxa in confertos iaciebant, aliquos scalis subeuntes, demissis uncis ferreis quos lupos uocant, ab imo thorace baltheisq; correptos, in murum extrahere nitebantur. Quibus uncis ante alios cum summo uitæ discrimine pependit Didacus Garcias Paredius, qui postea multis bellis eximie fortitudinis laudem adeptus est. Erumpebant per obscuram noctem sepe Turcæ quod tempus tenebrarum beneficio ab omni tormentorum periculo uacuum esse uidebatur, tantamq; sagittarum multitudinem totis castris superfundebant, ut sepe Consalui prætorio cum summo cubantis discrimine figerentur. Quibus malis quàm nulla propè ratione occurri posset, Consal

nus remedium admodum salubre ingenio fretus exco-
 gitauit: opere enim militari munitionem angulari sa-
 fligio contra portam oppidi obuersam, & lateribus
 undiq; septa edificauit, & in ea ad conspectum portæ
 atq; aditus, quæ Turcis eraterumpendum dispositis col-
 libratisq; tormentis communiuit, ita ut Turcæ prius
 tormentorum pilis certo prope ictu directis sternerentur,
 quam ad solitum sagittandi spatium peruenirent.
 Ea res Barbarorum audaciam fregit: namq; Pigncrius
 uir fortis, cui tuendæ munitionis cura fuerat demanda-
 ta, intentis semper ad id excubijs bis eos de more erumpen-
 tes adeo feliciter excepit, ut repentina pilarum
 procella non exiguus eorum numerus fuerit interse-
 ctus. Ex aduerso Turcæ cuniculum perfecerunt, per
 quem noctu erumperent, & ad Consalui tabernacu-
 lum deferrentur: sed ipse Dijs præclarè tanti uiri salu-
 tem tuentibus tantum discrimen somnio monitus uita-
 uit. Ita contrario effecto cuniculo, ut cum nece teter-
 rima Barbarorū cōiecto in illum incensoq; sulphureo
 puluere obuiam iretur. Interim commeatus penuria
 Hispanos haud mediocriter afflixerat, partim quorum-
 dam mercatorum incuria & tarditate ad alendam tan-
 tam militum & nautarum multitudinem auarè com-
 meatus expedientium, partim nauigandi difficulta-
 te: nam hiberni dies erant & mare seuis Aquilonibus
 agitatam quotidianas ex Corcyra & Zacyntho sub-
 uectiones retardabat, usque adeo ut plerique incogni-
 tis herbis atque fruticibus uesci cogerentur, unde tor-
 mina uiscerum incurrerent, recondita tamen erat u-
 trisq; in castris & classibus aliqua frumētī copia: Itaq;

paruas trusatiles molas, quæ in unaquaque trireme ne
 xorum remigum manibus uoluerentur, Consalus insti
 tuit, & quum cribra deessent, lintea ad excernendos
 fursures, uela rara scortorum capitibus detraxit, fur
 nosq; subitaneos & clibanos paruos in littore ad per
 coquendos panes extruxit: quum reliqui cacabis cõtu
 sum triticũ quanquam uentribus inimicum cũ larido
 percoquerent. Quibus rebus non modò leuata est fa
 mes, sed utraq; castra noua spe uictoriæ sunt cõpleta.
 Nam per eos dies Petrus Nauarrus, qui postea ad sum
 mũ imperij militaris honorem euectus est, nũrabilium
 operũ inuentor muri partẽ excinderat, suffosis in sub
 iecta arci rupe cuniculis, atq; his tormentario puluere
 ad excitandam flammam repletis, qua repentini ignis
 uiolentia, obstrusis scilicet undiq; spiraculis cuncta ce
 leri momento rumpebantur. Iamq; uoces indignantiũ
 militum audire erat, quòd in expugnatione ignobilis
 oppidi aduersus incermes sagitarios tot dies absumpsis
 sent. Itaq; Consaluus singulari ardore militum fretus,
 communicatis cum Pisaurio consilijs, qui alteram oppi
 di partem oppugnandam susceperat, uniuersas simul
 uires admouere constituit, magnis in concione propo
 sitis præmijs ijs, qui primi in oppidum perrupissent.
 Ergo omnibus rebus ad supremum eius oppugnatio
 nis certamen diligenter ac industriè comparatis, tuba
 signum proponitur, cuncta uno tempore maiora mi
 noraque tormenta emittuntur, tanto fragore edito, ut
 tota insula subito ueluti quodam terræ motu concussa
 penitus mergi & fluctibus absorberi crederetur. Non
 muri, non erectæ intus munitiones, non Barbarorum
 constantia,

*constantia Hispanorū cohortes morantur, certatim in-
 feruntur signa, cæduntur in uestigio stationis fortissimi
 Turcæ, oppidum extemplo capitur. Ocluaginta circi-
 ter Turcæ uiui in potestatem deueniunt, ex his maxi-
 mē qui superiorum dierū uulneribus debilitati primas
 partes defendendā muri sibi desumere nequuerant. Cæ-
 teri omnes circiter trecenti in summa mortis contentio-
 ne propugnantes cum Præfeto Gisdare ceciderunt.
 Ita ut qui modò Turcarum arma, & rude militiæ ge-
 nus despiciabant, illorum uim, si cum magnis eorum co-
 pīs certandum foret, maximē timendam esse iudica-
 rent. Cephalenia capta Consaluis multis de causis in
 Siciliam sibi omnino redeundum existimauit, quanquā
 Veneti de expugnanda Leucade deliberarent: namq;
 Regijs ex literis paulò antè didicerat Gallorum duces
 qui Mediolani essent pluribus cōductis Heluetiorū co-
 hortibus, & ualida classe Genue cōparata ad prima
 Veris signa terra marique Federico Regi bellum illatu-
 ros. Itaq; tantas quantas maximē debuit Pisaurius di-
 scedenti Veneti senatus nomine gratias egit, in præ-
 miumq; nauatæ operæ dono dedit uasa ex auro argen-
 toq; calata, coccineos itē lanceos pānos, & sericos pur-
 pureos, & plures ex his auro intertextos, Equos uerò
 Thracios decem, & auri argentiq; signati circiter decē
 milia aureorum nūmū, quæ ferè omnia exercitui in uni-
 uersum Regia liberalitate & sigillatim militū amico-
 rumq; fortissimis diuisit, quū uix quatuor ingētes schy-
 phos ad exornādū in pace abacū, tanquā testes uirtu-
 tis suæ & Venetæ munificentie retinendos censuisset,
 quum eximia animi magnitudine lauream de capta*

Cephalonia labore partam omnibus illis muneribus
 anteferet. Sed Fortuna prædulce illud præclaræ lau-
 dis decus, domestici luctus amaritie perfudit. Sub id
 enim tempus Alfonsus frater familie princeps, & sum-
 me authoritatis dux ad Syluam Vermegiam à Mauris
 est interfectus, quum ea gens certa pacis conditione
 post Granatense bellum in Turdulorum montibus re-
 lieta, quòd ab Antistite Toletano Christiana sacra su-
 scipere cogeretur, correptis armis rebellasset. Itaq; Al-
 fonsus adoriri eos, & bello persequi iussus, quum auda-
 cius pugnando progredieretur, & ingruente iam no-
 cte Mauri ex insidijs undiq; in eum consurgerent, con-
 fesso equo cecidit: nec Gironius Vroniæ comes eius ex-
 peditionis collega circumuento opem ferre ausus est,
 licet & Petrus Alfonsi filius iuxta patrem grauissimis
 uulneribus acceptis in eodem periculo uersaretur. Sed
 Franciscus Aluarus à Corduba idē fortissimus & fidissi-
 mus cliens, summotis magna ui Barbaris transfixa co-
 xa iacentem erexit, equoq; impositū egregia cum lau-
 dæ seruauit. Sed ut eò unde discessimus reuertamur,
 postquam Consaluum classe non modò incolumi sed ni-
 strici Messanam applicuisse nunciatum est, legationes
 ei undique ex omnibus Siciliæ urbibus, cum donis ui-
 ctorem gratulatum uenerunt. Verum eius reditus Fe-
 derico Regi longè gratissimus fuit, quòd imminentis
 Gallici belli cura anxius, omnem reliquam spem in Hi-
 spanis Consaluiq; uirtute ex uetere amicitia collocas-
 set. Veneti enim & Florentini in societate Gallorum
 erant, Pontifex Alexāder aduersus Federicum cū Gal-
 lo coniurarat. Quibus de causis Federicus legatos ad
 eum

eum sepius in Siciliam misit, ac simul frequentibus litte-
 ris edocebat, quanti terra marique Gallorum apparatus
 ad inuadendum Siciliam fierent, si ipsi tantæ moli in-
 stantis belli impar destitutusque ab omnibus antiquis so-
 cijs Neapoli Regnoque excedere cogeretur. Consalvus
 qui Ferdinandum Ludouicumque Reges, occultè ani-
 mos consociasse, Neapolitanumque Regnum inter se ex
 quo diuississe cognouerat, Federicum spe auxiliorum
 aliquandiu sustentauit, quanquam id quidem inuitus
 faceret, namque ingenuis antea actæ uitæ moribus, atque
 ipso (quo maximè erat laudatus) inuiolato sinceri ani-
 mi candore, penitus indignum arbitratur, optimum
 Regem de se benemeritum, mutuisque beneficijs sibi in-
 amore coniunctissimum fallacibus promissis traduce-
 re, ut ille mox deceptus atque elusus, natura senis, ac
 superioris belli clade exacerbatis hostibus proderetur.
 Sed Ferdinandi Regis iussis erat seruiendum, ne dum
 priuato decori studeret, Regi suo fidem fallere uideretur,
 cuius animû quibusdam offensionibus alienatum,
 Federicus aduersum se concitasset. Agitasse enim cum
 Ludouico de pace perpetuaque concordia ferebatur,
 quam annua pecunia certisque tributis redimere con-
 tendebat. Eam rem periniquè tulisse uisus est Ferdinan-
 dus, quum id Regnum inimicæ gentis tributarium fie-
 ri nolle, quod eius patruus Alfonsus maior, singulari
 uirtute belloque difficili ac sæpe ancipiti uictoria quasi-
 uisset, quodque ipsa paulò antè Hispaniæ Siciliæque opi-
 bus aduersus eosdem Gallos defenderat. Nec multò post
 quum Galli duces magnis instructi copijs è Cisalpina
 Gallia in Campaniam delati, per inducias capta Ca-

pua crudeliterq; direpta, Aragonias copias deleuissent
 Federicus desperatis rebus cum uxore & liberis in
 Isclam Aenariae Insulae arcem confugit, iratusq; Hispano
 Regi à quo nefaria simulatione se proditum quere-
 batur, cum Namurtio atque Obegnino Gallorum du-
 cibus tradita arce Neapolitana transsegit, ut sibi tuto
 liceret in Galliam nauigare, expeririq; Ludouici Re-
 gis clementiam, quem supplex esset aditurus. Per hunc
 modum Federici rebus ueluti repentino turbine pro-
 stratis, Consalius, uti antea constitutum ex occulto
 foedere fuerat, è Messana Rhegium transgressus, bre-
 uiter omnes Brutiorum urbes in potestatem redegit. His
 enim legibus Reges foedus inter se percusserant, ut in
 diuisione Regni tota Campania & Samnium, populiq;
 Marforum & Pelignorum, cum ipsa Neapoli Gallo-
 rum ditionis essent: Brutius autem ager & Lucania,
 Apuliaq; omnis, cum Salentinis ad Hispanos pertinere-
 rent. Ante alia autem Consalius genoroso prestan-
 tiq; iudicio priusquam Federico Regi arma inferret, le-
 gatum Neapolim ad eum misit cum mandatis, ut urbes
 atque oppida in Vestinis ad Garganum montem, qui-
 bus superiore bello, ob egregie nauatam operam ab eo
 donatus fuerat, per solennes tabulas resignaret, ne qui
 hostis ex iussu Ferdinandi Regis sui futurus erat, tan-
 quam abolita ueteris accepti beneficii memoria ingra-
 tus uideretur. Sed Federicus uerecundiam & magnitu-
 dinem animi in Consaluo miratus, se agnoscere uel in
 hoste uirtutem respondit, proinde nequaquam poeni-
 tere ueteris suae erga eum liberalitatis, atq; ita renouata
 donatione cum amplissimis codicillis legatum remisit,
 congestis

congestis utique miris laudibus in Consalvū, qui se Re-
 gio imperio coactum arma inferre, liberali testificatio-
 ne ingrati animi notam diluisset. Post id factum San-
 seuerinae familiae Regulis, Bernardinoq; praesertim Be-
 senniano oppida ditionemq; restituit, quos triennio an-
 te Federicus ueluti sibi insensos, & Gallicis rebus per-
 tinacissimè studètes expulerat. Putabat enim Consaluus
 ea liberalitate uoluntates eorum esse redimèdas, ut ali-
 quando Andegauensium partium obliuiscerètur, qui-
 bus Brutios prope omnes superiore bello semper fauis-
 se perspexerat. Columnios quoque Romanos proce-
 res altiore consilio sibi adsciuit, ac eos multo cum hono-
 re humanitateq; singulis alarum Praefecturis honesta-
 uit. Fabritius enim quum Capuae captus fuisset, è Gallo-
 rum manibus pecunia se redemerat. Prosper uerò Fe-
 dericum seu iam iniquae Fortunae tēpestatae iactatum
 reliquerat, sepe eius consilium euentu calamitosum &
 infelix non obscure detestatus, quum ille Hispani Regis
 odio & uana spe Gallicae benignitatis inductus, ad Lu-
 douicum supplex atque miserabilis in Galliam nauiga-
 ret. Erat & in Sicilia Ioannes Columna Cardinalis
 Prosperi frater, qui, quum Alexander Pontifex Vrbi-
 nos proceres in clientelam recepisset, liberaliq; supen-
 dio conductos, Caesaris filij militiae adscripsisset, & Co-
 lumnios urbe atq; oppidis paternis eiecisset, & ipse vr-
 be profugerat. Enimvero Consaluus, uti erat summa
 ingenij altitudine, summoq; ingenio praeditus iam non
 obscura diuinatione prouidebat Gallos cū natura pra-
 feruidos, tū ex uictorijs nullo negotio partis insolètes
 & immodicos, nequaquā statutis imperij finibus con-

tentos fore, & propterea exarsurū aliquando bellum,
 quo in decus suum pulsus hostibus nobilissimum Re-
 gnum Ferdinando Hispaniæ Regi eiusq; posteris uen-
 dicaret. Ad eas res quas & spe & magnitudine animi
 spectabat præmoliendas, plurimum pertinere arbitra-
 batur, Columnios summæ nobilitatis, spectatæq; uirtu-
 tis militares uiros, sibi Hispaniq; Regis nomini quam
 primū adiungere, Quos non modò Pontifici Gallo-
 rum socio, ipsisq; maximè Gallis infensos esse, uerū
 secum ueteres Italicos milites Aragoniosq; omnes, &
 magnum affinium clientiumq; suorum numerum in
 partes tracturos intelligebat. Federicus Regno & Ita-
 lia excedens Ferdinandum filium adolescentem natū
 maximum, quem ineptè Calabriæ ducem uocabant,
 Tarenti reliquerat, ut urbem totius Regni munitissi-
 mam atq; opportunissimam præsidio tueretur. Cum
 Ferdinando erant Iohannes Geuarra Potentianus Re-
 gulus, & Leonardus Aletius è Rhodia militia uir bel-
 lica uirtute insignis. Mansfredonia quoque ad Garga-
 num montem ubi uetus Sipontus fuit, Federici præsi-
 dio tenebatur, reliquæ urbes arcesq; in Gallorum aut
 Hispanorum potestatem concesserant. Itaq; Consalius
 coactis in unū copijs, & acceptis à Namurtio qui Gal-
 lis omnibus præerat, Vasconum sagittariorum cohorti-
 bus duabus & totidem equitum alis, ad Tarentum
 castra posuit. Eò quoque uenere Prosper ac Fabritius
 bellumq; geri coeptum, Nam Aragonij plerunq; erum-
 pebant, & in subiectis urbi campis equestribus præ-
 lijs admixto pedite cum Hispanis contendebant. Sed
 Consalius quum urbem ui ac tormentis expugnare se
 posse

posse desperaret, premendam acri obsidione, ac fame domandam iudicauit. Nam tametsi munitiones in castelli altitudinem contra portam crexerat, indeq; tormentis oppugnaret, tamen erat loci natura ut Aragonij egregie sese defendentes, tormentis contra propugnacula collocatis, ea ui hostium minime terrerentur. Est eius urbis admirabilis situs utpote quæ undiq; mari abluitur: Absciderat enim eam à continenti Alfonso iunior, cui Straboni cognomentum fuit, quum Turcæ Hidrunte capta inter alias Salentinorū urbes Tarento propter summam eius portus opportunitatem imminerent, urbsq; nunc eo loco est constituta, quo antiquitus Tarentina arx amplissima fuit, tam longa quam inani Annibalis obsidione nobilitata: ubi uero uetus Tarentum fuit, nunc ingentes sunt ruinae, passimq; admiranda deletæ urbis uestigia apparent. Igitur Tarentum urbs noua est, totaq; in eam insulam traducta, & circumfluo mari cinctæ, duobus ligneis pontibus ab ortu & occasu tantum aditur. In capitibus interioribus eorum pontium duæ sunt egregij operis arces ædificate, quæ ab utraq; continenti intercurrentibus duobus e uripis, difficilem habent oppugnationem. Ab aperto autem mari nequaquam adigi possunt naues: nam id urbis latus perpetuis scopulis à natura permunitum est. His difficultatibus deterritus Consalius, exquisita operū ratione aggeres fossasq; iustæ magnitudinis sub urbe ad tormenti iactum circumduxit, duosq; à pontibus egressus adiectis castellis è cespite, tormentisq; impositis præsepit, atq; ibi hiemare constituit. Hispanorum autem classes & Siculorum ab aperto mari cuncta

latè obtinebant, ambosq; aditus eius insule quæ portu
 efficit perpetuis custodijs obseruabant, ne per eos aut
 exitus aut ingressus in portum & ad urbem ullis nau
 gijs præberetur. Fuit ea obsidio omnium quæ in Italia
 audite sint maximè diuturna, sed quæ admodum &
 segnis. Nam Aragonij sicuti urbem per se ex agri pro
 ximi fertilitate commoditateq; facillimè navigationis
 rerum omnium copia abundantem, importato etiam
 ac aduectitio comætu referferant, ita quietos hostes
 laceffere & periclitari uires quæ admodum erant exi
 guæ, summæ temeritatis esse censebant. Dum Taren
 tum obsideret Consaluis, dabat operam ut in omnibus
 cum bellicis tum priuatis rerû actionibus, aliquo sem
 per illustri uirtutum exemplo ab Italis, ipsisq; præci
 pue Gallis admirabilis haberetur. Inter alias quæ ei nõ
 minus à natura quàm ab arte eximie dotes inerant, li
 beralitate qua maximè militum animi capiuntur, ad
 modum insignis fuit. Nemo enim eo aut exquisitis aut
 opportunius, aut deniq; hilarius unquam erga suos
 non modò, sed & hostes ipsos magnificentie splendo
 rem exercuit. Peruenerat à Lesbo insula tum fortè ad
 proxima Calabriae littora seuisimis eiectus tempestati
 bus Philippus Rauastenus Belga, Gallicæ classis præ
 fectus, nauibus partim naufragio amissis, partim ui
 uentorû dissipatis: ipsa uerò Prætoria nauis adeo quas
 sata, ut quum uiolenter ad Cytheram insulam scopulis
 illisa, magnis rimarum hiatibus aquam undiq; admisis
 set, ipse seminudus cum nobilioribus euaserit. Ad eum
 itaq; Consaluis cum nauis confectum, tum recentis
 periculi imagine, rei q; malè gestæ dolore consternatû,
 omniq;

omniq; castrensi & domestico exutum apparatu, continuo dona misit, quæ & presenti rerum fortuna maxime congruebant, & (si multitudinem pretiumq; spectares) Regiam liberalitatem superare uidebantur. In his præter omnis generis commeatus uim ingentem, fuere sericæ uestes pretiosis fibellarum ceruariorumq; luporum pellibus suffultæ. Itemq; lecti serici, stragulae, tapetes, & uasa argentea in mensarum usum, nobilesq; aliquot equi phalerati, tantusq; earum rerum numerus fuit, ut ad eius quoq; comites ferè omnes ea liberalitas perueniret: quibus muneribus adeo sibi Gallorum animos obligauit, ut tantum uirum cum omni laude, tum eo ipso quod regebat, regno dignum prædicarent. Aderant cum Rauastenio plerique Gallicæ nobilitatis iuuenes, & ante alios Ioannes Stuardus Albanie Regulus in Scotia Regiæ stirpis adolescens, quæ postea inelyti nominis ducem in Italia uidimus. Iamq; ipse Rauastenius minus iniquo animo fortuna acerbitate ferebat, quum nulla in re se Consaluo parem esse fateretur. Paulo enim antè æmulatione gloriæ ductus inuitantibus Venetis in Lesbū Insulam nauigarat aduersus Turcas, ut Consalui decus Cephaleniæ feliciter partum, expugnata Mythilene, tanquã nobiliore urbe insulaq; superaret. Sed ea oppugnatio alacriorib. aliquanto quam fortiorib. Gallorū animis tentata, sædum admodū habuit exitū: nã ab urbe, cuius moenia tormētis latè prostrauerāt, propugnāti. ingēti animo Turcis repulsos insulaq; excedētes atrox ac uehemēs tēpestas in Aegeo mari adeo dissipauit, atq; iactauit, ut nulla ex his quæ superfuere nauib. aliarū cursū tenere potuerit

Ceterum non deerant Hispani milites, qui quum Gal-
 lis ea dona plurimum inuiderent, in contubernijs &
 coronis aperte dictarent, Consaluum regia manu opes
 in alienos profundentem, militum suorum egestati po-
 tius prospicere debuisset, utpote quibus multorum men-
 sium stipendia deberentur. Adeoq; ea uis iniquioris in-
 uidiæ indignabundos militum animos inuasit, ut uno
 consensu subita alienatione consternatus exercitus, ca-
 ptis armis instructaq; propemodum acie, aduersus du-
 cem stipendia flagitaret: iamque eò processerat furor,
 ut hastas contra inermem inclinarent, neq; ulla res eū
 in tanto discrimine magis tutata est, quam mira oris
 constantia, uerborumq; maiestas. Siquidem militi gre-
 gario atrocibus oculis cuspidem intentanti leua haste
 supposita arridens dixit, Attolle miles incaute, attolle
 cuspidem ne me per ludum transfodias. idq; tam fami-
 liari uultu ac si miles ille alioqui peracerbe dentibus in-
 frendens iocari uideretur. Violatus tamen est contume-
 liosissimo uerborum genere: nam excusanti stipendio-
 rum dilationem, & se in extrema pecunie inopia con-
 stitutum esse iuranti, Hischia Cantaber Centurio super-
 be respondens, si pecuniam, inquit, non habes, filias tuas
 prostitue. Quod uerbum quanquam nullum conceptæ
 indignationis signum, ab irato in presens exciuerit, a-
 deo tamen alte in pectus descendit, ut quum seditio se-
 secuta est Hischiam correptum laqueo strangulari, se-
 nestræq; suspensum exercitui spectandum proponi ius-
 serit. Ea seueritate Consaluus pristinam imperij autho-
 ritatem, quæ recēti militum consternatione penè amif-
 sa con-

sa conuulsaq; fuerat, non modò recepit, uerùm & in-
 posterum seditiosorū ac petulantium animos, ne se di-
 cto factōue ledere auderent, eius repentini supplicij a-
 trocitate deterruit. Crebræ tamen uoces ab totis cohorti-
 bus edebantur, ut extemplo, aut debita sibi stipendia
 persolueret, aut uniuersi soluti sacramenti religione
 dimitterentur. Aliam enim sibi milites Fortunam libe-
 ralioremq; militiam cupidissimis animis spectabant:
 namq; eo forte tempore Cæsar Borgia Alexandri Pon-
 tificis filius, quum omnium Umbriæ, togatæq; Galliæ
 & Thuscæ Regulorum imperijs & ditionibus inha-
 ret, magno stipendio, ingentiq; præda ex opulenti ur-
 bibus ostentata, ueteres milites maximeq; Hispanos ad
 se uocabat. Ita ut iam uniuersi per partes sensim dilap-
 suri, ac signa deserturi uiderentur. Verùm ei Fortuna,
 quæ ipsum in arduis rebus nunquam destituit, alienato
 prope exercitu, & nullum ex Hispania Siciliaq; aurū
 expectanti, opportuno præsentiq; numine adfulsit. Si-
 quidem ex mercimonijs admodum pretiosis Ligusticæ
 nauis, quæ Asiam petens forte in Tarentinum sinum ue-
 nerat, repente ditatus est, quum eam nihil tale expe-
 ctantem, atq; à triremibus Liscani Hispani circumuen-
 tã, iure quodam quòd ferrum ad Turcas deferret per
 Pucium Trierarchum in prædam uertisset, earum mer-
 cium pretium centum milium aureorum nummūm su-
 perasse ferebatur. Coactus nimirum est contra naturã
 suam Consaluis impotenter agere, non quidem auari-
 tia inductus, sed extrema impulsus necessitate: ut scili-
 cet milites in officio contineret, quorum uirtuti confi-
 sus maxima quæq; atq; ardua feliciter se confecturum

sperabat, si eorum ingenia aliquot iam de causis de-
 prauata, uehemēterq; incitata exoluto stipendio paca-
 rentur. Solebat ille dicere quum humana iura uiola-
 ret, Imperatori æqua uel iniqua ratione omnino esse
 uincendum, ut parua demum uictoria detrimenta illata
 miseris cumulata liberalitate sarcirentur. Iam aliquot
 menses in ea lenta obsidione consumpserat, quum mul-
 tis sensim coniecturis factus est certior, Gallos haud
 quaquam ea Regni diuisione contentos, occultè hosti-
 lia moliri, literisq; transmissis sollicitare Geuarram Fer-
 dinandi Aragonij adolescentis nutricium, & Leonar-
 dum præsidij præfectum, ut Gallis potius, quàm Hi-
 spano Regi, qui ipsius patrem Regem prodidisset Ta-
 rentū dederent. Auxerat quoq; suspicionem Alegria
 Gallorum ducū longè promptissimus, qui paulò ante
 per speciem religionis postularat, ut sibi aditus pare-
 ret ad Sancti Cataldi templum, cuius numen tanquam
 tutelare à Tarentinis religiosè colitur scilicet ut uo-
 tum pro salute susceptum oblati donarijs præfens e-
 xolueret. Per idem quoque tēpus Galli Manfredoniae
 Præfectū ut ipsis potius quàm Hispanis arcem urbem-
 que dederet, magnis pollicitationibus inuitarant. Sed
 Consalius Gallorum conatus in præoccupanda Man-
 fredonia, miris artibus superauit, & cum Geuarra e-
 ditionem maturandam, adolescentem æquis propo-
 sitis conditionibus hortarentur. Iam ipse admirabili stu-
 pendaq; ratione Annibalis Poeni exemplo circiter ui-
 ginti nauigia plaustris imposita ab aperto pelago in-
 internū atq; conclusum mare transuexerat. Est id latū
 miliaris

militaria circiter quatuor instar ingentis stagni, in cir-
 cuitu uerò decem & octo milia passuum amplectitur,
 semperque uel seuis incidentibus tempestatibus tran-
 quillam & tutam nauibus stationem copiosissimamq;
 piscationem præbet. Ab ea parte Tarentum minime
 munitum erat, sed domus popularium frontibus inter
 se coniunctæ promuro erant, nihil unquam hostile ab
 ea parte expectantibus Tarentinis. Nauibus itaq; in-
 genti militum plausu, multisq; tympanorum & tuba-
 rum cantibus in portum deductis & toto mari uagan-
 tibus, magnus Aragonijs terror illatus est, Quamquã
 ea res specie ipsa quàm usu & facultate oppugnatio-
 nis terribior erat. Nec multò post ueluti desperatis
 rebus Leonardus atq; Geuarra Ferdinando adolescen-
 ti persuasere ut se incolumem melioribus Fortune ca-
 sibus seruare uellet. Quia si consensescere obsessa in ur-
 be perseveraret, certa ei uita pericula instarent, infen-
 sos enim ipsi imminere lögè maximos Reges, ceteros ue-
 rò Principes corũ esse fœderatos, à quibus auxilia op-
 periri et opinione stultũ & exitu miserũ uideretur. Ta-
 rentinos porrò adeo cumulatis diuturnæ obsidionis tæ-
 dijs & incõmodis afflictos esse, ut iã acerbiora quæq;
 exoptet, modò obsidiõe belloq; liberati tot arũnis atq;
 laboribus finẽ inueniãt, si urbẽ arcẽq; dederet, à Cõsal-
 uo facile impetraturũ, ut sibi in quas uelit terras cũ Re-
 gia suppellestile & domestico comitatu liberè profici-
 sci liceat. Igitur Ferdinãdus his adductus cõsilijs Geuar-
 rã emittit, induciẽ sex dierũ statuũtur, cõmeãtibuscq; in
 urbẽ Aloiso Errera, & Petro Paceo Cõsalui Præfectis
 de Tarẽti deditiõe trãsigitur: cuius quidẽ præpropere

ditionis leonardus & Geuarra Tarētīnorūq; primo
 res inuidia deflagrarūt. At Ferdināduſummo cū hono
 re, ſingulariq; humanitate à Conſaluo ſuſceptus, quum
 ex conditionibus Regno excedere & paterna ſequi cō
 ſilia maturaret, è Bytunto oppido non multò poſt Ta
 rentum retrahitur, fruſtra querens & gemens quòd à
 ſuis fallaciſſimè inductus & ſub fide Regia nefariè pro
 ditus cuſtodia traderetur. Nec multis inde menſibus
 (quod uehemēter mcerorem eius auxit) in Hispaniam
 deuectus eſt, ubi in libera honeſtaq; cuſtodia paterna
 ſimul fortunæ & iniquæ ſuæ ſortis caſum equo animo
 ferre condiſceret. Verebatur enim Conſaluus, ne adole
 ſcens Federici patris conſilio innixus ad Gallos tranſi
 ret, Aragoniorumq; animos in ſpē recuperādi Regni
 erigere, & ab Hispanis curaret auertere. Iubenti enim
 regi & ab ſe minus honeſta poſtulantī Conſaluus uel
 cum laude ſuæ dignitatis parendum iudicabat, Quod
 tametiſi ſacramento adactus quæ promiſerat non præ
 ſtaret, id totum tamen ad imperantis Regis arbitrium
 referretur; qui uti abſens, ignarusq; earum rerum ex
 Iure conſultorum reſponſis nulla conſalui ſponſione
 obligari poſſe cenſeretur. Interea oborta eſt conten
 tio de ſinibus regionum inter Gallos & Hispanos to
 gatorum primo hominum & Iure conſultorū, moxq;
 inſolentia & libidine militari ad cruentā altercationē
 deducta, quum utrinq; à Conſaluo atque Namurtio pu
 blica monumenta deſcriptarūque regionum tabule
 ex Geographorum atque annalium fide ad iudicij con
 iecturam proferrentur; Quando iam à multis ſæculis
 immutante uetuſtate urbium & regionum antiqua
 nomina

nomina perierint, aut perperam translata corruptâ que semibarbaris uocibus, tenebras scribentibus legentibusque offundunt. Constabat enim Neapolitanum Regnum, quod pari prope aestimatione Reges Gallus & Hispanus inter se diuisissent, in quatuor Præfecturas, ita partientibus antiquis Regibus abisse. In Campaniam scilicet quæ magna ex parte Laboria terra dicitur, extenditque sese nouo Regni limite à Fundano saltu ultra Sarnum & Sylarim Picentinarum extremos amnes usque ad Laum, Lucaniã à Brutijs diuidentem: cuius prouinciæ caput est Regia ipsa Neapolis ubertatererũ omnium incredibili, prospectuq; maris periocundo, & quòd animis uel tristibus perpetua hortorum uiriditate semper arridet. Post Campaniam incipit Aprutina regio olim Præcutina: hæc ab Apennino per Samnium ad Hadriatici maris orã protenditur, cuius caput est noua urbs Aquila, ex antiquis Amîterni Forconæq; ruinis edificata. Reliquas porrò duas, à læua Apuli Salentiniq; obtinent, à Gargano scilicet monte, ad Iapygium extremum desinentis Italiæ promotoriũ. Quarta autem regio Brutijs attribuitur, quibus hodie perperam Calabriae nomen est inditum, quũ contrã Calabriae sint, qui circa Brundusiũ Apuliã ad mare Superũ incolunt. Brutiorũ caput est Cosentia. Ita Brutij sub falso Calabriae nomine à Sylari ad fretum usq; Siculum extenduntur, comprehensa quidem ad Ionium magnæ Græciæ ora, eãque parte Lucaniæ simul intercepta, quæ inter Laum hodie Lainum & Sylarim Tyrrheni maris littus attingit. Brutij itaque & Apuli Hispanis, Cãpania omnis cũ Aprutina regione Gallis

obuenerat. Intererant autem duæ exiguæ & nouæ quæ
dem appellationis regiones, Capitanata scilicet & Ba-
siliicata, abscissæ proculdubio ab Apulia atque Luca-
nia, quum uetusti reges noua semper diuisione gaude-
rent, ut benemeritis proceribus quorum numerus æ-
quo amplior offerretur, donatiui nomine præfecturas
largirentur. Capitanatam complectuntur amnes duo
Fronto scilicet, qui hodie Fortoris nomen induit, &
Aufidus in siticulosa Apulia nobilis. Basilicatam au-
tem Hirpinorum & Lucania fines includunt. I-
gitur Tripalda quod est oppidum in Hirpinis
parato, sed nondum ccepto bello limen ape-
ruit, cum Galli ea occupata superuentu
Hispanorum, qui eam tanquam suæ di-
tionis repetebant, cõmisso cruento
certamine infelicitè dimicassent
Ab hoc enim, quanquã leuis
pugnæ prospero euentu,
totius obuenturæ uictò-
ria non dubium o-
men accepe-
runt.

FINIS PRIMI LIBRI
DE VITA

475

DE VITA ET REBUS GESTIS
CONSALVI FERDINANDI COR-
DUBÆ COGNOMENTO
MAGNI
LIBER II.



VVM hæc in Hirpinis gesta essent, Galli ulturi iniuriam, tanquam turbata pace, sese in Hispanos è proximis præsidijs effuderunt, certatumq; est per multas cædes de possessione oppidorum quæ ambigui iuris esse uiderentur. Sed Consalius quod dispersis per hyberna copijs suis ualido paratoq; hosti esset inferior, iure & legibus, quam armis disceptare malebat, testabaturq; legatis ad Namurtium missis, id foedus quod inter Reges ictum esset, se nulla ex parte uiolaturum, nisi ad summam iniuriam sibi uis inferretur, ne temerè sumptis armis inexpectatum ambobus Regibus bellum excitaret, quod demum nisi luctuoso rerum exitu finiri non posset, seris utiq; remedijs ad repetendam pacem, cū Fortuna semel alterutræ partis causam uel leui rerum inclinatione fouendam suscepisset. Ad ea Namurtius respondebat, nihil se omnino ex his regionibus appetere, quæ disertè in foederis tabulis Hispano Regi adscriberentur, arbitrari autem, quæ prætermisse uideri possent, Capitanatam scilicet & Basilicatam, ad se potius æquissimo iure pertinere, quam ad eos qui feraciores frumentariasq;

Prouincias ex rudi uel astuta diuisione consecuti, Gal-
 lis demum præclaro hereditatis iure, in eo regno po-
 tioribus Pelignorum, & Præcutinorum steriles atq; as-
 peros montes reliquissent. Quum eo modo intentis u-
 trinq; armis de interpretando foedere, æquitateq; diui-
 si regni disputaretur, Consalius atq; Namurtius in col-
 loquium deuenerunt, apud Templum Diuo Antonio
 dicatum. Id erat religionis causa percelebre inter Atel-
 lam & Melphim. Constitère igitur ambo duces conse-
 crato in loco, ad aram maximam, ubi solennia sacra
 peracta sunt, dictisq; sententijs in utramq; partem ali-
 quandiu de ratione finium explicationeq; foederis cõ-
 tendere. Sed is disceptationis exitus fuit, ut oppida, de
 quorum possessione dubio iure certaretur, interim cõ-
 munitatis imperij forent, erectis scilicet amborum Regum
 uexillis, donec è Gallia pariter & Hispania exploratis
 Regum uoluntatibus, quid illi in perscribendo foedere
 sensissent intelligique uellent, interpretatione legitima
 referretur. Nec multò post milites, quibus à certa spe
 prædæ, bellum maximè utile & concordia semper ina-
 nis & sterilis fuit, ipsiq; duces ingenio astuto ambitio-
 soq; bellicæ laudis atq; potentiæ percupidi, male auspi-
 catas inducias sustulerunt, adeo turbatè, ut Consalius
 non temerè sibi timens, quòd Gallicis præsidijs undiq;
 circumuentus uideretur, ab Atella auijs atq; noctur-
 nis itineribus ad fallendas suspectæ gentis insidias pro-
 fectus, per Bytuntum atq; Andriam Barolum conten-
 deret bellumq; pararet. Reges enim artificio simulatio-
 nis impliciti pari libidine id totum & integrum quod
 ex belli Fortuna parari posset, uehementer affectantes
 adeo per-

adeo perplexè atq; obscurè respondebant, ut se tan-
 quam ignaros earum regionum nequaquam ad exa-
 ctæ diuisionis rationem, in concipiendo fœdere condi-
 tiones expendisse faterentur, proptereaq; integrâ tra-
 ctandæ afferendæq; concordie facultatem ad ducum
 arbitrium callida dissimulatione reijcerent, quibus ta-
 men ex arcano præscripsissent, sicuti postea cognitum
 est ut nihil ex controuersia diffinirent: sed uni tantum
 commodo, uel extra ius & æquum inniterentur, ac eâ
 quæ magno certoq; usui foret gerendi belli occasionem
 arriperent. Eo modo cum utrinque ab astutis ingenijs
 belli causa iactaretur, nec (uti credi uolebant) æquita-
 tis atq; iustitiæ simulatio diuturna esse posset, nudatis
 utiq; animis bellum erupit, grauiore quidem impetu
 Gallorum, qui paratiores non ea modo quæ ambigui-
 turis uideri possent; sed iam planè Hispanis adiudicata
 Apuliæ oppida urbésque inuadebant, egregiè quidem
 resistentibus Hispanorum præsidijs, atq; his sæpe erum-
 pentibus, ita ut quotidiana prælia miscerentur, incolâ-
 rum uerò opes utriq; militi prædæ essent, & Apuliæ
 pastionis uectigalia fugatis pastoribus & direpto peco-
 re euerterentur. In apricos enim atq; tepentes Apuliæ
 campos, ex algidis Apennini xallibus deducta ingens
 maioris, atq; minoris pecoris multitudo, quotannis hi-
 bernabat, magnoq; id Regibus erat emolumento, quòd
 inde supra centum millia aureorum nummum porto-
 rij nomine penderentur. Consalius cum de gerendi
 belli sede consultaret, & nonnulli proceres Lucaniam
 alendo militi trahendoq; bello aptiorem, firmioremq;
 putarent, cohortante Prospero Apuliam & Barolum

urbem ceteris omnibus prætulit, ibiq; maritima usque
 opportunitate, commeatus & auxilia certius atque
 commodius expectare constituit; scilicet ut initio uehe-
 mens Gallorum impetus mora ipsa & perutili cuncta-
 tione frangeretur. Vrbs Barolum ab Heraclio impe-
 ratore ædificata fuisse fertur, idq; facile indicat ænea
 pedestris eius statua, quæ in foro erecta conspicitur.
 Portum habet iacta mole manu factum, sed iustæ classis
 minimè capacem, nec Coro Aquiloneq; perflantibus
 omnino tutum, triremibus tamen paucis, merca-
 torijsq; nauigijs opportunum. Ex aduerso Namurtius
 quum aduocatis in concilium ducibus de administran-
 di belli ratione sententias exquireret, quòd in unum
 minimè consentirent, nihil quod ad uictoriam condu-
 cere uideretur, suspensa deliberatione decernebant.
 Erat in partibus Gallorum Andreas Matthæus Aqua-
 uiua Præcutinæ Hadriæ Regulus, ingenio optimis lite-
 ris excullo, exercitatioque militiæ inter alios Andega-
 uensis factionis proceres facile primus: cuncti enim
 ferè eius sectæ ab Hispanis ad Gallos defecerant. Is ni-
 hil potius ac omnino utilius atque securius ad non du-
 biam spem incruentæ propè uictoriæ demonstrabat,
 quàm admotis continuo uiribus uniuersis, Barium op-
 pugnare, in potestatemque redigere, proximam scili-
 cet amicamque hosti urbem, nobileque totius Hadriati-
 ci maris emporium: unde maxima terra marique Con-
 saluo detrimenta inferri possent. Subessetq; inde fa-
 cultas Bytunti copiose urbis potiunde, expugnandiq;
 in ora Iuuenatij, quod olim Iuuentus Egnatia fuit. Ob-
 tinebat autem Barium Isabella Aragonia Alfonsi Re-
 gis filia,

gis filia, hostili animo in Gallos mulier, quod euerso
 Sfortianæ domus principatu ipsius filiū ex Ioanne Ga-
 leacio Sfortia genitum in Galliam abduxissent, ut ibi
 adolescentulus sacris cucullatorum initiatus, captiuoq;
 similis, extra paterni imperij spem, sacratis in claustris
 consensescere cogeretur. Hæc uti generosam decebat,
 gerentemq; paternos spiritus, ferre non poterat Gal-
 los rerum dominos, qui duo, paternæ simul & coniu-
 galis fortunæ suæ imperia deleuissent, propterea mirifi-
 cè sauebat Hispanis, à quibus ipsa genus duceret, ipsiq;
 præsertim Consaluo, à quo uti sæpe Barium adeunte
 inuisenteq; studiosissimè coleretur. Erat id Aquæuius
 consilium in rem aptissimum: sed in fatis erat, ut Galli
 tota Italia pellerentur. Ex aduerso enim duo ueteres
 acerrimiq; duces inter se sensibus affinitatèque coniun-
 cti Alegria atque Palicia id consilium oppugnãdæ fœ-
 minæ, tanquam ignobile fortibusq; uiris turpissimum
 improbant, ubi dux hostium & belli caput, & quic-
 quid floris esset in Hispanicis copijs: præterea Colum-
 niij tanti nominis duces Gallico nomini infensi, oppri-
 mi posse uiderentur, quando Barolitana moenia per se
 uetusto ædificandi more debilia, nulloq; intus aggere
 confirmata, nec primos quidem tormentorū ictus ferre
 possent. Futurum enim esse si egregio nobiliq; impetu
 quo Gallicum decus semper creuit, seq; super cæteras
 gentes feliciter extulit, audendū arbitrarentur, ut urbe
 capta, deletisq; hostibus, bello uix dum cæpto, finè im-
 poneret: aut certè Consaluū priusquã nouis erectis ma-
 nitionibus, se permuniret, & maioribus augetur co-

pijs, ad iniquas omnino pactiones compellerent, om-
 niq; penitus uetere existimatione spoliarent. Ad ea Na-
 murtius, hæc inquit ueluti speciosa, maximeque decora
 auribus quidem, sed nemo sanus tanquam ardua atque
 aspera factu ad animum admisserit. Neque enim adduci
 possum, ut acerrimum credam hostē & pro salute &
 gloria propugnantem, tormentis nostris continuo ces-
 surum, aut deditiois nomine quicquam admissurum,
 quod indignū pristina sua dignitate uideri possit. Quo-
 fit ut obsidere Barolum quam oppugnare satius existi-
 mem, quod hostis commeatus inopia laboret, quod pe-
 cunia indigeat, & quod maximum ad uniuersi belli ui-
 ctoriam momentum affert, Brutij ultro desciscentes
 vexilla Gallica singulis in urbibus extollant. In hanc
 igitur sententiam continuo iere Ludouicus Arsius &
 Castellio cognomine Formantes, ipseque Ciandeius He-
 luetia legionis præpositus. Obegninus enim, cuius post
 Namurtium in castris summa erat autoritas, cum ter-
 tia serè exercitus parte ex Apulia profectus, in Bru-
 tios contenderat: apud quos iam pridem nomen eius
 erat percelebre, quod superiore bello ex præfectura
 moderatè & leniter illis semigræcis gentibus impe-
 rasset, & bellica demum uirtute inclytus ipso Consal-
 uo cum Rege ad Semenariam memorabili pugna supe-
 retur: Quibus de causis multas amicitias, multasque in
 illis regionibus haberet clientelas, ex uetere scilicet
 Andegauenſium partium studio, & tum peropportu-
 ne Sansseuerini Principes audita Regum discordia ab
 Hispanis descisissent. In his erant Bernardinus Be-
 sennianus,

fennianus, Robertusque Salernitanus, & Honoratus Myleti comes: quorum maximæ atque expedite opes erant ad conflandum bellum, si eò pergere Obegninus, uti erat multorum literis ac nuncijs accersitus, & exoptata diu Gallica signa proclinatis ad defectionem populis ostentare maturaret. Nec prope- rantem opinio de Brutiorum studio non temere conce- pta usquam sefellit: nullum enim oppidum fuit, cum ipsa urbe Cosentia, quæ aduentanti minimè portas aperiret, ipseque eo successu depulsis undique Hispano- rum præsijs, & Magistratibus, propè sine uulnere ui- ctor usque ad Messanæ fretum deferretur. Interea Na- murtius medijs atque ideo parum salubris consilij ratio- nem secutus, diuisis per circumiecta oppida copijs, ex longinquo obsidere hostes, qui Baroli constitierant, sub- uectos commeatus intercipere, excursiones hostium co- hibere, infirmiora eorum præsidia tentare, atque ex- pugnare constituit, sic ut plures dies utrinque milites susceptis ex occasione diurnis nocturnisque expeditio- nibus exercerentur, leuia tantum prælia fierent, osten- tandæque uirtutis causa quæsitis frustra congressibus Galli dictitarèt, strenuos quidem pedites Hispanos ui- deri, equites uerò secus, ut pote qui eludendo & in gy- rum flectendo equos, robustas Gallorum hastas formi- dare, concursionesq; uitare ignobili fuga consuessent. Non tulère elatis animis uerborum contumeliã nonnulli Hispani equites, ita ut responderent, si pari numero, & paribus armis quibus cataphracti uterètur, pro glo- ria decertare uellent, se patentem in campum proditu- ros, ut qui nam maximè strenui bellatores forent, Gal-

lian Hispani, nobili spectaculo edito, uerum ex collata uirtute specimen præberetur. Non abnuere conditionem Galli, dièque constituta, Venetus [Tranij] præfectus, uti ex professo nemini socius, & utrisque paritudo amicus atque hospes, locum certamini, Veneto tutum præsidio, ad urbis moenia concessit. Ea autem prouocatione Consaluis magnopere letatus est, quòd studio parandæ laudis milites accendi, exacuique eorum uirtutem egregia contentione perspiceret. Undecim ex condito prodiere Galli, quibus totidem opposuit, ex urna forte ductos, quum supra centum equites ambitioso concursu nomina dedissent. Concurrere utrinque tanta uiribus, ut nunquam ardentioribus animis, uehementioribusque uiribus certatum sit. Plures hastarum impetu deturbati, aut suffossis equis destituti in pedes, tanta pertinacia decertarunt, ut quum sex horum continuè depugnassent, omnes ferè cum suo, tum alieno cruore foedati, nec fatigati quidem sub tanto armorum pondere in occasum solis certamen extraxerint, certa iam ad Hispanos uergente uictoria: nisi eam quatuor Galli memorabili casu penitus elussissent. Septem enim equorum cadaveribus, mira constantia felicitique uirtute, tanquam ex castrèsi munitione repugnarunt, frustra Hispanis equos adigere conantibus, quum eorum equi, aspectu olfactuque stratorum equorum absterriti, seffores ipsos in diuersum à limine uictoriæ transportarent. Ex Gallis longefortissime dimicarunt Torseius Palicianæ alæ legatus: & Mondraco, qui demum Mediolanensis arcis custodiæ præpositus, prodigioso ictu fulminis conflagrante turre, cum tota pene cohorte inte-

te interijt. Ex Hispanis autem summam laudem tulere Didacus Garcias Paredius, qui perfracta lancca, excussoque è manu sorte gladio lapidibus iactis, quibus pugnae spatium continuata serie tanquam corona descriptum erat, pertinacissime rem gessit. Et Didacus Vera, aliquanto post ad Algerium in Africa, amissi exercitus infelicitate clarus. Spectatores & Iudices ex Tribunali incertam uictoriam fuisse pronunciarunt, ea quidentestificatione, ut apud Hispanos expediti roboris nomen, apud Gallos autem inexpectate constantiae laus mansisse censeretur. Non uidetur praetermittendum false & peracutè dictum Consalui. Equitibus enim ex eo certamine reuersis, quum Alarco (is pugnae spectator affuerat) unius maximè Garciae Paredij uirtutem miris laudibus attolleret, quòd hasta, ense, clauaq; alio atq; alio casu amissis, subitù ex ea necessitate consilium arripiens, collectis ac euibratis in hostes lapidibus longè omnium pertinacissime dimicasset. Nò est inquit, cur tantopere mireris Alarco, quòd Garcias alioqui uir egregiè strenuus, suis peculiaribus ex natura ingenij fretus armis, ante omnes optimè & uehemētissime renegesserit: Ita ut astantibus extemplo risus sit obortus. Notabatur enim argutè faceteq; in Garcia uehemens atræbilis morbus, quo saepe ex interuallis usque ad insaniam correptus, pugno ferire obuios, saxaq; in turbam iaculari insanientium more consuesset. Exinde Galli Hispanique æmulatione uirtutis accensi, multo quàm antea ardentius atque audacius bellum gerebant. Usque adeo ut de gloria potius quàm de regno certare uiderentur. Quamobrem necesse e-

rat singulis prope diebus multos capi ac interfici, quòd plerunque dispositis insidijs, & nonnunquam apertis in campis ex occurſu iuſta pene acie dimicarent. In redimendis autem permutandisque captiujs, crebre contentiones, quereleque, utrinque ducum & militum animos exagitabant, quum a quo ſæpe grauius pretium captiujs imponeretur, neque ullos unquam pares oblata permutatione, militaris auaritia reperiret. Quibus contentionibus obuiam eundum ratus Conſaluus, cum Namurtio egit perſcriptis legibus, ut gregario pediti menſtrui ſtipendij, & trimeſtris equiti pretio libertas conſtaret, cohortium autem præfecti atque ſigniferi ſemeſtris ſtipendij ſumma multarentur: Annuum porro legatus aë perſolueret. Cæteri ductores ex ordine nobilium, ſi caperentur, ex ſummi ducis arbitrio pretium penderent. Edixit autem, ſeuerèque ſingulos duces admonuit, ut benignè ac liberaliter captiuos cuſtoderent. Hoc enim ad famæ decus requirebat, ut Hiſpani non uirtute tantum Gallos, ſed humanitate, & magnificentia ſuperare niterentur. Per eos enim dies Bæiardus Gallus Hiſpanum equitem ex nobili Sotomaiore familia ad ſingulare certamen prouocarat, quum ſe Gallus ab Hiſpano graui affectum contumeliaquereretur, quòd durius ac illiberalius quam deceret, fuiſſet cuſtoditus. Cognita nanque cauſa Conſaluus ſeuerè hominem increpauit, iuſſitque certaminis aleam ſubire, ut animi ſubagreſtis ignominiam Marte iudice dilueret: aut uictus, quod gentis atque familie decus improbo factò deſocdaſſet, meritas turpi uite exitu poenas daret. In eo itaque certamine fortuna ius dixit, eo euentu

euentu ut Hispanum Gallus non obscuro pudore con-
 fusum neque se promptissimè ad inferendos ictus expli-
 cantem, gladij mucrone per summam iuguli loricam
 coniecto, celerrimè confecerit, Hispanis iure caden-
 tem omni contumeliarum genere onerantibus: ut pote
 qui patriæ nomen turpi antea facto, & mox ignobili
 morte dedecorasset. Hic est ille Baiardus, qui postea
 tanquam longè pugnacissimus opinione omnium existi-
 matus, à Francisco Gallorum Rege promeruit, ut an-
 te alios deligeretur, à quo ipse ad Mediolanum acie ui-
 ctor profligatis Heluetijs, equestris ordinis insignia
 susciperet, spectatæ quidem uirtutis merito uel summis
 Regibus maximè decora: quandoquidem nobili in
 prælio partus honor, uel Regi imperatorique, præ-
 ter id totum quod in his accuratè suspicimus maiesta-
 tis decus, nouæ, propriæque laudis dignitatem accu-
 mulet. Caterum Namurtius per amplo subnixus equi-
 tatu aliquanto effusius quàm Hispani per Apuliã eua-
 gabatur, tanta quidem licentia, audaciâque, ut pasto-
 ribus ediceret, omne pecus in herbidos Cerignole cam-
 pos pascendi causa deducendum, quando ipse eius
 tractus pastiones ab iniuria hostium dispositis præsi-
 dijs esset defensurus. Ea res uti erat præconis uoce pro-
 nunciata, & à speculatoribus delata ad Hispanos, mul-
 tos eorum ex proximis præsijs ad prædam exciuit:
 ière autem eo agminis ordine, ut tertia pars expeditis
 armis instructa, pecora simul & pastores inuaderet, re-
 liquæ porrò duæ partes in insidijs consisterent, & ef-
 fusum in prædatores Gallorũ præsiũ aggredereñtur.
 Nec dolo cõposito, euentus defuit. Galli enim, ubi pri-

mos hostium inuadentes, turbantesq; pecoris greges &
 pastores in fugā coniectos cōspexere, in eos extēplo im-
 petū fecerunt, tantaq; ui eos refugere simulantes perse-
 cuti sunt, ut in insidias inciderēt, & pleriq; corū cade-
 rent, ac multo plures caperētur. Sed id ex uoto maximē
 letum facinus, Fortuna dolis libenter illudēs ē manib.
 Hispanorū celeriter eripuit: cū ualida Gallorū manus,
 quæ Canusio ad incertā spē prædæ fortē exierat, hostib.
 fessis, & in abigendo pecore occupatis, occurrisset. Im-
 prouiso enim superuēcu hostiū Hispani, ne quicq; expedi-
 re arma, cōponereq; ordines & repugnare conati, præ-
 da omni captiuisq; relictis, in fugā se dederunt. In ea cō-
 mutatione Fortunæ, tenente campos equitatu, nonnulli
 Hispani caesi uulneratiq; sunt. Venēre autem in potesta-
 tem Didacus Vera unus (ut diximus) ex undecim pu-
 gnatoribus, & Theodorus Boccalus Græcæ nobilitatis
 Spartanus ciuis, qui leuis armaturæ equitibus præerat
 & Aloisius cognomento Gordus, quod Hispanicè præ-
 pinguem significat, cohortis Celtiberorum præfectus.
 Is est qui postea Rauennate in prælio Odettum Lotre-
 chium inelyti nominis Gallorum ducem, multis acce-
 ptis uulneribus cruentum prostratumq; ne à commili-
 tonibus, qui iuxta eum ipsum Gastonem hostium impe-
 ratorem confoderant, interficeretur, corpore suo pro-
 textit atq; seruauit. Hæc re ex insperato bene gesta, Gal-
 li coactis in unum copijs, ad Baroli usq; portas sese effu-
 derunt. Sed ostenta tantum acie retro inde ad Cerigno-
 lam repente signa conuerterunt. Cerignola antiquitus
 Gerionis castellum fuit, Pœni Annibalis id temerē op-
 pugnantis irritō conatu pernobile. Ab hoc oppido
 Galli

Galli cum murum subissent, Acunna equitum præfecto, & Zaracte sclopettariorum duce sese accerrimè defendentibus cum detrimento ita repulsi sunt, ut non multò post nouis adauerti copijs, conuectòq; tormentorū muralium iusto apparatu, ad oppugnandū Canusium cōuolarent. Erat Canusij Petrus Nauarrus cum sua Cantabrorum cohorte, cui Collius sclopettarios circiter ducentos addiderat. Cum hac delecta manu Namurium prolatis tormentis sternentem muros, & alijs atq; alijs Vasconum Gallorūq; cohortibus summissis, præliū magno omnium ardore instaurantem, per triduum incredibili uirtute sustinuit, haud dubiè in ipsis uel frustra defensi oppidi ruinis honesto interitu nominis sui famæ satisfactorius, nisi per occultos nuntios iubente Consaluo ut sibi consuleret, fortissimosq; milites conseruaret, parendum esse cēsisset, quādo eius salus incolumi cohorte, possessione ignobilis oppidi multo carior haberetur postquam ipse in eo periculo laboranti opportunè opē ferre nequiret, nisi quòd à belli ratione penitus alienum censeretur, uniuersæ pugnæ aleam periniqua conditione subcundam existimaret. Iam enim pari consilio ne iterum salutis periculum subirent Acuniam & Zaractem, Gerione excedere iussos in castra receperat, coniectura iudicans hostes Canusio impotestatem redactò, confestim illuc, ut acceptū in commodum uindicarent, omnino redituros. Itaq; Nauarrus quātis potuit fieri artibus summa auersi animi obstinatione simulata, Gallis nō iniquas cōditiones offerentibus cures adhibuit, usq; adeo tamen grauatè, ut truci uultu contumaciq; sermone conditiones non nisi honestis

simas admissurus esse putaretur : quanquam uix terra pars militum integra superesset, multis scilicet interfectis, & reliquis serè omnibus sauciatis. Nec sibi ullam Namurtius moram attulit, quin ex templo transigeret, quòd uel iniqua inusitataq; desperatis hominibus nec inultè perituris omnino concedenda uiderentur.

Impetrauit enim ea omnia Nauarrus quæ necessariæ deditiois casum ad non dubium decus honestarent, scilicet ut ex præsidio decedenti, explicatis uexillis ad tubarum cantum sonitumq; tympanorum, ac incolumi denum omni militum substantia, Barolum tutò regredi liceret, Galli q; item iumenta præberent, quibus sauciæ auerterentur: & Namurtius data fide Canusinos ab omni iniuria inuiolatos, securosq; præstaret. Hæc cum pepigisset, adeo elatis animis Hispani militari incedentes ordine, oppidi porta agmen eduxerunt, ut eos minime uictos esse, sed omnino uicisse crederes, & Galli magnoperè mirarètur, tantulas copias maximis ipsorum uiribus resistere ausas, tot iniqui Martis incommoda sustinere potuisse. At Consaluus aduentanti Nauarro obuiam egressus gratias agit, laudauitq; palàm, quòd sese & fortissimos milites quos breui summæ uictoriæ participes futuros speraret, opportuna usus prudètia cōseruasset. Referebant enim singularis tolerantiæ indomitq; animi inusitatam laudè, qua audacissimæ gentis spiritus fregisse uideri poterat: postquam facto uirium, animorumq; periculo præclare constaret, uel grauissimos Gallorum impetus paucorum ueteranorum constantia superari. Nec diu post Consaluus Nauarrum exigua quiete recreatis cohortibus Tarentum misit,

ratus

misit, ratus eam urbem ducendo bello parandæq; de-
 mum uictoriæ, graue momentum habituram, cui hostis
 ex propinquo uehementer inhiaret, maximè ualido fi-
 delique præsidio muniendam. Auxit quoq; pari dilige-
 tia Andriæ uetus præsidium summissa recentium mili-
 tum cohorte, ut id oppidum à septimo lapide Barolo
 subiectum contra hostes certæ opportunitatis munimè-
 tum foret. In hoc enim unum præcipuè consilium intè-
 tus erat, ut insultantem hostem patientia sustineret, do-
 nec auxilia superuenirèt. Ab initio siquidem abruptæ
 pacis à Ferdinando Rege postularat, ut nouo delectu
 in Hispania conscripti pedites & equites in Brutios
 mitterentur. Expectabat etiam à Maximiliano Cesare
 Germanorū quingenarias cohortes septem, quas Hel-
 uetiæ phalangi tanquam æqualis disciplinæ par robur
 opponeret. Has enim Cesar petenti Philippo filio faci-
 le dederat, quòd Ferdinandi gener utriusq; Regni Hi-
 spaniæ atq; Siciliae hereditatem aditurus esse uideba-
 tur. Efflagitarat quoq; frumentum è Sicilia quum eius
 inopia laboraret, mirabaturq; non aduehi quando id
 peracerbis obtestationibus à Nucia præfecto requisis-
 set: & iam Liscanus cum triremibus Salentinorum o-
 ram teneret, ut Siculis nauigiis præsidio foret, aduer-
 sus Præianem Gallum Archypiratum, qui ad Iapygiū
 promontorium transituris insidias parasse diceretur.
 Opperiri quoque se dicebat, ut ad syngraphas num-
 marias, quæ ex Hispania Venetias essent transmissæ, à
 mensarijs ingètes sibi pecuniæ curarètur, quibus supè-
 dia militibus ubertim exolueret. Hisce sermonibus tan-
 ta spe magnificè proposita, & multarum rerum tege-

bat inopiam, & spes hominum mirificè sustentabat: ut milites in summa egestate pecunie, quòd alimenta graui etiam empta pretio deficerent, quòd lacera in ueste feminudi essent, tot incòmoda iniquissimis animis perferentes in officio facile còtineret. Nam intrepide fròtis honor, & facundi oris maiestas, ac imper amplo excelsoq; corpore uultus alacer, bonæq; spei semper plenus, tantam promissis dictisque eius fidem afferebant, ut uel astutissimi milites, qui pleraque tanquam inani uoto sperata, uti nimis ardua & difficilia facta, leto successu caritura iudicabant, eum ab oculata ui præstantis ingenij, uel supra rationem futura diuinare crederent. Nam per eos dies nauigium cum multo frumento è Sicilia uel aduersis saepe uentis applicuit, cumulauitque letitiam altera nauis castrensi plena mercimonio, quam Venetus mercator Barolum adduxerat. In ea erant præter thoraces & galeas, aliquot milia ex lanæ panno caligarum, interiorumq; tunicarum, multaque item saga, & integumenta capitis, & lintea tunice: præterea calceorum ingens numerus. Que omnia Còsaluus ita coemit, ut pecuniam mutuam à familiaribus secreto acciperet, & ditiores præfecti, ducesq; minores fidem interponerent: ab Isabellaque Aragonia ad omne officium promptissima, ex numero Barensum ciuium mercatori uades darentur. His rebus magna omnium letitia per cohortes turmasq; diuisis, exercitum ex diuturna illuue sordidum nouo cultu usque ad elegantiam adornauit, usque adeo expeditè ac liberaliter, ut quum auri esset egentissimus, magnam reconditæ pecunie uim habere crederetur, quam opinio-

inter milites alere erat solitus. Nam eos aliquando stipendia nimio plus quam ipsi ferre possent differri conquirentes, allocutus, dicere erat solitus: Estote bono animo commilitones, nam ob signata integraque adhuc nobis superest illa ingens arca, ex qua, quum pro maturatione victoria opus erit, ad explendas omnium cupiditates, immensus signatae pecuniae thesaurus effundetur. Ceterum Namurtius Canusio Gerioneque potitus, alia quoque oppida circumducto exercitu, quod essent nudata praesidijs, ad deditionem facile compulit, transgressusque Ausidum Canusino ponte, ad secundum lapidem a Barolo positus castris consedit: praefone ad portas missos, qui Hispanos si uiri essent ad iustam pugnam prouocaret, ut utriusque gentis uirtus aequo in campo spectaretur: ac ex ea uictoria Marte iudice, bello finis imponeretur. Ad ea Consaluis feruidi paratique hostis impetum mora eludendum ratus respondit, se nequaquam ad nutum expetentis hostis, uerum ex arbitrio rationeque exploratae occasionis dimicare solitum, nihil se ferocius Namurtio gratias ingentes se habere dixit, quod adeo alacriter sese offerret: sed multo maiores habiturum, si tantisper, dum suorum equi calciarentur, et milites exaceruerent gladios, armaque detegerent, opperiri minimè grauaretur. Fremebant tum Hispani, coque ferocius pugnam deposcebant, quod indignarentur hostes, iterum ex propinquo Baroli moenia spectare ausos inuitosque, in ira pauca stadia considerare. Verum Consaluis ita pugnae studio incensos laudabat, ut eorum ardorem graui obtestatione cupesceret: hortareturque, ut eosdem animos in alium certioris auspicii diem, quem iam ipse praesentiret

ad conferendum prælium conseruarent. Fore enim, ut breui ex ea cunctatione magnopere latarentur. Nec dicto fides absuit. Non multò post enim, quum Namurtium satis se ad laudem ex ea prouocationis ostentatione profecisse existimantem, motis castris retrò ad Camusium signa uertisse didicisset, emissò repente Didaco Mendocio eximie uirtutis duce, cum omni equitatu ultimum abeuntis agmen adortus est, eo ordine instructa acie, ut binæ cohortes expansæ in alas ab utroque latere equitatum irrumpentem cursu adæquarèt, & sclopetis maximè rem gererent. His præfuerunt Centurionum promptissimi Pizarrus, Scaladda, Spesius atq; Zaractes. Conuertère itaque se Galli alacriter, & magno impetu prælium inière: Ita ut Hispani tanquàm cataphractorum uim iniquè sustinentes, uti antea edocti fuerant, sese retrò explicatis turmis reflecterent, & Galli non iam confertim, sed laxato agmine conuersos non modò perurgerent, sed effusè consectarentur. Tunc uerò cohortes lunato circuitu ad stadij spatium progressæ utrunque latus procurrentium hostium inuasere, & cataphractorum ala Columnnia, leuis armaturæ equitibus subsidio missa, densato agmine prælium excepit. Dimicatum est aliquandiu utrinque uehementissimè, sed Galli ferè undique circumuenti uulneratiquè tantam uim prementis hostis quin se fugæ mandarent, ferre nequiuerunt, quòd Namurtius nihil tale ueritus disiectis agminibus more Gallico iter intenderat, præmissis utique peditatu cum tormentis & Palicia, Formiæque ex itinere dimissis, qui in hiberna præsidiaq; sua, hic Quadratam, ille Rubos redibant. Eo modo uictor

uictor Mendocius profligatos toto campo persecutus,
 multos cecidit & interceptit, penè prius quàm id acce-
 ptum incommodum à Namurtio, qui open ferre pos-
 set, ex suorum fuga sentiretur. Itaq; cum captiuis &
 spolijs Barolum reuersus, Consaluo extra portam oc-
 currit. Is enim summo consilio reliquas copias sub si-
 gnis eduxerat, ut si Mendocio aliquid parum feliciter
 accideret, ipse producta noua acie in pugnam deferre-
 tur. Tum uerò ex complexu Mendocium cum sua pri-
 sina uirtute nobilitateq; tum singulari eo facinore e-
 dito illustrem, miris laudibus extulit, quòd insolentis
 hostis ferociam contudisset, idq; unum ante omnia tan-
 quam ad certum omen mature uictoriæ facto uirium
 periculo præstitisset, ut Hispani Gallorum audaciam,
 & quo illi maxime ualere uideri uolunt, impetum fa-
 cile contemnere condiscerent. Centurionum uerò for-
 tem operam collaudando ita probauit, ut mensurum
 stipendium donatiui nomine eorum cohortibus se con-
 tinuo daturum polliceretur. Sequenti die Mendocius
 tempestiui lautique apparatus epulum amicis dedit, eo
 ordine, ut captiui nobiles Galli honoris causa inter
 proceres discumberent. Quum uerò ad exhilarandum
 conuiuium poculis certaretur, & de hesternæ pugnae
 successu liberi sermones incidere. Mendocius præ-
 clare testatus est, Gallos ualde strenuos in omnique
 periculo egregie fortes fuisse; Sed in ea pugna procul-
 dubio Italicae uirtuti palmam deberi, quòd cataphra-
 cti a. e. Columniae collatis equorum pectoribus longè
 omnium promptissime se spectante atque admirante

dimicassent. Discumbebat iuxta primos Carolus An-
 ierius, cognomento Motta, suoapte ingenio ferox &
 forsam frequentibus poculis incallescens. Is Dij meliora
 inquit Mendoci quam ut aequis auribus Italos uirtute
 bellica nobis anteferri toleremus. Hispanos enim qui
 nobis pares esse fateamur, non est cur Itali uti semper
 imperite, nec omnino fideliter arma tractantes ulla ex
 parte Gallis comparentur. Quandoquidem si gloriari
 captiuis licet, sepe à nobis nō uno in loco per Italianam
 profligati, integram nobis rei bellicæ laudem relique-
 rint. In hunc modum uociferanti Gallo, seruideq; tumē-
 ti proximus erat Indicus Lopes Hayala uetustissimæ
 nobilitatis Hispanus eques. Is admoto cubito Mottam
 comiter admonuit, ut Italis maledicere desineret, ne il-
 li patrij decoris memores, ac omnis contumeliæ pro-
 fusus insolentes, si id rescirent proculdubio defensuri pu-
 blicam iniuriam, eum ad singulare certamen prouoca-
 rent. Tum ille altius sublata uoce, prouocent inquit, ut
 lubet, quando nihil mihi omnino felicius exoptē quam
 id forti dextra uerum esset testari quod nequaquam te
 mulento ore protulerim. Hæc ut dicta erant per Haya-
 lam in contubernium Prosperi Columnæ delata sunt,
 ubi frequentes de more Itali equites aderāt, increbuitq;
 inter eos rumor, proscindi contumelia Italicum nomē
 ab arrogante Gallo, uideriq; eam iniuriam ferro uin-
 dicandam. At Prosper ubi id didicit, cuncta maturè pe-
 ragenda ratus in ea præsertim causa, quæ totius Italiæ
 dignitatem respiceret, duos Ianos Romani sanguinis
 equites Brachalonium atq; Cappociam sciscitatum mi-
 sit, an uera essent quæ à Motta in conuiuio prolata di-
 cerentur.

cerentur. Id si Gallus ingenuè & extra mensam fatere
 tur, continuo eum stultè mentiri dicerent, & tot quot
 ipsi Galli uellent, ostendendæ uirtutis causa ad certamè
 ex pari numero prouocarent. Non erubuit Gallus: per
 tinaciq; animo conditionem accepit. Hic est ille Motta
 quem Borbonianæ perfidiæ crimine damnatum, ideò
 que exilem in ruina cadentis Urbis usurpato Præto-
 ris nomine, ex tribunali ius dicentem uidimus, quum
 inter eos qui sacra humanaq; confuderant, aliqua iuris
 & æqui formula quaereretur. Sed is demum quum in Hi-
 spaniam pretiosa præda diues enauigaret, ab auaris ue-
 storibus ex morbo semiuiuus in mare proiectus est.
 Verum Gallus pecunia se redimens ad Namurtium re-
 uersus est, qui de omnibus quæ acciderant edoctus, in-
 eundæ pugnae causam dictaq; & promissa Motta suo-
 rum omnium hortatu comprobauit. Statimque inuen-
 ti sunt concitante Motta tredecim insignes Galli equi-
 tes, qui pro decore gentis ad subeundam eius certami-
 nis aleam sese obtulerunt. His autem pares Prosper de-
 legit. Fuère ij ex omni ferè Italiæ regione lectissimi, ut
 speratæ uictoriæ laus nemine conquerente latissimè
 spargeretur. Romani tres erant, ut hoc dignitati omni-
 um uictricis Urbis daretur. Ipsi ante alios, ut diximus,
 Brachalonius atq; Capoccia, & Hector cognomèto Pe-
 rarius. Marcum autè Corolarium Neapolis, & Capus
 Hectorè Feranuscæ bellicosa stirpe æditum dedère.
 His autem à Theano Sidicino, Ludouicus Benauolus
 & Marianus Abignentius à Sarno, & Meiales Ethru-
 ria oriundus succedebāt. Binos ut mitteret Sicilia impe-
 trauit, ne Insula impotèter abruptè mari auulsa, à suo

ius Italicae ciuitatis amisisse uideretur: Franciscum scilicet Salamonium multis postea bellis clarum, & Gualiermum Albamontem. Ex circumpadanis uero urbibus numerum suppleuere Parmensis Riccius, & Titus è Laude Pompeia superbo cognomine, quòd bello omne uitae discrimen contemneret Fansulla uocatus, & acer è Foroliuio Aemiliae uiae Romanellus. Gallorum porrò nomina, quanquam ea disertè ab ipso Motta didicerim, hoc loco supprimenda censuimus, ne pro sperata laude, postquam inauspicato certauerunt rei male gestae dedecus cum deformi nobilium familiarum nota transmittatur ad posteros. Prosper suos, quòd ferè omnes ex sua aut Fabritij fratris ala delecti essent, graui sermone, sed uultu maxime læto hortatus est, ut munissent publicum totius Italiae decus in ipsorum uirtute positum, propterea enixè darent operam, ne ipsius opinionem fallerent, qui eos potissimum tot fortissimis equitibus praetermissis, tanquam optimos Italici nominis defensores delegisset. Nec quisquam fuit qui non dulcedine paratae gloriae duceretur, iuraretque se non nisi uictorem in castra rediturum. Monuit autem singulos: & instruxit adeo diligenter, ut arma & equos sigillatim inspiceret. Singulis autem robustas hastas Gallicis ferè cubito longiores, gladios item binos: alterum mucrone solido, qui ab ephippio ad leuam denderet, alterum lateri alligatum, breuiorem & latiorum quoque caesim punctimque ferirent, tribuit: ad dextram quoque addidit pro claua ferrea rusticam securim graui pondere, sesquipedaliq; manubrio ualidam, ab ipsa ephippii fronte cathenulae ferreae insertam. Equi autem

autem ferreis splendidisque frontalibus, cervicalique lorica, & bardijs recocto è corio inauratis, & pictis tegebantur. Has antiqui clibanos uocabant, pectora & clunes aptissimè munientes. Addita demum sunt no ui & perutilis apparatus duo uenabula, quæ post aciem solo figerentur: ut qui equis deiekti forent, his ar reptis rem gererēt. Ea sicuti à Prospero & ab his qui depugnarunt accepimus, ad uictoriam maximè contulerunt. Nec minore cura Namurtius suos instruxit, decora specie aureos limbos alternante purpura uirgatis in sagulis prodeuntes. Hos Palicia ex multis id decus petentibus delegerat: conserendæque pugnae præcepta singulis tradens ad representandum Gallicæ uirtutis specimen uehementer accenderat. Medio itaq; in loco inter Quadratam & Andriam unius fermè stadij spatium sulco descriptum est, erecto quidem suggestu, in quo sub umbella delecti tres iudices considerent. Ii statuerunt, ut delati extra spatium pro uictis haberentur. Singulis autem uictoribus arma & equi centeniq; item aurei præmiu[m] forent. Quum uerò iudices locu[m] ab omni iniuria tutum tanti certaminis spectaculo præstari postularent, ad idq; Palicia fidem suam, ut in graui periculo soq; negotio interponere recusaret, Consaluu[s] se egregiè tuta omnia præstaturum est professus, ac uniuersas copias Barolo eduxit, tanto equidem ordine instructa productaq; acie, ut pugnaturus esse uideretur, Gallorumq; animos ambiguo quodam terrore iniecto suspenderet. Accitos demum ad se Italos non alijs uerbis hortatus est, quàm eius gentis stirpisque homines generoso constantis animi decreto contemne-

rent, ut pote quos à maioribus ipsorum subacta Gallia milies caesos atq; perdomitos meminissent: sperarentq; pro optima causa aduersus insolentes, stolidèq; superbos pugnantibus certissimum uictoriae numen adfuturum. Tu uerò dimissi ad stadium, ex aduerso prodeuntibus Gallis sese in aciem equata fronte direxerunt. Nec mora ad tertium tubæ cantum indicto silentio concursus est. Itali magno contra se impetu procurrentes Gallos secus ac omnes ex more militiæ crediderant, nihil promotis equis sed inclinatis tantum hastis constanter exceperunt: eo quidem euentu, ut Galli priusquam ipsorum cuspides ad hostium thoraces peruenirent, longioribus hastis induerentur, & quidam ab extrema acie stadij spatium pertransirent. In eo concursu nonnullis utrinq; ephippij sella deturbatis, hastisq; perfractis magna equorum colluctatio edita est. Singuli autem clauas aut gladios expediuere. Sed ab Italis mirifice res gesta est securibus: quum graui ictu cassidum bucculas humeraliaq; diffringeret, ensesq; item è manibus hostium excuterent: Aequata tamè pugna uidebatur, quòd Alba montes & Sidicinus asportatibus equis, urgenteq; hoste pulsus, intra descriptum limitem se continere nequiuisent. Verum ingenti animo Brachalonijs & post eum Fansulla, cadentibus eorum equis, in pedes desituti, arreptis extemplo uenabulis quum acriter equos uirosq; perfoderent uictoriam inclinarunt. Vnus omnino ex Gallis nomine Claudius, collisa uementer galea, ita ut per nares cerebri medulla cum multo sanguine diffueret, interiit, qui quum esset ab Asta Italiae Colonia oriundus, meritò cecidisse uel potuit:

potuit, quòd pro gloria externæ gentis contra patriæ decus parum honesta si non improba arma desumpsisset. Reliqui uulnerati aut ex multis securium ictibus attoniti, quum se uictos faterentur, ad terram arma proiecerunt. Quo rerum euentu perspecto Iudices è Tribunali cum multo tubarum clangore Italos uictores pronunciarunt, atq; ita Galli quòd eorum nemo centenos ex condicto aureos, quibus se redimeret secum attulisset, Barolum sunt perducti. Nihil enim de eius prælij euentu dubitarant, quum arrogãtius quàm deceret, uel contra uim ultoris Martis tantos ex inani fiducia spiritus desumpsisset. Consalius hilari fronte susceptos iucunda oratione consolatus admonuit, ut æquo animo perferrent, quicquid diiudicante fortuna cõtra spem egregiè pugnantibus contigisset. In posterum uerò linguam moderari condiscerent, strenuos enim honestosq; uiros, qui equestris dignitatis honore digni existimari uolunt, neminem nisi in acie contemnere: nusquam iactabundos non inani uerborum ferocia, sed fortibus factis per illustrem famam querere consueuissent. Exinde curare corpora iussos Prosper atque Fabritius usq; adeo liberali comitate susceperunt, ut Galli quanquam deiectis uultibus perturbati, ferè totã oris tristitiam exuerent, minusque iam quosdam pudret accepti dedecoris, postquam eorum uirtuti cõcessissent, quorum humanitate uinceretur. Nec multò post recepta è castris pecunia, redempti, dimissi qui sunt. Consalius uerò Italos luculentissimè laudatos, equestris ordinis dignitate traditis de manu ornamentis nobilitauit, ita ut ad ipsorum gentilitia insignia argumentũ uirtu-

tis atq; uictoriae, tredecim torques adderentur. Hanc
 porro celeberrimi certaminis historiã, ut maneret ad
 posteros, Hieronymus Vida Cremonensis uetus sodalis
 meus pernobilis heroico carmine decantauit. Per eos
 quoq; dies Consalius ad subleuandam annonae penuriam
 qua maxime laborabat, nouo inexpectatoque
 prouentu maxime letatus est, Veneto scilicet nauigio
 cum magna frumenti copia circa Sipontum à triremi-
 bus intercepto, Barolumq; deducto. Alegria enim Gal-
 lus Fogia manu capta (hæc olim Ecana fuit) maximam
 in oppido frumenti uim nactus, id totum tanquam suã
 prædam uenale proponens, Veneto mercatori præsen-
 ti pecunia coementi adijcere maluerat, quàm Neapoli-
 tanis fame laborantibus, qui id sub fide ad diem exol-
 uendi pretij postularent: & iam nonnulli publico usui
 ad alendum exercitum in horreis recondendum dice-
 rent: ita ut ex hostis auaritia Consalius in sine benefi-
 cium sit consecutus, & nulla quidem cum infamia, quàm
 Veneto ampliores quàm ille Gallo dederat pecunias, nu-
 merasset. Exinde quoq; accumulata letitia naualis ui-
 ctoriae nuncium accepit. Liscanus enim Præianem Gal-
 lum ad Iapygium consecutus, ita eum conserta pugna
 profligarat, ut demersis captisq; aliquot nauigijs, in su-
 gam uerteret, potiturus haud dubie prætoria nauis,
 nisi Præianes in Hidruntinum portum sese celeriter
 intulisset, ubi Venetus præfectus, tanquam amborum
 Regum socius, tutam utrisq; stationem præstare erat
 solitus. Ab ea autem Præianis infelicitate Sicule na-
 ues septem frumento onustæ libera tutaq; usæ nauiga-
 tione, & pacatis passim littoribus Barolũ peruenerunt.

Quarum

Quorum appulsu tanta annonae uilitas est consecuta,
 ut pretia rerum propè omnium, ex dimidio planè de-
 creuerint: his enim nanigijs Consaluus præter triticum
 & ordeum, uini Mamertini, caseiq; Siciliensis, & ex
 Cetarijs salsamenti magnam copiam sibi aduchi cura-
 rat. Interea Namurtius qui è Canusio, Altamura, Ge-
 rione, Quadrata, Rubis, Fogiaq; & Siponto, Consaluū
 circumfusis copijs lenta obsidione premendum suscepe-
 rat, repētina Castellanei rebellionē excitus, ad vindicā-
 dan perfidiam, motis properè castris ire constituūt. Su-
 periorib. enim diebus Mesapiam, Dauniam, Iapygiāq;
 peruagatus, multa in Salentinis oppida in potestatem
 redegerat, & in his Leccium nobile oppidum, Lupiae
 antiquitus dictum: præterea Calatanam antiquissimam
 Thessalorum Coloniam, quæ hodie à Sancto Petro no-
 men ducit, & Nardoum à Leucadia, Neritho conden-
 tibus Græcis dictum. Item Rudias Ennij Poetæ natalib.
 celebres, quæ Rhodeiæ hodie uocantur, Oriam dentum
 & Mottulam: conuersiq; signis, & Gallipoli ex itinere
 frustra tentato, Tarento copias admouerat, nihilq;
 se commouente præsidio, & quiescentibus Tarentinis,
 Conuersanum adortus eius oppidi Regulum fidem mu-
 tare coegerat. Postremò urbem Castellaneum medio
 sed obliquo itinere inter Tarentum atque Brundisium
 sitam, ea conditione in fidem acceperat, ut præsidij cau-
 sa duas Gallorum turmas imponeret, quibus sese aduer-
 sus Hispanos è Tarento sæpius erumpentes tuerentur.
 Eo modo cū multa terrore præsentis exercitus, & plæ-
 raq; sine uulnere, colloquijs & pollicitationibus perfe-
 cisset, quòd præcellentis studio Andreae Aqueniæ, &

& Fabritij Iesualdi Andegauensium Procerum utere-
 tur: in magnam spem mature uictoriæ uenisse uideba-
 tur. Sed fortè euenit, ut Castellanetani Gallorum iniu-
 rijs exagitati coniurarent, quòd nonnulli procacius,
 quàm Apulorum mos ferret, matronarum pudicitiam
 attentassent, alij hospitum penuarijs copijs prodigè
 uterentur, & quidam hospites suos agrè iniquis impe-
 rijs parentes temerè uerberassent. Itaq; presidium intem-
 pesta nocte sopitum in hospitij ad datam tesseram est
 comprehensum, accitisq; à Tarento Hispanis urbs tra-
 dita, ea tamen conditione, ut Galli quanquam exuti ar-
 mis & equis, quoad intutum peruenirèt, inuiolati præ-
 starentur. Id inexpectatæ perfidiæ facinus usq; adeo Na-
 murtium commouit, ut uel disuadente Aquaiuia Regu-
 lo quàm motis properè castris eò contenderet, retineri
 nequiuerit. Ille enim peritus belli, gnarusque hostium
 Gerioni, aut Rubis, aut deniq; Canusio timendum esse
 differebat: ne ipso abscedente longius, Hispani rei bene-
 gerendæ occasionem arriperent. Verum Namurtius se-
 festinanter iturum, uindicatq; perfidia celerrimè redi-
 turum professus, Castellanetum noctu diuq; continuato
 itinere peruenit. Oppidani subito aduentu irati repen-
 tiniq; hostis magnoperè perturbati, quòd pauci in præ-
 sidio Hispani aderat: quòd aduersus uim tormentorum
 imparati essent, & mulierum puerorumq; plañtus de-
 liberantibus uiris fortia consilia excuteret, ad id consi-
 lium decurrerunt, ut admissi sceleris poenas pecunia re-
 dimerèt, postquàm nihil in corpora deseuisent. Sed dux
 iracundus cū triplo maiore pecuniam postularet, & ni-
 si integram continuo persoluerent, cunctis extrema sa-
 plicia mi-

Palicia minaretur, id omnino importune effecit, ut oppi-
 dani ad desperationē uersi extraculis introrsus tumultua-
 riis munitionib. aliquot tormentorū ictus constanter su-
 stinerent: subireq; murum scalis ausos prouolutis è co-
 rona trabibus saxisq; ingentibus deterrerent. Verū in
 eo conatu harentem, ambigentemq; an ui admota,
 quod esset periculosum, an accepta quæ offerretur pe-
 cunia, quod indecorum uideri posset, iniuriam uindi-
 caret, ab eo consilio nuncijs auerit. Is attulerat Consal-
 uum Barolo profectum Rubos ad opprimendum Pali-
 ciam contendisse. Is enim de Namurtij profectioe cer-
 tior factus ex occasione sumpto consilio, celeriterq; ex-
 pedito, noctu eductis omnibus copijs, tormentisq;, ita
 ut decuriones Barolitanos non obscure fidei obsides fu-
 turos secum duceret, Rubos aduolauit. Tantaq; ui tor-
 mentis admotis oppugnare adortus est, ut prostrato in-
 genti ruina muro, collata ueluti acie dimicaretur: &
 non uno in loco Hispani admotis scalis subire mœnia
 niterentur. Certatum est per septem horas summa cō-
 tentione: nam Palicia infracto animo ubi periculum po-
 sceret adhortando pugnandoq; suis non deerat, cū pro-
 uallo cataphractos equites pedib. dimicantes irrūpen-
 tib. opposuisset, & per sagittarios Vascones idoneis in-
 locis dispositos crebra uulnera subeuntibus inferret.
 Sed ipso demum Palicia uulnerato, & cataphractis in-
 cumbentium hostium impetu pondereq; prostratis po-
 tius quam interfectis, Hispani in oppidum irruperunt:
 cū alij eodē serē tempore consensis scalis muri coronā
 cepissent. Primum quod illatum est repulsis Gallis ue-
 xillū, fuit Francisci Sances, qui Regis Hispaniæ erat di-

spensator: Muralis uerò coronæ decus datum est Tra-
 iano Morminio nobili Neapolitano, qui primus muri
 pinnam apprehendisse conspectus est. Multis igitur
 primo impetu cæsis, reliqui Galli omnes cum Rubosta-
 nis ciuibus capti sunt, eminente inter eos Palicia cum
 Amideo Allobrogum equitum præfecto & Peralta Hi-
 spano, qui ante turbatam pacem sub Gallo Rege stipen-
 dia mærens in officio sibi permanendum esse censuerat
 Consaluuus in tanto strepitu direpti oppidi præcipuam
 adhibens curam, foeminas coniectas in templum ab om-
 ni iniuria inuiolatas conseruauit. Sequentiq; die nõ pla-
 nè toto direpto oppido eadem usus celeritate Barolum
 est reuersus, penè priusquam Namurtius qui ex itine-
 re adiunctis sibi Heluetijs, & coacto ampliore equita-
 tu festinanter aduentabat, de Paliciæ calamitate docere-
 tur. Nec multò post Rubostanas mulieres Barolum per-
 ductas pudore incolumi & sine prætio dimisit, uirosq;
 pariter ad unum omnes, quibus exigua admodum pe-
 cunia redèptionis nomine imposta fuerat. Gallos por-
 rò equites nequaquam redimi passus in custodia retinè-
 dos iudicauit, quòd paulò antè Namurtius præscriptis
 legibus parum integrè paruiffediceretur. Reliquã autè
 peditum turbam ad Liscani triremes usq; ad belli exitũ
 relegauit, duriore aliquanto pœna quàm Christianæ mō-
 litie mos ferret. Quo instituto dux nonnunquam cōtra
 naturã ingenij seuerus & callidus, ob idq; aduersos de-
 se rumores ex belli cōmodo facillè contemnens, hostium
 alas, cohortesq; uehementer attenuari præclare intelli-
 gebat: paucisq; diebus & equitatu quoq; quo maxime
 ualebat hostis, par euaderet, cū supra septingintos mi-
 litares

litares equos uarijs expeditionibus Castellanicis; praefertim & Rubis captos, lectissimis peditum dedisset. Ita ut pedites ad equum rescripti, ardua quaeque & asperatentare auderent, & eo quidem alacrius, ne tanto beneficio, inexpectatoque honore indigni uiderentur. Dum haec in Apulia geruntur, Hugo Cardonius e Sicilia coactis tribus milibus peditum, & trecentis equitibus Rhegium traiecit, Iacobum Sansuuerinum Myleti Regulum Brutios ad defectionem concitantem tumultuario praelio fudit, Didacum Ramirum in arce Terrano-uae obsessum liberauit, oppidumque diripuit, & incendit: Conuersusque demum ad oram magnae Graeciae Martianum Rossani Principem in fugam uertit. Quibus rebus cognitis Sansuuerini duo Reguli Besennianus & Salernitanus, qui antea (ut diximus) ab Hispanis ad Gallos defecerant, accitis undique copijs armatisque clientibus aduentanti Obegnino coniunxerunt. Is parua manu Gallorum Cosentiae relicta, qua Solitius Gometius in arce obsideretur, ad Hugonem quanta fieri poterat celeritate contendebat, ut quam primum confugeret. Erant cum eo Grigninius atque Malherba, hic sagittarijs Vasconibus & tribus Heluetiorum uexillis, ille cunctis leuis armaturae equitibus praerant. sed praecipuum robur erat in grauis armaturae equitatu, in quo eminebat ueterana Scotorum ala Obegnino familiaris fidaque. Habebat tum castra Cardonius in ea planitie quae ab oppido Terranoua ad meridiem se extendit. Isde hostium aduentu fractus, rem ad consilium desert, & quanquam nouis copijs esset aduictus, uitandos tamen patentes campos censet, & sese ad Sancti Georgij arcem quae perti-

nebat ad Apennini montes recipere constituit. Sed ne decretum fiat, noui duces impediunt, qui ab Hispania nuper aduenerant. In his fuere Emanuel Benauidius, Antonius Leua, qui postea summus dux euasit, & duo Aluaradi pater & filius: qui quadringentos utriusque armaturæ equites, & quatuor cohortes adduxerant. Indecorum enim & planè turpe esse differebant retro mouere castra pedemq; referre, antequam hostis in conspectum se daret, & quales quantæq; eius essent copię certius exploraretur: uel ob id præsertim quòd ambiguae fidei Brutius speculator, Gallos nec biduo quidem affuturos renunciasset. Sed eam hostium opinionem Obegninus dux uetus egregiè fefellit, Gallica enim usus celeritate, per inuisitatum uiam monstrantibus Brutijs, & noctu confecto itinere, instructâ aciem ostendit, & signa canere iubet. A dextero cornu duo Sansseuerini Reguli lunato flexu producebant, in leuo Grigninius erat cunctis ut diximus leuis armaturæ equitibus præpositus, in media porrò acie Obegninus ipse constiterat densato cataphractorum ordine Regalis frè coniunctus. Malherba confertos Heluetios & Vascones ex raris ordinibus commodè sagittantes Grigninians equitibus applicarat. Ex aduerso Hispani conspecto hoste, quanquam pauciores, consilioq; decepti, intrepide ordines instruunt, seseque ad confrendas manus cohortantur, & procurrentium Gallorum impetum constanter excipiunt: committitur atrox pugna, nec displodendis utrinque tormentis facultas datur. Sed ardente pugna dum Cardonius admirabili constantia ducis & militis munus impleret, Grigninius lato cir-

lato circuitu extensa ala in transfuersos hostium pedites inuectus, eos perturbauit & fudit: Quibus extemplo incubuere Heluetij & Vascones tanto impetu, ut pulsi ab hastatis sagittisque confixi, in fugam uerterentur. Ex alia autem parte omnis equitatus Hugonis motu conglobatus, Brutios equata cæde sustinebat. Verum Obegnino suam aciem promouente, neque Siculi neque Hispani equites Scotorum cataphractorum uim tulerunt, quin celeriter terga darent, & præcipiti fuga ad montes contenderent, increpante Cardonio, & ut ora conuertere sensimque se recipere uellent, frustra obtestante. Eo modo profligatis equitibus peditatus in medio cæditur atq; proteritur: equites uero magna ex parte ad montium angustias euadunt. In ea hostium perturbatione Grigninius quum abeuntium tergis instans intemperantius proueheretur, quod subducta cassidis buccula faciem nudasset, recepta per oculum conuersi hostis cuspide interfectus est. Nec Obegninus paruum uitæ periculum adijt, quum Hispani equites uti postea ab Antonio Lena accepimus, circumuento & ferè capto, cassidem detrahere conarentur, haud dubie iugulum petituri, nisi Salernitanæ ala superuētu, quæ factò cuneo circumfusos dissiparat, seruatus fuisset. Nouissimus porro omnium Hugo quum cæteri proceres per motes euasissent, dimisso equo cui crura præciderat, ne eo potiretur hostis per niuosas rupes ad Bubalinã Mottã se proripuit, atque inde collectis paululûq; recreatis militibus qui ex prælio superfuerant, in Locrensem agrum ad urbem Hieracium descendit. Impedimenta diripienti militi agrestibusque cessere, uexilla autem cum

multis nobilibus Hibericis equis ad Obegninum relata
 sunt, captiuorum numerus quàm cæſorum amplior
 fuit. Nec ea uictoria Obegnino admodum læta uideri
 potuit, quum Grigninij amiciffimi atque fortiſſimi ui-
 ri morte conſtitiffet. Poſt id prælium Obegninus quum
 Bubalinam Mottam in quam hoſtes ex fuga ſe recepe-
 rant profectus ſine uulnere cepiffet, & in Locrenſi
 Pentadaëtylos oppidū expugnaffet, nemo ferè in Bru-
 tijs fuit qui non ad Gallos uictores ſtudium continuo
 uerterit, Hiſpanis utiq; in munitas arces refugiētibus:
 quas Gallus egrè per hyemen oppugnaturus eſſe uide-
 batur. His rebus quæ in Brutijs & Apulia geſta fuerāt
 Ferdinando Regi in Hiſpania nunciatis, extemplo alia
 claſſis maioris apparatus in portu Nouæ Carthaginis
 adornatur, quæ Meſſanam ad nauiget, præerat copijs
 claſſiq; cum imperio Portocarerius è Buccanigra fa-
 milia Genuæ pernobili oriundus, propterea cæteris Hi-
 ſpaniæ Regulis ad id imperij decus aſpirantibus Regis
 iudicio prælatus, quòd Conſaluo arcta affinitate eſſet
 coniunctus. Nam is Manricæ Conſalui uxoris ſororem
 in matrimonio habebat: Videbaturq; coniunctis cū eo
 ſenſibus ab omni æmulationis certamine procul abſu-
 turus. Portocarerio parebant Alſonſus Caruaial, Italiæ
 poſtea bellis clarus, qui ſexcentis equitibus præerat,
 & Ferdinandus Andrada qui ex Gallecijs, Aſturibus
 & Cantabris, ac Oceani littore circiter quinque millia
 peditum adduxerat. Nauiganti Portocarerio ita aduer-
 ſi fuere uenti, ut ingenti tempeſtate circa Aeolias Inſu-
 las iactatus aliquanto tardius quàm uolebat, ſed claſſe
 incolumi Meſſanam peruenerit. Verum traiccto ſtreto,
 Rhegij ex

Rhegijs exponentem copias supremus inuasit morbus. Is quum fatalem horam sibi adesse cerneret, consulto Nucia Siciliae Praefecto, ad Andradam ius Imperij traxit, quanquã Emanuel Benauidius & Alfonsus Caruaial natalibus clari peritiq; militiae ipso Andrada potiores uiderentur. Exercebat enim inter se Benauidius & Caruaial ueteres similtates ex diuerso factionũ studio conceptas, usq; adeo graues, ut neuter alteri ex proffesso parere uellet: sed ambo in Andradã nequaquam egre Reipub. causa consentirent. Mortuo Portocarrario celebratis exequijs iusta persoluerunt, numeratoq; militi stipendio ex Sicilia uectigalibus, ac initis cũ Hugone consilijs Andradæ copias omnes Rhegio eduxit, & tribus castris ad Terranouæ campos est profectus. Eodem quoq; die Obegninus è Bubalina Motta ad occupandam Terranouam uenit. Sed præoccupante Aluerado, quum leui certamine hostium uires pertentasset, ad Castrũ Sancti Ioannis non procul à Semenaria deflexit, quo in loco septem antè annis Ferdinandũ Regem & Consaluum collata acie profligarat. Nec longe aberant campi receti Hugonis calamitate pernobiles, adeo ut Obegninus gemina uictoria serox quanquam numero copiarũ inferior, fatales hosti campos sibi que felices oculis reuisens, læto quodã auspicio duceretur, ut quàm primum tertiæ pugnae aleam subiret, mittereturq; ab eo ad hostes Ferracutus Araldus. Is Caduceatoris officio fungebatur, qui superbo ore Hispanos tantamen prouocaret. Quibus uerbis Hugo per se ad abolendum dedecus ardore quodã indignantis animi con-

citatus, accipiendam pugnae conditionem Ferracutinae
 que propterea argentea pelui scyphoq; donandum ce-
 ssum. Ioannemq; fratrem qui non longè aberat cum pe-
 destribus copijs accersuit. Sed milites negabant se pro-
 gressuros, nisi toties promissa pecunia stipendij nomi-
 ne debita solueretur. Verùm eam animorum contuma-
 ciam omni quod habebat auro argentoq; præbito, op-
 pignorataq; amicorum fide facile dissoluit, atq; ita pe-
 ditatus in castra perductus est. Obegninus autem ali-
 quot leuibus prælijs factis, superatoq; Petrace an-
 te ad oppidum Gioiam contendit. Abeuntem Andrada &
 Hugo motis properè castris subsecuti, eodem uado flu-
 men traiccerunt, eo quidem ordine ut quisq; eques con-
 fessorem peditem transportaret. Postero autem die O-
 begninus instructa acie ab oppido Gioia descendit. Hi-
 spani autem conspectis hostium signis, continuo acie di-
 rexerunt. In cornibus erant Emanuel & Caruatal, me-
 diam uerò aciem tenebant Hugo, Antonius Leua, &
 Aueradus pater, cum uetere equitatu peditatq;. Hoc
 agmen ex modico interuallo sequebatur Andrada cum
 equitib. ab Hispania nuper aduectis, & Galleacoru &
 Asturum cohortib.. Hæ gentes antiquo more Romanæ
 militiæ scutis oblongis inflexisq; & tragulis missilibus
 utebatur. Ipse porrò Obegninus in primo agmine fuit
 ciende pugnae audis. In secundo Alfonsus, & in ter-
 tio Honoratus Sansseuerini constiterunt, qui Regulo-
 rum gentilium suorum alas ductabant. Quadrato au-
 tem agmini peditum præerat Malherba, iuxta quæ e-
 rant tormenta, quib. utrinq; displosis ab equitatu pro-
 cursus est. Obegnino aduersos Solis radios uitare co-
 nanti Hispani

nanti Hispanorum leuis armaturæ ala locum præcri-
 puit. Ita ut signa uerteret, & in Emanuelis cornu uehe-
 menter inueheretur. Sed ardente iam prælio & egré-
 uim Scotorum Benavidio sustinente, Hugo, Antoniusq;
 & Alueradus opem tulerunt, pugnaque tanto animo-
 rum uigore contracta est, ut Galli Hispanique gladijs
 rem gerentes permiscerentur, nec eorum quisquam
 de uictoria dubitaret, quum Caruaial expedito consilio
 sinistrum cornu circumduxit: & in terga primi ho-
 stium agminis prouectus, tantum terrorem ancipiti
 prælio occupatis intulit, ut Obegninus dissipato suo-
 rum agmine in fugam uerteretur. Alfonso uero cum
 secunda acie auxilium ferentem, Andradæ equites pro-
 fligarent: pariq; sorte Honoratus perterritus fusoque
 tercio agmine profugeret, semiq; horæ momēto (quod
 uix credibile est) trucidato fere toto Gallico peditatu,
 insignis uictoria pararetur. Capti sunt ambo Sansue-
 rini Honoratus & Alfonso. Obegninum Scotorum
 globus è manibus hostium eripuit. Isq; demum adiuncto
 Malherba continenti cursu Gioiā contendit. Sed ibi pau-
 lulū moratus, quod iam Hispani equites hisdē uestigijs
 insecuti aduentare nunciarentur, citato per obscuram
 noctem itinere, in Angitulā arcem confugit. Sæpe For-
 tunam incusans, quæ inuictum hæctenus, & Britanni-
 cis Gallicisque bellis duodecies iusta acie uictorem elu-
 sisset. Sequenti uero die ante alios Valentius, Emanue-
 lis frater, & secundū eum Caruaial, Alueradusq; filius
 & Antonius demum Leua, nihil de celeritate renūten-
 tes, Angitulam peruenerunt, Oppidōq; potiti Obegni-
 ni in arce obsidere statuerūt. Nec multo post Andradæ

dux ipse cum uniuersis copijs superuenit, erectisq; mutationibus, & circumposita cohortium statione, ne dux hostium elaberetur, in conspectu oppidi, sed extra tormenti iactum, castrametatus est. Hisdem quoq; diebus quibus post aduentum classis & Portocarerij mortem, Andrada nouo duce in Brutijs cū Obegnino conuersa iam planè Fortuna certabatur. Germanorum cohortes, quas Octavianus Columna à Prospero patruo ad Casarem missus impetrarat, Carnicis iugis ad Tergestinum portum deductæ & in naues Barolum peruenerunt. Quarum aduentus tanta letitia Consaluum affecit, ut spem antea de suma uictoria conceptam mirificè confirmaret: nec ideo diutius cunctandum arbitraretur, quin in aciem prodiret. Septimum enim mensem Baroli angusta urbe obsessus, quum uicina oppida præter Andriam Namurtius occupasset, cuncta belli incommoda, una inuicti animi magnitudine superarat. Subleuante quidem Fortuna spes egras, & sepius exiremis obsessi casibus arridente, adeo ut nunquã de matura uictoria dubitasse crederetur. Hoc imito susceptoq; cõsilio, quum omnia quæ ad profectio nem opportuna foret, præfectos equitum & peditum parare iussisset, Petrum Nauarrũ, & Ludouicũ Erreranto propinquum suum, cum eã manu qua possent, Tarento euocandos iudicauit: Horum enim eximie uirtuti plurimum tribuebat, pari quoque consilio Namurtius coniectura iudicans hostẽ appulsis Germanorum auxilijs moliturum aliquid, & Barolo protinus egressurum, Andreae Matthæo Aquæuiuæ perscripsit, ut e Conuersano Altamuram peteret, ubi erat Arsius, atq; inde ambo

inde ambo coniunctis uiribus ad se Canusium in castra
 peruenirent: quòd in eius uiri consilio ad res gerendas
 maximam spem reponeret, nec sine Arfio constanti im-
 pigroq; duce quicquam sibi audendum arbitraretur.
 Sed dum inter se Arsius & Aquauiuua de profectio-
 nis die constituunt, Nauarrus circa Tarentum Arfij literas
 interceptit. Qua re cognita uir acutus Aquauiuuæ tran-
 situro insidias tendit, atq; ita ille improuiso malo cir-
 cumuentus, dum fortissimè repugnat, cõfosso equo gra-
 uiter sauciatus capitur. Ioannes eius frater strenuè di-
 micans cadit: equitatusq; profligatur, et fermè totus in-
 potestatem hostis deuenit. Eo negotio ex itinere felici-
 ter gesto, Nauarrus & Errera Barolum perueniunt,
 Consaliuus geminata letitia in risum solutus pleno ore
 Fortunæ obsequenti suscipienda uota pronunciaffe fer-
 tur, quòd opportunissimo tẽpore capto prudentissimo
 hostium duce, uiros summæ uirtutis & fidei magno si-
 bi usui futuros in castra recepisset. Iam ver florenti-
 bus aruis adultaq; segete ad Calendas Maias inclina-
 bat, quum fortè eo ipso die tanquam rite auspicato ma-
 ximeq; felici, quo ad Gioiam profligatis Gallis uicto-
 ria parabatur, Consaliuus copijs omnibus Barolo edu-
 ctis superatoq; Aufido ad Geryonẽ castrametatus est,
 ea mente, ut ad motis tormentis opportuno oppido po-
 tiretur, aut si Galli opem ferrent, æquo in campo colla-
 tis signis confligeret. Peruentum est ardentissimo Sole,
 æstuosq; itinere, & maximè puluerulento, tanta to-
 tius exercitus fatigatione, ut pleriq; milites siti, lassitu-
 dineque confecti passim interirèt: humorisq; desiderio
 ferulas, quas retorridus præbet ager, tanquam ex rore

nocturno madidas exsugere cogentur. Quibus malis Cōsaluus circūductis ad singulas acies aquæ utribus occurrebat, hos enim in eū casum ab Aufido cōportari iusserat, edicebatq; singulis equitibus, ut singulos pedites, armatosq; præsertim in tergo cōfessores acciperet. Id uerò aliquāto benignius & alacrius equites præstabant, quòd humaniore quodā exēplo ab ipso duce receptus in equi clunes signifer Germanus ueheretur. Geryo (ut antea diximus) irrito conatu Poeni Annibalis potius quàm ædificiorū frequentia nobile, tumulto insidet, & perpetuis per decliua uinetis clauditur. Vineta autē fossa modica præcingit, intra quā Prosper atq; Fabritius locū speculari, dimēsiq; castra fecerūt, sic ut tumultuario opere fossa repurgata dilatataq; ac educto ad labrū interius paruo aggere, quantū in ea tēporis exiguitate fieri potuit, sese satis egregiè aduersus hostiū equitatū permuniret. Cōsaluo ipso recentiores militem ad perficiendū opus cohortante, quū eodem tempore tormēta idoneis locis in frōte collocaret. Interim Namurtius Canusio profectus non procul à Geryone confedit, ut cōmuni ducū omniū usus consilio de incunda pugna statueret. Sed intēpestiua altercatione factū est, ut deliberando diei maxima pars elaboretur, quum ipse & Formates atq; Arsius grauibus de causis pugnæ in posterū diē differendā censerēt. Ciandeiū autē Heluetijs præpositus & Alegria, nequaquā segni atq; indecora cunctatione, sed expedito uiriliq; impetu, uti semper fortia audentibus Gallis feliciter euenisset, uictoriā omnino petendā testarentur. Qua sententia uehemēter offendi nominis sui famā Namurtius intellēgebat, nam paulò

Paulo antè malignas de se uoces ab Alegria editas au-
dierat, quòd tanquam dux non planè peritus & stre-
nuus uniuersi certaminis discrimen subire formidaret,
& se per partes attenuatis copijs ab insidiosa gète car-
pi atq; atteri cū labe Gallicæ dignitatis et magno uirū
incōmodo pateretur. Nec mora, non obscure contume-
liam indignatus, postquàm, inquit, ita uidetur, ut hodie
dimicando qualècunq; fors dabit bello finè queramus,
ego certè, si non publico Gallie Regis uoto, præclaro
saltè priuato decori meo honesta morte satisfaciā, atq;
ita concitante fato pugne signū proposuit (quanquāna
uix ad sesquihoram diurnæ lucis cadente Sole superes-
set) tripliciq; agmine instructo ad hostè perrexerit, non
æquata quidè frōte, sed obliquo ordine per gradus pro-
motis copijs, ut quum à dextero cornu ubi erat ipse &
Arsius procurreretur, Ciandeiis à media acie ubi pe-
ditatus omnis confiterat, tormēta disploderet, cōseque-
returq; primos ex interuallo: et simili ratione Alegria
tertiā acie ad leuū Heluetiæ phalangis latus ubi esset
opus concitatis equis applicaret: Sic ut ternæ acies suo
incesso expāse palmæ extremos tres digitos ab inæ-
quali lōgitudine referre uiderētur. Ex aduerso autem
Cōsaluus sex acies directa frōte hostibus opposuit, duæ
equitum in cornibus fuerint, una in subsidijs post Ger-
manos, cui cohærebant Hispanorū cohortes, ad eò mo-
dico disunctæ interuallo, ut procul una tantū peditū
acies appareret, et medio equitatu ad erumpendum si
oporteret, satis spatij præberetur. Leuè autem armatu-
ram omnem Fabritio Columna & Didaco Mendocio
ducibus emisit, quæ aduentantes hostes lacessendo re-

tardaret. Tanta autē caligo densi pulueris excitata est,
 ut prospectus omnis præcursoribus Gallis adimeretur.
 Auxit demum eam nubem, emissorum tormentorū fu-
 mus. Sed eorum altē prouolantes pilæ neutram aciem
 perturbarunt. Quum uerò iterari tormēta Consaluis
 iuberet, ei trepidanter & anxie à Leonardo Aleccio
 nunciatum est, cados omnes sulphurei pulueris, casu an-
 dolo incertum, concepta flamma conflagrasse. At ille
 tanto nuncio nihil omnino territus, præclarum inquit
 omen accipio. Quid enim nobis letius accidere potuit
 quàm proueniētis uictoriæ luminaria spectauisse? Nec
 uanum id augurium fuit, inuectus enim in Germanos,
 & sinistrae alæ equitatū Namurtius, reperta fossa im-
 portunè hæsit, adeo ut repulsus, dum agmen flecteret,
 ut nouus aditus ad irrumpendum quæreretur, glande
 traiectus caderet, penè prius quàm Ciandeiūs Germa-
 nos aggredederetur. Sed is eandem ab obiecta fossa for-
 tunam tulit, quum ab iniquo loco per aggerem perui-
 caci impetu irrumpere conantem, Germani prætentis
 hastis, & ex obliquo Hispani sclopettarij, occisis &
 perturbatis Heluetijs, in fossa quanquam humili truci-
 dassent. In se enim unum Ciandeiūs hostium manus atq;
 oculos conuerterat, quum à præaltis albertium pen-
 narum cristis ante omnes cōspiciuus, pedibus depugna-
 ret. Ceterum cadēte Namurtio, Arsius & Alegria quā-
 quam diuersi loco, idem fugæ consilium ceperunt, ue-
 rum ita casus tulit ut hic in Samnium iter intenderet, il-
 le uerò Venusiam continēti cursu deferretur. Hos equi-
 tatus Hispanicus aliquandiu persecutus, multis interse-
 ctis & pluribus cum Formante captis, in castra redijt.

Quum

Quum Sol occidens nec in semihoræ quidem spatium
 certi luminis finiendo prælio præbisset. Quæ res Ar-
 sium & Alegriam coniectos in obscuram noctem haud
 dubiè seruauit. Primus omnium Prosper in castra ho-
 stium aduolans ipso Namurtij prætorio potitus est, ubi
 ab achum inaurato argento instructum, luxuriosæq; di-
 ligentiæ & copiæ paratam cœnam inuenit, ea sorte, ut
 luculenter epularetur, & in lecto interfecti hostiū du-
 cis pernoctaret, quum cum interea Consaluus atq; Fa-
 britius totam noctem frustra quæsitum pro mortuo de-
 plorarent. Exorto autem Sole Prosper cum multo plau-
 surisq; suorum ad castra redijt, & Namurtius inter
 cadauera agnoscente humeri neuos cubiculario puero
 repertus est, cui Consaluus celebrato funere summos
 honores tribuit. Erat enim ex Armeniaca familia in-
 ter nobilissimas Galliæ ualdè celebri, quæ non semel Re-
 gio sanguini inserta ueram nobilitatem præserbat. Pro-
 gnatum est ad Geryonem die Veneris quarto Kalendas
 Maias, quum septimo ante die Obegninum ad Gioianæ
 ab Andrada profligatum Consaluus à captiuis gemina-
 ta lætitiâ didicisset. Sic ut nequaquam præcipiti temeritate
 Namurtius, sed planè nõ opportuno consilio inductus
 in præliū festinasse diceretur, ne scilicet acceptæ cladis
 fama si emanaret, Gallorū animi frangerentur: hostis
 uerò maiorū uirū expectatione subnixus omnib. belli
 artib. pugnæ casum deuitaret. Cæsa sunt ad quatuor mi-
 lia hostium tanta celeritate felicitateq; , ut cū senihoræ
 momento res cœpta cōfectaq; sit, nec centū quidē ex ui-
 storib. perierint. Audiui ego Fabritiū Columnā dū eius
 prælij successum enarraret, asserentem eius diei uicto-

riam nullo alio magis uel militaris industriae, uel Imperatoriae uirtutis, quam in uno exigui aggeris & perhumilis fossae momento constituisse. Quo postea exemplo alios qui successere duces potissimam in muniendis castriscuram posuisse uidemus, repetita scilicet illa antiquorum tanquam optima castrametandi ratione, quae patri nostrorum tempestate cum tota militiae disciplina foedere corrupta perierat. Eodem die Consaluuus nullum morae spatium perterritis, & fugientibus dandum ratus, Garciam Paredium, qui Arrianos Venusiam pertendentes insequeretur, misit: Petrum uero Pacuum & Theodorum Boccalum Spartanum, Alegriae uestigijs insistere iubet. Sed Alegria Traiano Caracciolo Melphiae Regulo fugae comite cum praeuolante cladis fama nullo in oppido reciperetur, & demissa canistris cibaria passim uel grandi pecunia uix impetraret, ad Tripaldam peruenit, atque inde desumpta unius diei quiete extentis itineribus, uitataque Neapoli Auersam se contulit. Ibi certior est factus, tumultu Neapoli exorto, ipsum Regij scrinij magistrum & questores timore praepeditos in arcem confugisse, atque eo modo desperatis rebus praeter Capuam & Suessam iter habens, superato Lyri amne, Fundos atque Traiectum, & demum Caietam peruenit. Altero quoque die, qui a praelio secundus fuit, Fabritius Columna ad occupandam Aquilam Praecutino-rum caput cum Restanio Cantelmo Populi Comite profectus est. Prosper uero & Andreas Capua, Regulus Termulanus a Consaluo dimissi, Capuam urbem, quae erat Termulano Patria, pulsus Gallorum Magistratibus in fidem recepere. Aperuit & demum eis portas Suessae

cum eò copias adduxissent, atq; ita pulsus ultra Lyrin Gallis, donec quid fieri uellet Consaluus certius imperaret, in ea urbe considendum putauere. Interim ad Hispanos duces, qui in Brutijs Obegninum ad Angitulam obsidebant, literæ Consalui de parta uictoria peruen-runt. Quibus ad arcem præmissis, Obegninus agnosce-re se Fortunam supra æquum Gallico nomini infestam respondit, propterea quum iniquæ sorti diutius relucta-ri insani esse & pertinacis animi iudicaret, se protinus deditioem facturum, si uera essent quæ nunciarentur, spondit: atq; eo modo emissio Malherba, qui data fi-dei obses foret, concessæ sunt duodecim dierum induciæ. Quo spatio Galli tres equites missi ad explorandū rei gestæ exitum reuenterentur. Ii quum non multò post cuncta uti acciderant, à captiuis edocti, Namurtium cæsum & profligatas eius copias renunciaissent, Obegni-nus aurata in ueste, & tranquillo quidem ore prodies, se deditit ea conditione, ut reliqui ad unū omnes liberi essent, ac ipse solus in libera custodia seruaretur. Ferunt Obegninum duos iuuenes propinquos suos, qui po-stea bello clari euaserunt, seuerissimis castigasse uer-bis, quòd mollius quàm viros genereque præsertim Sco-tos, & Regio sanguine editos deceret, aduersum belli e-xitum complorarent, quasi non meminissent nunquam animum generosis esse despondendum, sed Fortunam nouo semper conatu rediuiuæ inuictæq; uirtutis esse redimendam. Interea Consaluus Melphi in ditio-nem recepta, quum ex itinere cuncta oppida uicto-ribus portas aperirent: & nusquam tempus terere, sed continuò Gallos persequi uellet; ex Apulia per Sa-

mniū & Campaniam iter habens, Acerras uenit.
 Vbi Neapolitani oratores primæ nobilitatis, quum ui-
 ctricem dextram apprehenderent, incruentamq; uicto-
 riam gratularentur, uictorem rogarunt, ut ciuitatem
 ex antiquorum beneficiorum memoria Aragonio no-
 mini uehementer obligatam in fidem reciperet: iurâq;
 ius, & antiquæ immunitatis leges tueretur, studioseq;
 conseruandam, ac ex fidei meritò nouis honoribus am-
 plificandam susciperet. His itaq; tabulis, quas domi ex
 superiorum Regum formula conceperant, Consaluuus li-
 beralissimè subscripsit, pollicitus se curaturum, ut cum-
 ctis eorum postulatis Rex Ferdinandus de scripto cle-
 menter annueret. Nec multò post sub umbella Regio
 apparatu in urbem est receptus. Parata ei fuerat solen-
 ni cultu Salernitani principis domus, quæ longè om-
 nium magnificentissima censebatur, aduocatæq; demū
 singulæ tribus Idibus Maijs, in nomen Ferdinandi Re-
 gis sacramentum dixerunt, militibus autem edixit pri-
 uato hospitio per urbem susceptis, capitalem fore pœ-
 nam, si quenquā auarè aut insolenter uel impudicè ui-
 lassent. Exinde conuectis muralib. tormentis, quæ ma-
 gna ex parte ad Geryonem ex hostili præda fuerat cõ-
 secutus, arces expugnare constituit, Nauarro profiten-
 te se breui singulas in potestate redacturum. Prima ont-
 nium, paruo admodum scopulo imposita, quæ Vincen-
 tina turris uocatur (hæc nouam arcem ex obliquo re-
 spicit) tormentis expugnata est, dedentibus sese custo-
 dibus qui tormentorū procellam ferre nequuerāt. In-
 de Nauarrus apparatus omnē ad nouā arcem conuer-
 tit, ita ut superioris coronæ pinnas, & summa turrium
 tecta

lecta interdum uerberaret, noctu uerò tutus in excavatis
 cuniculis uersaretur. Factumq; est paucorum die-
 rum labore, ut ex instituta disciplina coniectis ad ima
 fundamenta sulphurci pulueris cadis, totum id propu-
 gnaculum, quod hortos uiridariaq; despectat, subdito
 demum igne horribili fragore conuulsus laceratumq;
 concideret: & Hispani per ruinas expeditis armis ce-
 leriter irrumperet, exterioreq; toto arcis ambitu mul-
 tis Gallorum interfectis potiretur. Reliquos uerò Gal-
 los uti erant inopinato malo perterriti, per triumphalem
 portam in interiorem arcis aream refugientes,
 ita urgerent, ut occupatum pontem, pondere degra-
 uantes à Gallis custodibus attolli prohiberent. In ea au-
 tem perturbatione Galli, aeneæ celatæq; portæ ualuas
 inductis pessulis turbæ irrumperantium celeriter oppo-
 fuerunt, adegeretq; item colubrinam ad fores, ut ea in-
 trorsus dissplosa consistentium, & in ponte, & in area
 Hispanorum strages ederetur. Sed admirabili casu pi-
 la ferrea in ipsa ualuarum crassitie hæsit, non planè pe-
 netratro metallo, quæ hodie pro insigni miraculo pere-
 grinis arcem inuisentibus ostenditur. Consalius, quum
 meridiantî capi arcem clamore militum edito nuncia-
 retur, neq; id planè crederet, arrepto tantum pedestri
 scuto ad arcem decucurrit, ipsoq; admirante, occupa-
 ta est area arcis interior, admirabili quadam audacia
 scandente Hispano, & Gallis qui in turres confuge-
 rant, trepidè se deditibus. Muralis coronæ decus pro-
 meruit adolescens ex armigeris Consalui pueris Ioan-
 nes Pelæus Berrius, qui pinnæ pluteum Gallo ei manû
 detruncante audacter apprehenderat. Milites cuncta

ferè quæ erant in arce diripuerunt, usq; adeo insolenter, ut nec annonam quidem se relicturos pernegarēt, ipso duce Consaluo arrogantibus uerbis penè uiolato, si militaris inuerecundia cum tanti uiri maiestate conferatur. Sed in summo omnium gaudio militibus tanta re patrata indulgendum esse iudicabat. Adeo ut singula horrea, & singulas annonæ cellas à militibus parè liberaliter ea uedētibus coemere cogeretur. Dictitabāt enim superbo ore ea omnia summis periculis quaesita, optimo iure sibi deberi, postquā ægerrimè debita stipēdia soluerētur. Earum rerum opimam publica aestimatione fuisse prædam constat, quum in arcem tanquam tutissimæmunitionis locum, Andegauensium partium ciues, mercatores, atq; mensarij obsignatas pretiosarū rerum arcas detulissent. Non defuere tamen multi ex gregarijs, qui nihil sibi omnino ex pretiosa ea præda peruenisse iurarent, & diris maledicendo de iniqua sorte sua improbè quererētur. Ad quos cōuersus Consaluus, Atote inquit, ut ex mea liberalitate Fortunam uestram superetis, & domum meam diripite. Quo oblato munere alacres ad eam illico conuolarunt, tanta intermixtæ plebis rapacitate, ut nudatis omni ornamento parietibus, nec cellæ quidem uinariæ parcere-tur. At Consaluus repurgata cadaueribus arca, eductis q; captiuis, atq; omni præda militibus exportata, arcis custodia præfecturam Nonio Campeio, quod esset uir impiger, & sibi admodum familiaris, detulit, Nauarro ad Oui arcem tormenta conuerture iusso. Ea est in Insula de nomine unius Sirenum Megaris antiquitus uocata, quæ Eccie montē spectat, & cōtinēti
 ponte

ponte longo cōiungitur. Successit rupi Nauarrus, per-
 fossisq; cautibus altero atq; uigesimo die quā nouam
 arcē ad tertium Idus Iunias ceperat, ignes subdidit, qui
 ubi ex incensis sensim funiculis ad tormētarij pulueris
 uasa peruenerunt, tota illa extremae partis arcis praeal-
 ta rupes, inter horribiles eructantibus flammæ crepi-
 tus, latē diffracta concidit, & tum fortē quum arcis cus-
 tos uocatis in consilium militum primoribus in delu-
 bro consedisset, Nihil eius loci numine à miseris auertē-
 te cladem, quum subita cadentis arcis ruina serē omnes
 oppressisset. Custode itaq; miserabili tumulo cum centu-
 rionibus consepulto, qui supererant tantæ cladis euen-
 tu terrefacti, quin statim arcem dederent, nullam deli-
 berationi moram attulerunt. Per eos quoq; dies seran-
 his arcibus opem ferens Gallica clas, quum in conspe-
 ctum Neapoli se dedisset, deiecta consilio, ad AENARIĀ
 uela flexit, ut urbem Pythacusas, quæ hodie Iscla dici-
 tur tētaret, ibiq; Hispanorum triremes tutam sub arce
 stationem habentes opprimeret. Sed Constantia Daua
 la summa uirtutis & fidei foemina, quam Rex Federi-
 cus in arce reliquerat, ab excelsa munitione displois-
 tormentis Hispanos usq; ad cō egregiē defendit, ut ue-
 xilum Aragonium explicaret, & se cum arce urbeq;
 & tota deniq; Insula, quæ septē pagis cōstat, in fide Hi-
 spaniæ regis futurā profiteretur. Hæc est Cōstātia Da-
 uala quæ pietatis & gloriæ nomine inter paucas memo-
 rabilis duorū fratrum filios Piscarium & Vastiū, bellica
 laude maximis atiqui seculi ducibus æquatos, feliciter
 educauit, quum ab infantia clarissimis orbatos parētibus,
 uti generosa præcellentis uitæ magistra, in eam

uiam qua ex uera uirtute in caelum itur, rectissime deduxisset. Porro Consaluis incredibili felicitate tribus arcibus potitus Andradæ scripsit, ut iustis confectis itineribus Neapolim cum exercitu Obegnino secure humaniterq; perducto uenire maturaret, quod sibi omnino oppugnanda Caieta uideretur, in quam reliquiae Gallorum confugissent, & spe maritimum auxiliorum subnixi duce Ludouico Salasso, ad quem ius imperij reciderat de renouando bello cogitarent. Sed Andrada iam receptis Brutiorum arcibus, & nouis passim uti opus erat praesidijs impositis, praeteruectus Pessum, Veliam, & Buxentum quae hodie Capaccium, Bucca, & Polycastrum uocantur, per Picentinos aduentabat. Scripsit quoq; ad Didacum Arellianum, quem recepta Melphi in praesidio reliquerat, ut Arsiue Venusia saepe erumpentem à sociorum populatione reprimeret. Prosperum uero Columnnam & Andream Thermulanum cum primo copiarum agmine à Suessa ad Pontem curuum qui est ad Fregellas, progredi iussit, ipseq; ad Sanctum Germanum, quod olim Casinum theatro nobile oppidum fuit, per Calenum agrum est profectus. Inde Gulielmæ arcis oppidum eiectis Gallis in fidem recepit, solutoq; apud Fregellas militibus stipendio in Fundanum agrum descendens ad Caietanum prolatis tormentis consedit. Iam eò Nauarrus tria milia peditum apparatusq; oppugnandæ urbis adduxerat, conabaturq; eodem artificio quo Neapoli felicissime usus fuerat, pluteos facere, effodere cuniculos, moenium pinnas detergere. Verum Salassus & Alegria Gallorum & Vasconum freti praesidio, Nauarrum iniquo loco

loco talia molientem assidue coniectis colubinarum
 & falconum pilis perturbabant, usque adeo uiolenter
 ut non solum qui circa tormenta atq; aggeres in ope-
 re uersarentur, uerum & qui procul in castris essent,
 uitae periculum adirent. Nam multis ad certos pariter
 atq; fortuitos ictus discerptis, Galli peritissime iacula-
 bantur. Augebant quoq; ea detrimenta apud Hispanos
 apertis in locis periculosè confidentes Gallorum trire-
 mes, quæ ab Aenaria, Prochitaq; repulsæ inter Molam
 & Caietam sese intulerant, & tormentis quò uellent
 emissis, cum multorum exitio periculoq; per Formia-
 na litora uagabantur: quibus discursibus fiebat ut pro-
 pter locorum iniquitates multi ex Hispanis interficerentur,
 admonereturq; propterea Consaluis ut parceret
 militi inultè pereunti: tormentisq; retractis ad Formia-
 anum oppidulum Ciceronis olim delitias, quod hodie
 Castellonem uocant, castra reduceret. Id uerò aliquan-
 to maturius quàm uolebat, facere est coactus, quoniam
 præter fortissimos milites amplius trecentos, Rodori-
 cus Manricus Nagerci Reguli frater, Manricaq; uxo-
 ris propinquus & clari cohortium præfecti Ioannes
 Speßius & Alfonsus Lopes, & qui è Neapoli relicta
 classe cum socijs naualibus euocatus fuerat Sancius Ar-
 mentales Cantaber, cum signiferis quatuor tormentis
 icti cecidissent, & nouissime Antio Litestanio Germa-
 norum duce falconis pila discerpto, ipso quoq; Hugo
 Cardonius summæ uirtutis dux, qui è Brutijs uictoriæ
 nuncijs nuper aduenerat, resiliente ad tormenti pilam
 muri fragmine genu ictus interisset. In eo prægrauis
 dolore Consaluis, & publico militum luctu ad Formia

num castra fecit, ut inclusos & saepe repulsoſ hoſtes ſterili in urbe tutius & latius obſideret: id uerò percō-
 modè fiebat, quòd nouis copijs eſſet adauētus. Iam e-
 nim cum Brutianæ uictoriæ ducibus Andrada ad Cale-
 tam in caſtra peruenerat, quū paulò ante Obegniū
 reliquosq; inſignes captiuos Nonio Cāpeio arcis præ-
 ſecto cuſtodiendos tradidiſſet. Dum in eo ſalubri loco
 & nobilium fontium ſcaturigine percelebri caſtra ha-
 beret, Fabritij Columnæ & Reſtanij Cantelmi literis
 factus eſt certior, Theate in Marrucinis & in Veſti-
 nis ad Garganum montē aliquot oppida nequaquam
 ui, ſed præclara uoluntate in fidem conceſſiſſe. Horum
 exēplum ſecutos Sulmonenſes, Hadrianos, Interamnia-
 tes, Pinnenſes, & qui ſunt circa Fucinum lacum Cella-
 nenſes, & cuncta deniq; Præcutinæ regionis oppida,
 in primisq; Tallacotium, & Marſorū Alban, ipſarūq;
 Aquilam, quæ ex Amiterni ruinis creuit, totius pro-
 uincię caput, in ditionem ueniſſe, pulſo armis Hierony-
 mo Galeoſio (is apud Aquilanos Gallicæ factionis prin-
 ceps euaſerat) reiectisq; obiter Urſinis, qui duce Fabio
 Pauli filio, oppida Columnæ familie proceribus attri-
 buta, ademptaq; olim Virginio Urſino, occupare cona-
 ti fuerant. Fruſtra etiam Aquilaniſ inhiante Fracaſſa
 Sanſeuerino, qui eò cum ala equitum à Pontifice miſ-
 ſus, oppidanorum animos pertentarat. Interea Conſal-
 tius certior fiebat Ludouicum Gallię Regem nequa-
 quam demifſo animo Fortune cedendum exiſtiman-
 tem, uti erat indomiti & conſtantis ingenij, bellum
 renouare, conductis ſcilicet duabus Heluetiorum legio-
 nibus, ac exornata ad Genuā noua claſſe, impetratiſq;
 equitum

equitū auxilium à Mantuano Ferrariensiq; Regulis, &
 à Bentiuolo Bononiensium Tyranno, Florētinisq; &
 ab ipso quoq; Cesare Borgia Alexādi Pontificis filio.
 His copiis Ludouicū Tramulium summæ authoritatis
 & gloriæ ducem præfecerat, addideratq; ei collegam
 Franciscum Gonzagam principem Mantuanum, quo
 nemo gerendo eo bello aptior uideri potuit, cum pro-
 pter insitum pugnacis animi uigorem, tum propter
 regionum ferrè omnium Apuliæ Regni singularem no-
 ticiam, quum sama rerum his in terris feliciter gesta-
 rum clarissimus haberetur. His accedebat Antonius
 Basseius Heduus qui Heluetijs præerat, propter lin-
 guæ peritiā uetus dux eius gentis & moderator exi-
 mius. Iam Gallorum copiæ per Ethruriam aduentare
 dicebantur, quum ab Roma ex Regij legati literis Cō-
 saluo nunciatum est Alexandrū Pontificem circiter
 Idus Augustas lethali correptum morbo post quar-
 tum diem decessisse, Cesare Borgia filio eadem rapida
 ualetudine grauiter tentato, ita ut populus pro com-
 perto haberet, & patrem & filium ex eadem lagenæ
 uenenum quod conuiuis parassent ebibisse, fatali sci-
 licet errore ministri, qui lagenas improuidè commu-
 tasset, in ea cœna quæ ad fontem in aduerso Vaticani
 dorso ambobus maximè hilaris, sed exitu admodum
 lugubris fuit. Medici quum senem uim eius ueneni mi-
 nimè sustinentem seruare nequiuissent, Cesarem filium
 uti erat ætatis uigore præualidus, multis antidotis con-
 seruarunt. Accepi ego ab Hadriano Cardinale Cor-
 netano, in cuius uilla cœnabatur, se eodem mortifero
 poculo petiū, ita exarsisse ex subito uiscerū seruore,

ut abortivæ caligines oppressis sensibus sibi rationem
 excuterent, sese in solium frigida plenum mergere co-
 geretur, neq; prius perustis interaneis ad uitam redi-
 se, quàm ei extrema cutis in exuuias abiens toto cor-
 pore decideret. Id uerò tanquam execrabile totiq; Ita-
 liæ maximè funestum caput, si religionis causam amo-
 matum, ita ut pleriq; inimiciq; præsertim Vrsini, seui-
 tiam diri hominis merita talionis poena uindicasse Su-
 peros crederent: quòd aliquot opulentos Senatores eo-
 dem ueneno sustulisset. Audita morte Pontificis Pro-
 sper atq; Fabritius à Consaluo dimissi ad Urbem conuo-
 larunt: uti oppida quibus iniquo iure expulsi fuerant,
 armis recuperarent, nec ea Caesar atroci morbo uehe-
 menti q; inuidia circumuentus grauatè restituit, ne op-
 pugnatus ab Vrsinis, Columnios quoq; ex iusto odio
 infestos hostes experiretur. Fuit ea liberalitas quanquã
 extorta necessitate Columnijs admodum grata, quòd
 Neptunum in Antiate & Genatianum in Latio, &
 Papeam arcem ad Algidum sumptuosis edificijs &
 turribus à Pontifice permunitas, nullo labore recepif-
 sent. Tenebat se Vaticano Caesar Valido fidei q; septus
 exercitu: ita ut præ metu Senatores de comitijs acturi
 ad Mineruam conuenirent. Res erat infamis plenaq;
 recentis inuidiæ, quum supra uetus odium sacrosancto
 tēplo, & Vaticana sede Senatus arceretur. Quamo-
 brem Romani Magistratus in Capitolio suæ dignitatis
 esse statuentes, liberum tutumq; locum comitijs, atque
 omni armorum metu securam Urbem peregrinis &
 ciuibus præstare, seueris obtestationibus impetrarunt,
 ut ead-

ut eductis Vrbe copijs ad Nepe secederet. Nam per eos
 dies Vrsini Liuiano duce, urbem intrarāt interfectisq;
 nonnullis Hispanis, Turrionis portam crematis ualuis
 in Vaticanum irrumpere conati, magnum tumultum
 excitarāt. Itaq; pacata Vrbe Pius tertius pontifex est
 renunciatus. Sed eo intra paucos dies defuncto, Caesar
 iam ex morbo firmior, in Urbem est reuersus, ut
 secundis comitijs interesset. Gallis enim aduentan-
 tibus fauere decreuerat, ita ut eis auxilia pollicere
 tur, & Georgio Ambosio Rothomagensi Cardinale cā-
 didato suffragatores ex amicis, Borgiaq; domus sena-
 toribus pararet. In ea rerum occasione Consaluus sa-
 tagendum ratus, cum Hispanis ducibus qui Borgiae mi-
 litabant opportunè transegit, ut postulato comite, cum
 suis alis atq; cohortibus ad se transirent, Ferdinā-
 doq; Regi fortem, & Hispanico nomini iure gentium,
 debitam aduersus Gallos operam præstarent, uel ob id
 præsertim quòd improvise arma ad Salsulas Hispaniæ
 finibus intulissent. Transiuere itaq; uel in speciem non
 inuito Casare, ipsa hercle publici decoris cura supra
 pudorem priuatæ necessitudinis eminente Hugo Mon-
 cata ante alios, Hieronymusq; Olorius, & Ludouicus
 item Hiscet, Petrusq; Castrius, & secundum eos Dida-
 cus Chignones nobili loco nati, clariq; militiæ. Hos Cō-
 saluus certis collatis honoribus liberalique stipendio
 prosecutus est. Tētauitq; demum Vrsinos proceres per
 amplius propositis conditionibus uti Ferdinandi Regis
 uexilla sequerentur, nec consilio quanquam mire ar-
 duo felix euentus defuit. Quis enim credidisset Vrsi-
 nos & Columnios ex uetere factionum odio dissiden-

tes in una castra coituros? Dederat occasionem Vrfinis ut alienatis armis, nouam à uetereq; instituto penitus diuersam rebus suis Fortunam quærirarent, Georgius Ambosius, quum Cæsari Borgiæ comitiorum causa uehementissimè faueret, adducto enim secum è Gallico carcere Afcanio Sfortia Cardinale, in eam spem uenerat, ut quum candidatus prodiret, pontificatum adsequeretur, adiutore præsertim Borgia, cuius caput tanquam nefarij cruentiq; hominis Vrfini petere uidebantur, ut propinquorum necem uindicarent: quum paulò ante Tyrannus ille tot familiæ proceres inmani crudelitate prostrauisset, ob id quoq; se contemni existimantes faciliè indignabantur, quòd Trantius Gallie Regis legatus cui operam, copias, & opes obtulerant, aliquanto perplexius responderet, quàm instantis belli pericula flagitarent. Gallus enim astuta sed fallaciatione, Vrfinos uel sine præmio stipendioq; sibi affuturos putabat, quando à uetere partium studio discessuri minimè crederentur: Liuiano ante alios Trantij uanitatem atq; superbiam non obscura auaritia inclufam minimè tolerante, quòd tanquam explorata uictoria nequaquam sibi opus esse Vrfinorū auxilijs existimaret. Igitur expedita deliberatione Vrfini omnes præter unum Iordanem Virginij filium Consaluo sese ea conditione celeriter applicarunt, ut ad eum opima stipendia meraturi, cum duobus milibus utriusq; armaturæ galeatorum equitum, & quatuor peditum uexillis per Sabinorum fines transirent: tempestiuè quoq; in id consiliū proclinatos Prosper atq; Fabritius amicissimis cohortationibus accèderāt, ut optimè de matura uictoria sentire

sentire uellent, eaq; demum præmia se adepturos sperarent, quæ à summæ uirtutis & fidei duce, ipsoq; Rege gratissimo expectari possent. In his pollicitationibus sese Columnij uades præbebant, spondente pro omnibus Didaco Mendocio, qui præsens egregiam promissis authoritatem afferebat. Iere ante alios Liuianus & Ludouicus Pitiliani filius, præterea Franciotus qui postea Cardinalis fuit, & Rentius Ceres Anguilarius, Iuliusq; Vitellius Tiphernas. Interea Gallicus exercitus Gonzaga duce, quòd Tramulius in grauen morbum incidisset, Urbem secundum moenia præteruetus, Latina uia ad Regni fines sine maleficio peruenit: quòd Gallis se hostem futurum si secus facerent Iulius dudum creatus Pontifex edixisset. At Consaluis cognito hostium aduentu à Formijs Casinum uenit, recepta iterum ex itinere Rocha Gulielma, quum oppidani leuitate populari Tristanum Acunium satis incautè sacrorum causa ab arce ad templum descendentem interceptissent: & Gallis euocatis sese defensuri uiderentur. Exterruit enim eos Nauarrus: & depulso Gallorum præsidio leuitatis atque perfidiæ poenas dare coegit. Supra Casinum templum est in edito monte diuo Benedicto consecratum, degentibus ibi multis sanctioris uitæ sacerdotibus. Id tanquam tutissimam arcem Galli tenebant, qui paulò antè se præsidio excessuros datis obsidibus pepigerant, nisi intra certos dies auxilia superuenissent. Aduenerat præfixa dies, sed Galli ex fama aduentantis noui exercitus spe subnixi, deditiõnẽ extraherant. Id minime ferèdum ratus

Consaluuus copias admouit, spe prædæ milites accen-
 dens, tantæque fuit eorum uis atq; celeritas in conscen-
 denda rupe, proferendisq; tormentis, ut quum post ini-
 tum acre certamen duo fortissimi Centuriones Ochea
 & Iordanes Artiaca, alter per appensum funem in mi-
 uri coronam euasisset, alter per angustum per fracti
 manipularijs, trucidatoq; Gallorum præsidio, tota ea
 Cœnobij arce potirentur. Verum ea fuit in quærenda
 prædæ militum auiditas, ut nec à Sacratio refractis ar-
 marijs abstinere, quin sacrata uasa, uestesq; altaribus
 dicatas diriperent: ac nisi Garcias Lisonius qui pietate
 insigni ad Rubos captiuarum sceminarũ pudorem cõ-
 seruarat, intentato gladio prædantes coercuisset, uene-
 rabiles etiam sanctorum patrum reliquie, loculis scili-
 cet argenteis condite, profectò auaritiæ militum ces-
 sissent. Eodem quoq; tempore Gonzaga ad Rochasfic-
 cam, quod est oppidum Daualorum, Põtificiis finibus
 propinquum castra fecit, missò præcone qui præsidio
 eadem denunciaret, ni se dederet priusquam admota
 tormenta murum ferirent. Præerat præsidio Villalbæ
 ingenio ferox. Is præconẽ liberius loquẽtem arripuit,
 & laqueo è mœnibus suspensum hostibus ostendit, qua
 scuitia offensi Galli tormenta protulerunt. Verum his
 tentato certamine acerrimè sese tuentibus Hispanis, no-
 ctu castra mouerunt, quòd aduentare hostes nunciare-
 tur: rectoq; itinere Aquinum profecti sunt. Consaluuus
 enim Prosperum Columnam & Didacum Mendocitẽ
 & cum peditatus parte Nauarrum Rochasficcæ open-
 ferre iusserat, scripseratq; Villalbæ, ut his educio præ-
 sidio

sidio iungeretur. Ipse uerò cum Germanis totòque
 reliquo exercitū eadem uia iter intenderat, ut cum
 hoste confligeret. Verùm nocturno discessu hostium
 facile accidit, ut eo die minimè pugnaretur. Su-
 binde quoq; per aliquot dies utrinq; cessatum est, pro-
 pter cōtinuos imbres Gallis maximè aduersos, qui nū-
 quam se durius hyemasse fatebantur: quòd agrè ad ex-
 pediendos commeatus subuectiones fierent, quòd lutu-
 lenta itinera educendo equitatu, quo plurimum uale-
 bāt, peruehēdisq; tormētis, periniqua essent. Quibus
 rerum difficultatibus impeditos Consalius aggredien-
 dos ratus, Fabritium Columnam, & cum eo Vrsinos
 duces qui dudum in castra peruenerant, ad Aquinum
 misit, ut qui nam hostium motus essent certius explora-
 rent. Incidit Fabritius castra mouentibus contraxitq;
 acre certamen cum postremo Gallorum agmine, ubi
 erat Alegria. Quo uehementer incumbente res eò de-
 ducta est, ut Fabritius impar hosti sese recipere cogere-
 tur, & Consalius de motu hostium certior factus acies
 promoueret, ut crescente praelio, si quid Galli auden-
 dum putarent, adductis omnibus copijs interesset. Sed
 nox admodum propinqua utrinq; duces ex propin-
 quo ostentantem uires facillè diremit. Galli ad Fregella-
 num pontem concesserunt, & Consalius ad Aquinum
 unde hostis exierat, posuit castra, pluresq; ibi Gallos
 & Heluetios ex morbo fame & frigore tabescentes in
 tēplo hospitali repertos insigni pietate conseruauit,
 secus ac Preianes Gallus effecerat, quum paulò ante
 nauigium quo Hispani aliquot, ex numero sauciorum
 & aegrotorum è Formiano Neapolim aduehebantur,

supra Cumas pyratice feritate demersisset. Nec multo
 post Consalvus ab Aquino inopi desertoq; oppido Ca-
 sinum est reuersus. Galli interim circa Fregellas septem
 integros dies explicandis cōsilijs consumpserunt: nihil
 enim primis eorum conatibus Fortuna responderat: ut
 pote qui secus ac ab initio crediderant, à primo hostili
 oppido contumeliose reiecti per Casinatis saltus fauces
 in Calenū agrum & Leborios campos peruadere ne-
 quiuissent: uetantibus scilicet fœdis tēpestatibus ac ob-
 stante hostium duce, qui æquissimo in loco pugnaturus
 in acie constiterat. Nec deerant ex Gallis proceribus
 qui infirma spe de belli euentu iudicantes ad non inane
 omen aduersi successus uerterēt, quòd in ipso uix dum
 coepta belli limine Alexander Pontifex non obscure so-
 cius futurus repentē concidisset. Tramulium uerò in-
 cuius spectata uirtute autoritateq; Galli milites sum-
 mam spem reponerent, grauis admodum atq; diffici-
 lis premeret morbus: ac Ursini Principes qui fortē
 fidelemq; operam obtulerant, penitendo Trantij er-
 rore, tanquam spreti ad hostes concessissent. Ceterum
 Mantuanus, Salasso, Alegria, Basseio, ceterisque Du-
 cibus in consilium adhibitis, nihil ad rem gerendam
 cōmodius ac opportunius esse differuit, quàm ad Min-
 turnas deflectere, Lyrique amne ponte constrato, per
 campos qui ad Sinuessanas aquas pertinent, penetrare
 ad oppidum Montis Draconis, quod antiquitus Pe-
 trinum fuit: atque inde per Stellates campos, qui ho-
 die Mazzonij dicuntur, Capuam proficisci, aut si
 aptius fortē iter ex motu hostium ostenderetur, supera-
 to amne, ac eò ad leuā relicto, per Cascanū oppidum,
 Masfici

Massici montis angustijs superatis, rectà per Phalernū
 & Calenum agrum ad amnem Vulturū descendere.
 At Consalius ex profectioe hostiū, id quod illi decre-
 uerant, uti peracutus bellicarū rerum coniectator, faci-
 le diuinans, cū læui armatura Petrū Paceum secundum
 Lirim misit, qui discurrendo obseruandoq; aduersant
 hosti ripam tueretur, ipseq; demum subsecutus, idoneo
 in loco castra fecit, & sua in ripa ubi uada statuendo
 ponti idonea hostibus uideri poterāt, oblongā munitio-
 nem perduxit, ad quā cohortes excubarent, molien-
 tesq; pontē Gallos missilibus infestarent. Hæc ab utraq;
 fluminis ripa intentē speculantibus ac utrinq; sclopet-
 tis & balistis rem gerentibus Gallis & Hispanis, Fa-
 bius Ursinus à Vascone, adacta inter oculos per aper-
 tam galeam crassiore sagitta, magno cum dolore gen-
 tilium suorum est interfectus. Interim Fabritius Colum-
 na Euandriam arcem Lyri imminentem adortus, usq;
 adeò grauem subito aduentu præsidarijs terrorem in-
 tulit, ut Federicus Monfortius filium obsidem daret, pa-
 ciscereturq; se dediturum arcē, nisi Galli intra quin-
 tū diem adducto exercitu opem tulissent. Sed Mantua-
 nus in parando ponte uehementer occupatus, leuē eius
 arcis iacturam putauit, atq; ita Monfortius portas ape-
 rire coactus est. Eo quoq; tēpore Galli admotis tormē-
 tis Turrem ad mare Lyris faucibus impositā in potesta-
 tem redegerunt, ea conditione, ut pauci pedites Hispani,
 saluis rebus & uita incolumi præsidio decederent.
 Ea deditio uti infamis usq; adeò indecora Hispanico no-
 mini in castris uisa est, ut qui metu mortis uitā seruarāt
 concursu iratorū militū ueluti publico iudicio dānati

trucidatq; miserabilem atq; teterrimam mortem subirent. Nihil utiq; uel supra æquū atrox id facinus uindicante Consaluo, ut cæteri scilicet qui in præsijs forēt, eo maximè crudeli exemplo ducerentur, ideoq; salutem & decus in una tantum animi fortitudine positam existimarent. Erat enim Consaluus eo stabili decreto à natura addededecus cōformatus, ut quū dignitatē tueretur seuerus, & planè saeuus existimari minimè recusaret. Iam aliquot dies transierant, quum inter bina castra profluente Lyri Mantuani iussu conuectis ad ripā idoneis lintribus, hisq; per transfuersas trabes nota ratione connexis, fluuius ponte iungi cœptus est, Hispanis qui ad munitionem erant frustra prohibentibus, tātaq; diligentia & celeritate perficiendo operi Mantuanus cum cæteris ducibus incubuit, ut quum pons egregiè latus, & stabilis esset constitutus, Galli extēplo producta acie equites simul & pedites conferti, facto impetu pertransirent, trucidatisq; primis Hispanorum in statione pugnantibus, cæteri tormentorum metu funderentur. Iam supra mille in ulteriorem ripam audacter prosperèque transierant, quum exorto fremitu militum ad arma conclamantium recipientiumque se ad proxima castra, Consaluo transire hostes, potitōsque iam ripa, atque inde pulsa statione aduentare nunciatur. Is uti erat omni periculo impavidus & alacer pugnae signum tuba dari iubet, cæteri duces se se expediunt, Nauarrus & Andrada cohortes promouent, uexilla explicantur, proditque ipse Iberico conscenso equo, expeditis tectus armis, Fabritiumq; ante alios nihil cunctandum esse proclamantē, & pugna

Pugnae avidum hortatur, ut transeuntes hostes in-
 uadat. Ille celeriter iussa facit & procurrit, & quan-
 quam tormenta hostium à superiore inferioreq; ripa,
 ad pontem incessanter emissa prouolantibus pilis, mul-
 tos prosternerent, audacter tamen inuehitur. Porro
 Galli quòd tumultuaria festinatione transierant nondiè
 in ordines conglobati incumbentium impetum egrè su-
 stinent, Fabritiana uerò ala, uti permista Gallis mino-
 re tormentorum periculo rem gerit, cedunturq; Galli
 & plerique eorum in profluentem deturbantur, tanto
 concepto metu, ut cum in fugam per pontem versi so-
 cios in auxilium adcurrentes retro auerterent, multi è
 margine pontis decedentes præalto anne mergerentur.
 In ea perturbatione Galli duces qui instructi ad tran-
 seundum primis succedebant, profligatis opem ferre
 nequiuertunt, quòd productis ab hoste tormentis pari
 diligentia peterentur, & iam Fabritio alij atq; alij du-
 ces cum turmis & cohortibus accessissent. Fabritius tã-
 to facinore edito, quo dimidia pars Gallorù ex his qui
 transissent aut trucidata aut mersa anne perierat, præ-
 cellentis inusitatæq; uirtutis laudem confessione omnium
 tulit: laudatus quoq; est publico præconio Ferdinandus
 Hilesca signifer Hispanus, qui rapiente ei dextram tor-
 menti pila, imperterritus uexillum leua manu sustulit
 & in hoste ire perrexit. Hunc Postea Consaluus eiusq;
 liberos uirtutis causa ex Regio uectigali annuis aureis
 quingentis donauit. Accepi ego ab Vgone Moncata
 qui huic multisq; alijs terra marique prælijs interfuit,
 in nullum unquam se terribilius consertæ pugnae discri-
 men incidisse, quòd equis passim uirisq; discerptis ad-

uersus tormenta, ad non dubiam mortem procurrere
 minimè dubitarent, & Fabritium parcè de sua laude
 mecum loqui solitum, intrepidi & uerè ingentis animi
 duccem tam necessaria quàm felici audacia representaf-
 se fateretur. Galli consilio depulsi, & tanto in oculis af-
 fekti detrimento, nihilo secius, ut generosos ueteresque
 duces decuit, hisdem in castris constiterunt, ea mente ut
 alterum quoq; pontem subuectis à mari onerariarum
 nauium scaphis instituendum curarent. Scilicet ut uno
 simul tempore impermissi ordinatq; pedites & equites
 separatim suo proprio ac expedito ponte in ulteriorem
 ripam deferrentur, lunatamq; munitionem lato ambitu
 ad pontium caput contra hostes perducerent, in qua ua-
 lidi roboris agmina, expectato subsequendum transitu
 sese tuto colligere confirmareq; ad erumpendum defen-
 dentibus tormentis possent, quorum apud eos tanta e-
 rat copia ut superioris, inferiorisq; ripæ margines, ip-
 saq; ulterior instituta munitio facile munirentur. Dum
 hæc Dijs inuitis pararent, Mantuanus Gallis odio &
 mox contemptui esse cœpit, quòd singula à malis inijs
 cœpta, secus ac putarant, tractatu dura euentuq; aspera
 prouenissent, erratorumq; omnium culpã in Ducis uel
 enixè fortis & strenui cunctationem referrent. Plerun-
 que enim bello accidit, ut cū tentatæ res prospero suc-
 cessu caruerint, uel felicium antea ducum exsstimatio-
 nem facile comminuant, adeo ut Galli natura pugnae a-
 uidi, omnisq; moræ & longi laboris intolerantes, uel i-
 niqua conditione prælium exoptarèt, cuius uel aduer-
 so exitu, bello pariter & tot incōmodis, aliquis omnino
 finis afferretur. Propterea nonnulli sparsis per contu-
 bernia

bernia sermonibus, Tramulium ex graui morbo nondum receptis uiribus, Romæ decumbentem, cogitatione atq; oculis requirebant, cuius felici ductu, si affuisset iam partam uictoriam, & confecto bello receptam Neapolim crederent: illum enim prompto nobiliq; iudicio discussurum fuisse nebulas intempestiue cunctationis, restamq; & expeditam uiam, uti antea insigni cum gloria semper fecisset, uictorijs aperturum. Erat inter duces, qui cum Tramulio è Gallia uenerant, Sandricurius bello quidem egregie fortis, sed quoniam esset spurius, ab insolenti sermone, ingenioq; ualde turbulentus. Is in corona militum immodice loquens: iure optimo (inquit) uiri Galli multamur à Fortuna postquam eò deuentum est, ut bugroni Italo parendum existimemus, quasi non multi sint ex nostra gente, nostroq; ordine potiores, qui bellica uirtute præditi, his difficultatibus nos explerent, & continuo ubicunq; sint hostes, ad certam omnino uictoriam uincendos quærant. Ea uerba utpote quæ plures audissent, extemplo ad Mantuanum delata in eius pectus altissime descenderunt, quâquam obiecti probri contumeliam omnino inanem duceret. Erat enim mos apud milites (quod minime prætermittendum uideatur) ut ioco serioq; sese mutuis contumelijs ex propria uulgariq; gentium nota, prouocarèt & incesserent, cum essent acies in conspectu, & leuib. prælijs certaretur. Nam Gallos Hispani Borracios, id est ebrios, & ex tumultu uinum meientes uocabant: Galli autem Hispanos à furaci manu latrones laqueo suspesos appellabāt: sicuti Heluetios Germani ad exprimendam gētis ignobilitatem Couamelos, hoc est, uaccas in stabulis mulgētes, uocare erāt soliti

Germanos uerò Heluetij Smocharos, quæ uox Germanica spurcos nebulones indicat, Itali uerò ab alijs Burgones, hoc est, puerarij uocarentur. Cæterum Mantuanus qui uim imperij cuius læsa & planè conuulsa erat maiestas in Gallos minimè exercendam rebatur, eò animum iniuriæ indignitate percitum flexit, ut sese imperio protinus abdicaret, uel ob id præcipuè quòd ab initio in Apuliam eundum esse grauißimis rationibus frustra censuisset, quòd pauci eius imperijs obedirent: quòd plerique cohortium præfecti falsum militiæ numerum referre, ipsique demum rei frumentariæ curatores auertere pecuniam crederentur. Itaq; ne imminenti calamitati cum iactura dignitatis interesset, excedere infelicibus castris & domum redire constituit, præscriptis utique tabulis, ac his multorum fideli testimonio confirmatis, quæ consiliorum actionumque omnium rationes continerent, & Ludouico Regi mitterentur, atq; ita imperio ad Salassum ætatis honore usq; militiæ potiorem delato, Mantuam est reuersus.

FINIS SECVNDI LIBRI

DE VITA ET REBUS GE-
STIS CONSALVI FERDI-
NANDI CORDVBÆ
COGNOMENTO
MAGNI

LIBER III.



BEVNTÉ Gonzaga, quum
cæteri Gallorum duces neque
ægrî animis, neque corporibus
fessi de geminâdo ponte & pro
ferenda munitione diligenter
agitarent, eaq; omnia per bru-
males dies omnium breuissimos tardius & difficilîus
molirentur, tota hyems oborto graui Austro in præ-
densas iugēsque pluuias sese exoluit, tanta quidem ini-
quitate infesti cæli, ut quum inter bina castra intume-
scens Lyris ab utraq; ripa campos inundaret, nec uim
decidentis aquæ lintea tentoria sustinerent, uiri iu-
menta q; cœnoso in solo extrema incommoda pateren-
tur. Sed iniquiore in id commune malum Hispanorum
condicione, quòd tota ea planities quæ ad Sinuessana
balnea porrigitur, hyemalibus aquis obsessa foedaque,
in perpetuam paludem abitura crederetur. Quibus re-
bus adductus Consalius suorum omnium hortatu ca-
stra subducere ad montes & Sueffiæ hyemare consti-
tuit: quanquam id agrè esset impetratû, quòd ad Mon-
tis Draconis arcem nauigia ad consficiendum pontem

occultè construi iusserat, ut pari ausu & superiore quidem loco traiceret, aut traiecturi ad terrendos distinendosque hostes speciem præberet. Per eos quoque dies aut perfringere hostium pontem, aut iniecta flamma incedere fuerat conatus, irrito, uti casus tulit, utroque incepto, quum ex superioribus locis deiecta materia, quæ uiolenti fluminis impetu raptata ponti incidere, partim hæssisset ripis, partim ab hoste intercepta longurijs, ad pontem minimè peruenisset. Nauigijs porro onustum arida materia, uarijs sulphurei pulueris, & resinæ picisque fomentis intermixtis, ad corripicendam flammam, quum dimitteretur, ignis aliquanto celerius quàm ex mensura temporis putassent excitatus, ita absumpsit, ut priusquam ad pontem accederet ad carinam usque cremaretur. Eo quoque Consaluuus maiore securitate, & quod plurimum intererat, incolumi dignitate castra mouit, quòd hostes paribus incommodis conflictatos, neque transire animum, neque si transissent humentibus campis progredi aut omnino consistere posse intelligebat. Suberant etiam Natalitiæ feriæ, quæ militem uaria perpessum incommoda, ex tabernaculis ad tecta proxima reuocarent. Volebat enim, uti piuum deceret, nequaquam in campestri tentorio, sed in sacro templo religiosius & apparatus Dei Christi natalem diem celebrare, quod & facturos quoque hostes rebatur, qui solennia sacra facere, & per eos festos hilarius tanquam Saturnales, ideòque geniales dies, ex inducijs quodam sacro iure conceptis, conuiuiscere à bellicis operibus, remittereque animos, & corpora curare consueuissent. Verum Con-

rum Consaluus biduo tantū sacris solēmbus cōcesso, ad
 easdē conficiēdi belli cogitationes redierat: agitabatq;
 interdiu noctuq; in unā intētus curā, quibus modis trās-
 gredi amnē, hostesq; propter cōtinuos imbres ad tecta
 relictis castris cōfugiētes, opprimere posset. Galli enim
 mouente castra Consaluo, illū pluuias fracto animo fer-
 re nequiuisse, relictāq; amnis ripa retro sese ut pugnā
 deuitaret à cōspectu ipsorū imminentiū ponti auertisse
 diſtitabāt, quū ipsi uel iniquo in loco egregiē tuētes pō-
 tē, paratiq; semper ad pugnā perseuerātia militari su-
 periores euasissent. Verū ea uerborū iactantia usque
 adeo ipsa hybernæ tēpestatis asperitate frangebatur,
 ut quū ex conscientia in prædurā coniecti hyemem mi-
 sere algentes cū præsentia, tum ea quæ imminebant in-
 commoda, nequaquā leta cogitatione prospicerēt, tot
 pluuias tāquā exitio futuras, fato dari existimarēt: ple-
 riq; enim ueteres milites & cuncti serē duces memoria
 repetebant, quale cælū summa fideliq; serenitate Caro-
 lum regē paucis ante annis excepisset, florentibus pas-
 sim & uernātibus cāpis per totam Italiæ longitudinem
 eadē Regna repetentē, à quibus demū ipsi rerum om-
 nium cōmutata Fortuna, et Dijs procul dubio iratis ar-
 cerētur. Placuit Salasso et cæteris, ut manētibus castris
 magna pars equitatus, ne equi nobiles iam planē hor-
 rida macie deformes conceptis morbis interirent, im-
 oppida proxima & uicos Minturnensis Fundaniq;
 agri duceretur. Heluetij porrò & reliqui pedites, sub
 traiecto partiti inter se stationes, castra frequētarent.
 Sed iam multi ad producendam uitam pecunia egētes
 et secūdū perpetuos imbres cōsumpta ueste qua frigus

arceretur, confecti tetra illuue, in male fartis tugurijs
 expirabant: quū præfecti annonæ & quæstores, nec cō-
 meatus ea fide & diligentia, nec pecuniā in stipendium
 (cui opus erat) expedirent, uel abundè etiam suppeten-
 te publica pecunia, quæ summa prudentia Ludouici
 Regis curata transmissaque in omnes belli casus in clas-
 se seruabatur. Corcutus enim Quæstor, & Bailiuus Ce-
 domius, quorum erat in eo negotio singularis auctori-
 tas, quòd stipendiorum rationes interuertere, ac anno-
 nam malignè flagellare accusarētur, auaritia infames
 euaserant, nec ferebat miles, ut priuato eorum scelere
 publica salus turpissimè proderetur. Hæc omnia explo-
 rante Liuiano, suadenteq; Consaluis construendi no-
 ui pontis consilium cepit, non dubiam ex disperso tor-
 pentèque hoste uictoriam ominatus, postquam Liuia-
 nus peritus belli, ardentiq; ingenio fortia aggredi soli-
 tus, se ante alios transiturum polliceretur. Itaq; Liuia-
 nus quæ animo agitaret, parare atq; exequi iussus, su-
 pra Gallicum pontem in spatio quinquaginta stadio-
 rum conuectis noctu consertisq; nauiculis, quibus uina
 uasa interposuerat, pontem constituit: traductisq;
 copijs, alam equitum Normanorumq; cohortes ad Su-
 gium oppidū hybernantes improuisus adoritur. Liuia-
 no succedit Nauarrus: hūc Prosper, atq; Mendocius cū
 graui armatura subsequuntur, ipseq; demum Cōsaluis
 reliquum equitatum & Germanorum legionem addu-
 cit, Andrada qui terga tueretur subsequi iusso, equites
 Galli Normaniq; pedites inopinato hostium superuen-
 tu cæsi fugatiq; dispalantur, ad Gallica castra defertur
 clamor, duces arma expediunt, & dispersas undiq; suo
 rum tur

rum turmas accersunt: nulla tamen certa manus cogi-
 tur, quæ aduentantes sustineat. In ea rerum iniquitate
 Salassus, tormenta maiora, quòd his conuehendis iun-
 ta deessent, lintribus imposuit, summū enim admitti sce-
 lus Galli existimant, si tormenta deserantur, & præcipi-
 ti cursu fugientibus omnibus, ad Caietam iter intendit
 Nec multò post leuis armaturæ equites, & secundum
 eos Nauarrinæ cohortes in deserta castra perruperūt.
 Ibi quum nemo ferè armatus occurreret, multi capti, di-
 reptisq; tentorijs, aliqui semianimes & rigentes gelu im-
 mani Cantabrorum sæuitia trucidati sunt. Nulla unquā
 ab hominum memoria fœdior & miserabilior fugæ fa-
 cies fuit, permisti enim pedites & equites, sese cursu, atq;
 impetu proculcates, cū nec signa nec imperia cuiusquā
 agnoscerent, nec in persequentem hostem ora conuer-
 terent, per Appiam uiam ad Scauros atq; inde Formias
 ferebantur. Nec prius sisti fuga potuit, quàm non am-
 plius centum uiri fortes cohortante Bernardo Adurnio
 Liguræ summæ uirtutis equitum præfecto conglobata
 turma in ipso Formianæ aque lapideo ponte constite-
 runt, propulsantes inde hostem acerrimè: & socijs addē-
 tes animos, qui undique in id oppidum ex proximis ui-
 cis confluebant. Itaq; crescentibus utrinq; auxilijs com-
 missa est tumultuaria pugna initio aduersa Hispanis,
 quòd in ea Bernardinus Tortezilla Consalui cubiculo
 præpositus, atq; ideo fide & gratia insignis, cecidisset,
 prostrato uulneratoq; etiam Consaluo Daualo leuis ar-
 maturæ equitum præfecto. Sed quum retro renuntiare-
 tur Gallos duces Mole constitisse, retentataq; suorum
 fuga, sese oppido ponteq; tueri, propugnareque inde

statuisse proclamante Consaluo, ut quisq; eò contra ho-
 stem festinaret, tanta uis peditum & equitum ad pontē
 incubuit, ut Adurnius qui fortissimè aliquandiu pontē
 defenderat, extemplo deiectus sit, & à Germanis inter-
 fectus, quo cadente, nemo fuit qui non terga daret, &
 Caietam uersus cursum intenderet. Hos Petrus Pacæus
 & Nauarrus persecuti per montes Formianos uia bre-
 uioris usi compendio ut iter præciderēt, celerrimè per-
 uenerunt ad biuium eius uia strata, quæ ab Appia Cai-
 ietā ducit, ut sic multi ex Gallis interciperētur, & quæ-
 dam turmæ equitum ab oppido, cui iter in Appia uia
 nomen est, & è Fundanis pagis descendentes tanquam
 urbe exclusæ, hæsitātesq; præ metu sese sponte dederēt.
 Ea nocte Consaluus Formijs castra fecit, deditq; operā
 ut sub lucem & suburbanis tectis Nauarrini & Orla-
 dio item monte potirentur. Is Caietæ imminet, marmo-
 reo Munacij Planci sepulchro insignis. Eū Nauarrus se-
 cus ac putarat incustoditū ab hoste, penitusq; desertum
 facile cepit. In eiusq; cacumine minora aliquot tormen-
 ta militū manib. prouecta constituit. Tum uerò Salassius
 tanta obrutus calamitate conuertens se ad duces, Deus
 inquit maximus, Diuiq; omnes, tū præclare uiros for-
 tes adiuuāt, cū ij uel serò sapiunt. In aduersis siquidē ne-
 que animos despondent neq; suprema seuientis Fortu-
 næ uulnera pertinacius expectāda existimāt. Mihi pro-
 pterea in animo sitū est, nihil ultra audendo sperādōq;
 ultimam belli sortem experiri nolle. Sed ex tanta clade
 seruare quàm plurimos, quod ex maturata pactione
 nobis obuenturum sperauerim. Extremæ nanq; demen-
 tiæ fuerit, toties dānata fatis arma resumpsisse, ut demit-
 te necessitate

necessitate quæ fractis opib. nobis imminet, miserè sub-
 acti, ab irato uictore tanquã hostiæ maectemur, scilicet
 ut iuste inferiæ persoluantur Cardonio & Manrico,
 ceterisq; eorum ducib. qui nuper à nobis tormentis in-
 terfecti, ante hæc mœnia ceciderunt. Nos hercle strenuè
 si nõ feliciter pugnando nostrã operam Regi probare
 sepius conati sumus. Sed sicut in profrendis malis For-
 tuna peruicax, cuncta consilia funditus euertit, ita hoc
 reliquũ quod est in nostra potestate eripere nõ potest,
 quin liberrimè de salute nostra statuamus. Placet itaq;
 si uobis utile uideatur uictoris hostis animũ experiri,
 qui si moderata uictoria contētus esse uelit, ut hinc ter-
 ra mariq; in Galliã profisciscamur, Caieta dedita facile
 cõcedet. Salasso perorãti nemo adeo ferox & pertinax
 fuit, ut tanquã omniũ parenti agendas gratias nõ puta-
 ret, quòd saluberrimo omniũ inducto consilio id unũ
 respiceret, ut salute incolumi finis cladib. imponeretur
 nam eos quoq; noui infortunij nuncius magnoperè ter-
 ruerat, quòd nauigia tormentis onusta, absorbēte pro-
 celloso mari, in ipsis Ostij faucib. cũ tota militũ & nais-
 tarũ multitudine periissent. In his fuit Petrus Medices,
 Magni Laurentij filius, decēnio antea Florentiæ domi-
 natu pulsus, ea quidē ignobili morte indignus, nisi Pe-
 trũ Leonũ sumæ doctrinæ & claritatis Medicũ qui in se-
 lici euentu Laurentiũ patrē fatis se erepturũ pmiserat
 in Caregianæ uillæ puteũ deiecisset. Emissus itaq; est A-
 legrianæ alæ præfectus, cui Sancta Colũba nomē erat.
 Is Consaliũ inter duo tēpla quæ sũt in suburbanis adi-
 ficijs castra habentē adiit, paratosq; esse Gallos duces,
 Caietã tradere professus, facile impetr. auit, ut cũ grauis

simis ducib. de conditione corā ageretur, sequentiq; die
 in castra uenerūt, Alegria pro Gallis, pro Heluetijs An-
 tonius Basseius, & pro Italis Theodorus Triumultius. In
 multis disputationibus re extracta transegerunt, ut Gal-
 li tradita Caieta, quæ publicæ munitiois essent, tormē-
 ta, & cōmeatus in arce relinquerent, ipsi terra mariq;
 uti luberet in Galliā proficiscerentur, ea conditione, ut
 equites suis uecti equis abirent, pedites uerò nihil armo-
 rum præter gladios & exarmatas hastas ferrent, & ca-
 ptiui utrinq; dimitterētur. Sed à Consaluo impetrari nō
 potuit, ut Neapolitani proceres qui bello capti in custo-
 dia erant confectæ pacis beneficiū sentiret. Obegnino
 enim Palicia & Formante Tornonioq; & reliquis bona
 fide liberatis. Andreas Matthæus Aquauina, indignus ea
 calamitate, & Honoratus, ac Alsonsus Sāsuerini teterrī-
 mo in carcere qui appellatur Fossamiliaria ad imā tur-
 rem nouæ arcis seruati sunt. Gallorum autē pars multo
 maxima classē conscendit, reliqui pedib. Romā profecti
 usq; adeo duræ hiemis seuitiā & cunctas Fortune acer-
 bitates senserūt, ut hospitales sacræ domus quæ in urbe
 miseris gentiū omnium patent, egrorū & inopū multi-
 tudine cōplerentur, multiq; ignobiles circa stabula sena-
 torū frigore rigentes interirent: quanquā Iulius Ponti-
 fex insigni cura pietateq; oblatos & cōquisitos, conue-
 stiri aliq; & demum nauigijs imponi iuberet. Duces
 quoq; parē ferē ab insensa Fortuna contumeliā tulerūt.
 Salassus enim inter nauigandū concepta ex dolore rei
 malē gestæ tabifica febre Genuæ decepsit, magnificeq;
 funeratus est. Sandricurtus autē superbi animi pænā ue-
 ritus, adeo uitā contempsit, ut cū circa alpes ex morbo
 decubisset, ultro in fata festinasse diceretur. Corcutus

uerò Bailliuusq; Cadomius maiore inuidia deflagrantes
 ita gradu pulsi ignominiaq; notati sūt, ut à capitali sup-
 plicio non procul absuerint. Basselius autem, quum ei
 ala equitum praefecturam Rex ademisset, quanquam
 ea Gruerio fratri traderetur, adeo grauius id tulit, ut
 exundante atra bile ad insaniam uerteretur: frustra q;
 deposcens ut sibi dicturo causam Regiae aures pateret,
 nec aditum impetrās, inter deliria deficeret. Ceterum
 Consalius & summæ prudentiæ & moderationis exi-
 miæ laudem ex ea pactione consecutus est, utpote qui
 uel in multa spe opulentioris uictoriæ militum suorum
 sanguine abuti noluerit, ratus omnino parcendum es-
 se deditis, qui uirtutis & clementiæ suæ testes Consali
 nomen in Prouincijs celebrarent, tantam uerò, ut in-
 uiolati benigneq; habiti dimitterentur, curam diligen-
 tiamq; adhibuit, ut quum Heluetio prætereunti Hispan-
 nus miles torquem rapaci manu detrahere conaretur,
 re cognita Hispanum uel in mare fugientem persecu-
 tus adacto equo suaq; manu grauissimè uulneraret. Cō-
 salius Caieta potitus Ludouico Errera propinquo
 suo, arcis urbisq; custodiam ita attribuit, ut in eius lo-
 cum Tarenti Petrus Nicossa succederet: Liuium ue-
 rò Petrumq; Pacæum in Apuliā misit, ut Arfio bellum
 inferrent. Is ualido firmatas praesidio Venusiam, Atel-
 lam & Altamuram tuebatur. Didacum Arellianum,
 Melfiæ obsederat, expugnatisq; aliquot oppidis expe-
 ctabat earū rerū euentu, quæ à Mantuano Salassoq; ad
 Casinum & ad Lyrin traducto bello gerebantur: ut
 copijs aduactis, excitisque ad rebellandum Andega-
 uensibus bellum priore grauius in Apulia renouaret.

Sed uirtute Liuiani intra paucos menses Arsius multis affectus detrimentis, quanquam Caietane pactionis conditiones abnueret, eò deductus est, ut desperatis auxilijs urbes tradere, Regnoq; excedere cogeret. Pari quoq; usus diligentia Pacæus, quicquid Gallorum aut Andezauenſium nomini fauentium supererat, ex Salentino agro expulit. Indicus quoq; Daualus, qui cū Constantia sorore (ut diximus) ab Iscla classem Gallorum repulerat, Salernitana arce admotis tormentis est potitus. Sed non diu ea re bene gesta letari potuit, cū intra paucos dies pestilenti correptus febre, in ipso iuuenta flore decesserit, relicto infante filio Alfonso Vastio, quo nemo ducum ætatis suæ, aut formæ dignitate, aut magnitudine liberalis animi, aut deniq; bellica uirtute superior euasit. At Consaluus ubi ex Caieta ad paratum meritumq; triumphum Neapolim est reuersus longo uti credi par est militiæ labore in grauisimum incidit morbum, usq; adeo à uehementi impetu periculosum, ut nisi supplicationes per omnia delubra à Sanctissimis sacerdotibus, sacratisq; uirginibus, ritè susceptis uotis factæ maturam opem attulissent, humanæ facultatis remedia ad salutem omnino sera crederentur. Vbi uerò receptis uiribus incolumis ex Capuana arce ubi decubuerat prodijt, ut in nouam arcem tanquam salubriorem digrederetur, uix salutantium & gratulantium turbæ per septem dies dispensata humanitate satisfecit. Venerabantur enim cum omnis nobilitas & populus uniuersus, quum quisque pro ingenio sicuti studium ferebat, aut excelſæ staturæ & probi oris decus, aut imperatoriam grauitatem urbana conditam comitate lau-

tate laudarent, alij porrò iustitiam admirabili seueritatis & clementiæ temperamento præcellentem suspicerent, omnes uerò liberalitatem non modò potentie sed superbiæ Regiæ æquandam mirarentur. Ducibus enim urbes & oppida dono dederat, equitū uerò præfectis & centurionibus, domos, uillas, fundos, arciumq; præfecturas diuiserat, & quum militi commune donatiuum dedisset, singulos item qui spectata uirtutis nomine insignes euassissent, annuis præmijs fuerat persecutus, tanta quidem in recensendis meritis memoria, tantòque in dispensandis muneribus iudicio ut æstimatione rectissima, neminem uel gregarium militem præteruisse, neminemq; nisi larga manu donasse uel inuidi testarentur. Didaco ante alios Mendocio Miletum, Liuiano Sancti Marci urbem in Brutijs, & Nuarro Oliuetum in Præcutinis, Ioanni Cardonio Vgonis defuncti germano fratri Auellinum in Samnio, præterea Andrade, Caruaiali, Alberado, Emanuelique, ac Antonio Leuæ, & Andrea Capuæ Termulano insignia oppida tribuerat, quum duo Columnij Prosperatq; Fabritius receptis his oppidis, quæ Gallico bello amiserant, amplissima præmia retulissent. In eo enim homine exquisitis uirtutibus exaggerato, ita iudicium ratiòque uigebant, ut mirum esset, quum ei uel mediocres Latine literæ deessent, quòd ea tempestate in Hispania proceribus ad arma natis, damnarentur: earum tamen laude celebres usque adeo admirabatur, ut ab his non ineptè perennem gloriã affectaret prosequereturq; per amplis munerib. poetas, qui ipsius res gestas Heroico carmine celebrandas suscepissent.

In his fuere Cantalitijs & Carmelita Mantuanus sacra-
 crati uiri, qui quum alacri animo, sed subagresti Musa
 aliquot poemata delicatis ingenijs insulsa publicaret,
 Petrum Grauinam Neapoli summæ dignitatis uatens
 perpulerunt, ut nobiliora, ideoq; digno tanto Heroe
 carmina factitaret. Pontanus enim paulò antè, ipso Ca-
 ietam oppugnate, ualde senex è uita decesserat, quum
 Actius Syncerus eiectum Regno Federicum Regem in
 Galliam secutus, ob idque dolore Aragoniæ domus
 funditus euersæ, & odio in externos factus amarior,
 aliquanto condendæ Satyræ quàm pangendis Heroi-
 cis aptior haberetur. Excelso nanq; ingenio quantum
 decoris ad non interituram laudem scriptores benignè
 conciliati afferre possent, facilè intelligebat, Quum
 alioqui ex ipsa liberalitate, qua una uel maxime uitio-
 rum labes obscurantur, gloriam peteret. Eam uerò ob
 id certius atq; liquidius assequeretur, quòd in uita e-
 ius nihil absurdum aut impium, quòd Imperatoricæ uir-
 tutis aciem hebetaret, ab austero uel maligno censore
 notari posset: nullam enim unquam Neapoli matrona-
 rum pudicitia ex uero maculam inspersit, quanquam
 summa comitate apud clarissimas foeminas sepius
 iocaretur. Stultum enim esse dicebat uiro Principi ex
 parua fugaciq; uoluptate sempiternum & pregraue
 odium parare, quum nec planè casto Principatus ipse
 sine iniuria cuiusquam uaria in eam uoluptatè instru-
 menta suppeditaret. Non procul enim ab inmani per-
 fidia scelus esse iudicabat amicorum ut plerunq; fit, u-
 xores atrectare, ne scilicet integris familijs & pro-
 pinquitatibus, nihil reticente fama dedecus afferretur.

Sed

Sed in ipso supra reliquarum uirtutū admirabilem cō-
centum, ueræ pietatis specimen eminebat. Nihil enim
ei erat antiquius, quàm in omni bellica ciuiliq; actione
religionis decus omnibus commodis anteferre, templo-
rum iura tueri, punire impios, & denique enixè dare
operam, ut milites suo exemplo rerum omnium pro-
uentus atq; uictorias ex disciplina Christiana exspectā-
das existimarent. Neque enim dubium uideri debet,
quin cum his moribus arma tractantem Diui Diuæq;
omnes qui cum Deo Max. cœlesti aura perfruuntur
subleuandum, prouehendumq; susceperint. Nullo qui-
dem certiore miraculo, quàm quòd in multis & penè
innumerabilibus prælijs atq; periculis uersatum, nemo
eum unquam ceperit aut uulnerarit. Sed ne integra re-
rum omnium felicitate potiretur, inuitabili malum
urgentis inuidiæ uitare non potuit, quanquam id in-
credibili magnitudine constantiaque animi superaret.
Confecto enim bello partaq; pace hilaritatis ac opulē-
tiæ plena, multi quum in Hispaniam redirent, sanam
eius uarijs calumnijs oneratam apud Regem (ut mox
dicemus) lacerandam susceperunt. quanquam ea om-
nia quæ Consalius militibus dedisset, Rex ipse liberali-
ter approbaret, diplomatibus scilicet ex formula bene-
ficiarij iuris ab Hispania sicuti Consalius præscripse-
rat transmissis, ut benefici gratiq; Regis opinionem at-
testatione celeri tueretur. Sed in arcano aliquid reside-
re credi poterat, quòd animum occultè perstringeret,
ad largitiones extendendas nequaquam procliuem,
postquam totius benignitatis penè integra laus ex a-
lieni iudicij decreto prærepta, aut certè deflorata spe-

ctaretur, ob idq; Regi pudendum uideri posset, ei unī
 ab omnibus haberi gratias, qui cuncta pro libidine
 tanquam ex alieno facile prodigus præoccupato domi
 no uel ignotis donanda censuisset: propterea ferunt Re
 gem aliquando ad quosdam libellos supplices pro adi
 piscendis præmijs porrigentes, respondisse. Cur mihi
 ex tanti Regni accessione magnopere letandum sit,
 non uideo, ut maiores quàm sim solitus sumptus facere
 possim, quando ille qui Regnum nomini meo quasiuis
 se uidetur, nequaquam mihi sed sibi atque alijs id pepe
 rerit, postquam insigni uirtute parta ab inconsulta de
 mum & præcipiti liberalitate dilabuntur. Hisdem fe
 rè diebus quibus Galli bello uicti Neapolitani Regni
 finibus excesserunt, Cæsar Borgia cognomento Valen
 tinus Alexandri Pontificis filius, sub fide Consalui Nea
 polim uenit, pauloque post custodiæ est traditus, ut in
 Hispaniam, sicuti paulò antea Ferdinando Aragonio
 Federici Regis filio ad Tarentum euenerat, triremibus
 adueheretur. Sed quoniam magni Consalui decus quod
 ad fractæ fidei famam aliqua ex parte læsum uideri po
 tuit, quibusdam omnino defendendum uidetur, operæ
 pretium existimaui pauca transcursum de Borgiæ con
 silijs factisq; sicuti ab his qui interfuerunt accepimus,
 enarrare: quanquam ea diffusius in historijs nostris re
 ferantur. Igitur Cæsar ex Vanoëtia Romana alioqui
 proba muliere, quam nouimus, genitus, ubi adoleuit,
 patris amplissimi senatoris diligentia, ad capiendum
 ingenij cultum Pisas se contulit, ubi tum optimarum
 artium Gymnasium florebat. adeoque profecit, ut fla
 granti ingenio, præpositis in utroque iure quæstioni
 bus erua

bus eruditè disputaret. Qua iuuenis indole letatus pater, ubi demum arridente Fortuna Pötificatum est consecutus, Cæsarem legit in senatum, natu enim maiorem Franciscum Candianum Principem propagandæ stirpi & magnis imperijs amplificandisque familiæ opibus destinabat. Verùm Cæsar quòd purpurei galeri honos ingenti animo suo, spèque sua inferior uideretur, Candianum fratrem quo cum hilariter coenarat, noctu iugulari iussit: ita ut ad obeliscum campi Martij in Tiberim deijceretur, eumque biduo quæsitum piscatores extraherent. Nec multo pòst Cæsar abdicata purpura, desumptoque militari sago, Princeps & dux copiarum creatus est: patre quidem ex atrocitate tanti sceleris uehementer attonito, sed postquam Candianus ab inferis excitari non poterat, cuncta indulgentissime concedente. Nec multum inde Cæsar Pontifice cum Ludouico Gallie Rege in exitium totius Italiae conspirante, cum Carlota Alabreta, Ioannis Nauarræ Regis propinqua authore Ludouico Rege sponsalia fecit. Ex eo fœdere Cæsar spes suas enudare, immoderato seuoque animo magnæ partis Italiae dominatum affectare coepit, usque adeo dira cupiditate, ut in uexillis hunc titulum præferret, AVT CAESAR, AVT NIHIL, Quasi nihil animo mediocre, sed immoderata & longemaxima cupere uideri uellet. Ante omnia proceres Romanos Columnios & Ursinos tollere constituit: postquam inter eos bellum aliquandiu frustra aluisset, ut utraque pars mutuo ferro cõcideretur. Nã illi post id ciuile bellũ, Borgiæ artibus intellectis, se pace facta cõciliarãt. Colunij nihil sibi fuga exilioq;

potius rati, paterna oppida Borgiæ reliquerunt, Vrsini stipendijs allecti & in fide Tyranni hæsitantes, ad unum ferè omnes teterrimo supplicio necati sunt, Baptista Cardinali in mole Hadriani, gentiliùm suorum necem præeunte, cum Vitellocius Tiphernas, & Liberothrus Firmanus ad Senogalliam, in agro autem Perusino Paulus Vrsinus Latini Cardinalis filius, & Franciscus Vrsinus Grauinæ princeps eandem necis sortem tulissent. Caietanæ quoq; familie proceres qui Sermo-netam oppidum in Latium iuxta Priuernum obtinebant, Iacobus Nicolaus, & Bernardinus, alio atq; alio modo interfecti, arces & opes Borgiæ concesserunt. Camertes quoq; Reguli antiquæ nobilitatis, Iulius Cæsar Venantius, Annibal & Pyrrhus Principatu exuti strangulatiq; sunt. Astorem Manfredū Fauentia Principem sub fide deditum, necatumq; immaniter Tybris excepit. Catherina Sfortia quæ Foroliuij & Forocornelii urbibus imperabat, expugnata tormentis, captaq; Romam tanquam ad Triumphum perducta est. Pandolphus porro Malatesta, Ioannesq; Sfortia, & Guido Vbaldus Feltrius ipsorum ditionis urbes Ariminum Pisaurum, & Urbinum inuadenti relinquere quàm interfici arrepta fuga maluerunt. Cessit & impotenti Tyranno Iacobus Appianus oppidum Populonium in Etruria. Sed dum hac cruenta uia in alienos principatus grassaretur, etiam Aragonium adolescentem Bisselii principem ac Alfonsi Regis filium, & (quòd referre pudeat) Lucretiæ sororis suæ maritum in atrio Vaticani templi uulneratum, & quoniam spes esset curari posse, in ipso cubiculo, lectoque nuptiali sororis mactari iussit. Borgiam quoq; iuniorem Cardinalē

quòd Candiano faueret, ueneno sustulerat. Ioannem de
 mum Cerbellionem uirum domi militiæq; nobilem,
 quòd pudorem in foemina Borgiae domus seuerius cu-
 stodiret, noctu à cœna redeuntem crudeliter interfecit.
 Ab eo quoq; capitali supplicio affectus est Iacob San-
 ctacrucius præclaræ nobilitatis Romanus ciuis, quo ne-
 mo ipsi Cesari amior & familiarior fuit, nec aliam
 ob causam quàm quòd ualidam promptissimorum ho-
 minum manum ex factione Vrsina subito cogere, &
 ad omne audendum facinus impellere posset. Cæterum
 ex tanta propagandi imperij dira libidine sitiq; quum
 uenenum (ut diximus) cum patre bibisset, eiq; demum ex
 Nepe in urbem reuerso, secus ac ipse crediderat ex co-
 mitijs res euenissent, à Iulio Pontifice custodiae traditus
 est. Is enim ab eo Togatæ Gallie arces repetebat, eoq;
 uehemētius, quòd Veneti Ariminum & Fauentiā tam
 cæca quàm pernitiosa inducti cupiditate, productis à
 Rauenna copijs occupassent. Dabat Pōtificali uerba Cæ-
 sar ac indices deditiōnē extrahere conabatur, quū se in
 Galliam togatam proripere cogitaret. Ibi enim non de
 futura sibi hominum studia existimabat, ea præsertim
 spe, quòd utriusq; factionis Duces Ioannes Saxatellus
 & Guido Vainius liberalibus stipendijs & beneficijs
 præoccupati, apud eum in honore essent: Ideoq; simu-
 latis & inanes ad præfectos literas scriberet. Quan-
 obrem accidit, ut Petrus Ouedius cum his literis à Pon-
 tifice Cesennā missus à Didaco Chignone de muro præ-
 cipitaretur, eoq; atroci factō uehementer commotus
 Pōtifex Cesari acerbiora minaretur, nisi cōtinuo Hispa-
 ni præfecti repetitas arces dedidissent. Ab hac Pōtifis

iracundia terri ti Borgia et Remolinus Cardinales pro
 pinqui Cæsaris, & Borgiæ familiæ inserti, Neapolim
 persugerunt. Verum in id demum utrinq; conuentum
 est, ut Cæsar si dimitteretur, secretiores tesseræ deden-
 dis arcibus ad præfectum missurum promitteret. Eius
 autem rei præstandæ conficiendæq; uas fuit Bernardi-
 nus Caruaial Cardinalis, ea conditione, ut interim Cæ-
 sar in arce Ostiensi sibi custodiendus traderetur, donec
 promissi fidem impleret. Interim duo Cardinales qui
 erant Neapoli, id expetente Cæsare à Cōsaluo impetra-
 runt, ut Cæsari sub fide Neapolim uenire, atq; inde pro-
 ficisci ex arbitrio liceret. Id Cōsaluus summæ dignita-
 tis uiris nequaquã grauatè tribuit, diplomaq; manu sua
 subnotatū, peculiariq; ob signatū gēma, Ostiā transmie-
 tit. Nec diu post quū Didacus Chignones & Cōsaluus
 Mirafontes conspectis tesseris Cesennæ & Foroliuij ar-
 ces Pontificijs Præsidijs dedidissent, Cæsar à Caruaiale
 Cardinale statim dimissus, conducta repente nauicula,
 Neapolim peruenit, letus admodū, quod præter spem
 antiqui hostis manus effugisse uideretur. Tū uerò Nea-
 poli cū Cardinalibus & ueteribus amicis suis Hispanis
 Ducibus nouādarū rerū consilia agitare cœpit, nequa-
 quã enim animo se demiserat, quin antiquæ spei totus
 inniteretur, & cēturiones militesq; sibi notos & igno-
 tos undiq; cōquireret, nauigiaq; pararet quibus Pisas
 aducheretur. Erat enim fama edita in uulgus eum Pisa-
 rentinos iam nonū annū constātissimè defendebant, ue-
 rū in arcano erat à Pisano littore per Lucensiu agrum
 & Calphurnianos saltus trāscēdere Apenninū, & per
 Mutinē

Mutinensium fines recta ad Aemiliae urbes penetrare: auctus scilicet copijs studio Alfonsi Atesini Ferrariae Principis, cui Lucretia soror nupserat: sperabat benivolos suos ueteresq; clientes affuturos sibi, ut passim propensissima omnium uoluntate reciperetur. Hæc ubi eum moliri Iulius didicit, nihil sibi cunctandum ratus, quin ceptis obuiam iret, ad Consaluum perscriberet, seuerè admonens, ne hominè cruentum, audacè, maximoq; Italiae malo natum, & seueram tyrannidem ditionis suae populis importantem, furere & crassari iterum pateretur. Hæc eadem quum per legatos Regios qui Romæ erant, & per suos, qui in Hispania Regem sequebantur, cum Ferdinando grauissimè & uehementissimè sæpius egisset, literæ Regiæ ab Hispania Consaluo allatae sunt, quibus Caesarem comprehendere iubebatur, quod graui Principum omnium incommodo suspitioneq; res nouas moliri, impijq; arma aduersus Põtificem parare diceretur. atq; ita Caesar quum in exornada classe scribendisq; militibus occupatus, uti necesse erat, alloquendi causa sæpe in arcem ad Consaluum iret, à Nonio Cæpeio dum egredi uellet, humaniter retentus, & custodiæ traditus est, nec quisquam suorum, edito ingenti suspirio, fortunam incusanti, frustra q; se sub fide proditum querenti, opem ferre potuit. Nec multo post iubente Rege in Hispaniam à Liscano deuectus est. Sic ut aliquandiu Conciliae, & demum ad Medinam urbem in arce cui Motta nomen est, duos ferè annos custodiretur: ea tamè sorte, ut deceptis custodibus, sine demissus, suppeditante equos Pigmentellio Beneuentano Principe ad Ioannem Nauarrae Regem persisteret. Is tum cum Alarino Regulo qui à fide defecerat,

bellum gerebat. In eo armorum motu quum egregiam operam regi nauaret, conferta ad Mendauiam pugna uictor occubuit, eo euentu ut nequaquam agnitus detractis armis nudus relinqueretur. Sed scutifer eius caudauer equi ceruicibus impositū Pompelonem retulit: haud dubiè rapiente fato ad eam urbem, cuius antistes antea fuerat, neq; enim quisquam ferè repertus est, qui quum sese susceptis semel sacris abdicarit, tranquillum uitæ exitum tulisse censeatur. Sed quis Cōsaluum ut id faceret Regis Imperio coactum non excuset? quum & paruissè iubenti Regi, & æqua postulanti Pontifici necesse fuerit obedisse? ne scilicet graui scelere Regi parum fidelis, & grauiore piaculo erga sacrosanctum Pontificem inimicus & impius euaderet. In ea re præsertim quæ superioris Regij sacramenti fidem respiceret, ac humani demum atq; diuini iuris religionem includere censeretur. Verum ob id quoq; honestiore de causa maioreq; ratione à fide data discessisse uideri potuit, ne Italiani dudum sublatis bellis tranquilla pace fruitura, unius nefarij impotentisq; tyranni immanis audacia perturbaret: proinde etiam gratum facturum Ursinis pariter atque Columnijs de se optimè meritis, qui à pestilentissimo homine summas auaritiæ & crudelitatis iniurias retulissent. Sed id pro tuenda Cōsalui dignitate minimè tacuerim, quod à clarissimis ducibus Didaco Mendocio Antonioq; Leua me accepisse profiteor, quum enim apud eos amanter inuitatus Bononiæ cœnarem, quo tempore Carolus Cæsar à Clemēte Pontifice coronatus est, multosq; sermones sereremus de uirtute Magni Cōsalui, qui amborum Imperator, & milita

militaris disciplinæ magister fuerat, præclare testaban-
 tur, neminem eo uiro pace belloq; meliorem extitisse:
 sed ei maximorum ducum exemplo prorsus euenisse,
 ut in extremo uitæ actu tanquam semiexul non planè
 felix moreretur, quâquam sapiissimè diceret, se nullius
 improbè facti pœnitentia offensum lætissimè ex hac ui-
 ta fuisse migraturum, nisi Ferdinando Federici Regis
 filio & Casari Borgia Valentino fidem suam improvi-
 dè dedisset, ut ea demum à Rege cum sui nominis sugil-
 latione uiolaretur. Subiungebat adhæc duo Consaluu-
 se tertij quoq; grauioris facti maximè pœnitere, quòd
 tamen proderè nollet. Ad autem Leua atq; Mendocius
 non inani fortè coniectura interpretantes esse putabāt
 quòd Regijs pollicitationibus è Neapoli Italiaq; se ab-
 duci in Hispaniã permisisset, in qua multi rerum noua-
 rum cupidi, eum in spè noui principatus, maximaruq;
 rerum bello gerendarũ retinere conarentur. Sub id tẽ-
 pus quo Borgia Casar captiuus in Hispaniam est per-
 ductus, Isabella Regina desperata salute decũbebat: e-
 natũ enim erat in pudendis ulcus sæua serpigine morti-
 ferum, ita ut tantæ uictoriæ gaudio exhilarari nequie-
 rit. Prosperum tamen Columnã uel occupata supremo
 morbo humanissimè suscepit. Is cum aliquot nauigijs mō-
 litariter instructus Liscanianæ classi cohortante Con-
 saluo sese adiũxerat, ut triremib. præsidio foret, ne Bor-
 gia uti in lōga nauigatione accidere posset, à Gallis uel
 à prædonibus eriperetur. Eum tamen Romana graui-
 tate, neque alloqui, neque oculis spectare sustinuit,
 ne scilicet atrocissimi hostis calamitate lætari uideretur.
 Nec multis inde dieb. Regina fato cõcessit, incredibili

cum dolore atq; iactura Consalui: nam ab ea tanquam
 alumnus, ac in eius Regia educatus, cuncta quæ exoptari
 possent uirtutis & dignitatis incrementa adeptum
 fuisse fatebatur, Rege ipso quanquam minus benigno
 parumq; liberali nunquam Regine uoluntati reluctari
 auso. Id uerò præclare tanquam uerissimum apparuit, cū
 Rex elata statim Regina aures minus æquas, & supra
 alieni meriti pondus procliyatas, obrectationib; præ-
 bere cœperit. Non desuere enim qui hominem multo
 gloriæ fulgore inuidorum oculos perstringentē, gra-
 uissimis calumnijs onerarent. Multi enim quanquam re-
 gnum insigni eius uirtute quesitum faterentur, id tamē
 profusa & planè astuta largitione diuisum, atq; distra-
 ctū ab eo fuisse prædicabāt, ut prærepta occasione Re-
 giæ benignitatis nisi præscriptis annuisset, Regi demū
 ingrati illiberalisq; animi contumelia conflaretur. Ipse
 porrò nihilo secius à suis quos mature beneficentiæ de-
 stinasset, tanquam non ab se sed à Rege prætermisissis, bene-
 uolentiam cum Regis inuidia uindicaret. Nec deerant
 qui dicerēt, cum uictoria superbū, magnisq; regni pro-
 uentibus opulentū, delegisse sibi ac amicis atq; beneuo-
 lis clariora ditioraq; oppida, Regi porrò nihil optimū
 & integrū præter gestandæ coronæ decus, & inane no-
 ui tituli nomen reliquisse. Verū alij diuersa incessen-
 runt, ex Hispanis Ioannes Nuccia Siciliæ præfectus, Va-
 lentius Benauidius, Franciscus Sancius, qui erat Regis
 dispēsator: sed multò omnium malignius ac atrocius No-
 tulit. Hunc enim parū nobili loco educatū prætorie co-
 horti

horti præfecerat: ac demū ei magno beneficio honore-
 que nouæ arcis custodiā attribuerat. Ferunt etiā Prospe-
 rū Columnā sciscitāte Rege, cū de Aragoniorū Regū in-
 genio disciplinaq; & publicis ac priuatis institutis disse-
 reret, utpote qui corū omnium auspicijs post Alfonsū pri-
 mū ab adolescētia militasset, de Cōsaluo sermones intu-
 lisse usq; adeo aculeatos & graues, ut Regis animū ne-
 quaquā uanis iniectis suspicionib; perstringerent, Quā-
 doquidē ingenuē nisi malignē ex uerō Consaluū illis o-
 mnib; autoritate prudentiæ, splendore uitæ militū stu-
 dio, & populari gratia præstare fateretur, adeo ut ni-
 hil iam in eo qui cuncta nutu fastuq; Regio iuberet &
 regeret, præter titulum deesse uideri possēt, ad quem si
 aspirare uellet, tot eius beneficiarij, qui diadema capiti
 imponerent minimē defuturi crederentur. Hæc maiesta-
 tē respiciebant, admonebātq; Regē, ut maturē caueret,
 ne omnia indulgendo confirmādoq; ex duce præsideq;
 regni consortem efficeret. Verū Nonius adiuuante
 Ioanne Baptista Spinello Neapolitano, aliquanto crimi-
 nosus in Consaluū inuehebatur, utpote qui sagacissi-
 mē sumptuū & uectigalium omnium rationes excute-
 ret, docuitq; eum nihil ærario, nihil fisco reliqui fecisse
 ut inconditē largiendo, maximē liberalis famam aucu-
 paret. Quæ demum ostentatione priuatiæ opes tegeren-
 tur, illæq; præsertim diuitiæ tot spoliū totq; mune-
 rum, cū signati auri, argentiq; calati, tum nobiliū gēma-
 rū & sericorū auleorum, quæ essent supra Regij census
 æstimationē, sedulo cōgestæ, astuteq; repositæ a nonne
 uiderētur, ne scilicet inuidorū curiosorūq; oculis cōspe-
 ctæ, non ab re iam natā inuidiam concitarēt. Hæc uerō

singulari malignitate delata, tamen si aut falsa magna
 ex parte, aut minora uerò putarentur, eius tamen ani-
 mum moderatione & parsimonia gaudentem magno-
 pere permouebant, eo quidem altius atq; uehementius
 quòd in Rege non multum pecunioso, nec unquam in ap-
 paratu & cōiuctu sumptuoso, tãti auri, & tantarum rerum
 nõ iniqua cupiditas accenderetur, ita tamen, ut eã faci-
 le restingeret summa æquitas, summaq; prudentia, quæ
 in Rege nunquam præcipiti, nec unquam temere ingrato,
 præclare uigebant. Multa enim & perempla uel supra
 modum exæquatæ rationis concedenda iudicabat: cium
 eximia uirtuti, tum naturæ liberali eius uiri, qui tot reb.
 feliciter gestis Regnum cum magna laude cepisset, ma-
 ioreq; defendisset, & tantum deniq; bellici decoris & glo-
 riæ Hispanico nomini peperisse censeretur. Ea tamen
 omnia in profundum demissa pectus, tanta dissimula-
 tione conseruabat, ut Consaluo nullam conceptæ offensio-
 nis speciem præberet, delatoribusq; tantum secreto ageret
 gratias, palam uerò de Consalui actionib. honestissime lo-
 queretur. Ceterum Prosper cum multis nobilibus equis,
 quos Petrus Corduba Plegoi oppidi Marchio suo opte in-
 genio liberalis ipsius Consalui patrum monitu, dono de-
 derat, Neapolim reuersus, nequaquam priorem amicitie
 locum repperit. Nonius uerò Cæpeius, cum ab Hispania re-
 diens in Italiã puenisset, ueneno ut fertur à quodam satelli-
 te, cui grauem antea iniuriam intulerat, sublatus est, meri-
 ta herclè poena si diuini iudicij uim spectemus, postquam
 alio ingrati animi scelere, in optimum uirum, ducemq; suum
 ac authorem omnis eius dignitatis, uenenum effudisset. In-
 terim Consaluo gratia incolumi, existimatione q; ampli-
 ficata,

ficata, Neapoli gubernacula moderante, Rex Ferdinā-
 dus cum Ludouico Gallie Rege pacem fecit, foedusq;
 percussit, multis herclè de causis, quas hoc loco cōme-
 morare non est necesse, cū in Historijs nostris accurā-
 tissimè referantur. Affinitas quoq; superinducta est, ut
 concordia quæ ex tantis odijs egrè sperari potuit, uali-
 diore uinculo firmaretur. Ferdinandus enim quāquam
 esset in flexu ætatis, germanam ex sorore Ludouici Re-
 gis genitam uxorem duxit. Paternum ei genus præcla-
 rum erat in Aquitania ex domo antiquissima Fusiorum
 Comitum, quos Foisseios Galli corrupta uoce appellāt
 Huius Germanæ Reginae frater erat Gasto, qui auuncu-
 li indolem præferens aliquanto post maximis reb. bre-
 ui curriculo gestis, ad Rauennam memorabili acie ui-
 ctor interijt. In ea conficienda pace Ludouicus Regno
 cedens id impetrauit, ut proceribus Gallicum nomen
 secutis, quæ ante bellum possedissent, urbes & oppida
 redderentur. In his erant Besennianus & Salernitanus
 Reguli, Traianusq; Caracciolus, & Honoratus Caie-
 tanus, & ij ante alios, qui carcere educti & libertatem
 & patrimonia, & honores cum cæteris recuperarunt
 Verū post celebratas Regales nuptias nō defuere præ-
 potentes ulterioris Hispanie reguli, qui Philippū Ma-
 ximiliani Cæsaris filium Belgis imperantem ad capes-
 sendū regnum in Hispaniam euocarunt, existimātes sub
 florentissimo iuuenē Rege aliquanto liberius atq; licen-
 tius ipsorum potentia fruituros, quā sub austero & pa-
 rum liberali, ut aiebant, sene Catalano: Citerioris enim
 Hispanie Tarraconenses Reges tanquam opib. tenues
 & præcario serè in liberis ciuitatibus regnantes, ulte-

riores Hispani, quorum erant amplissima regna, aut o-
 derant, aut contemnebant. Nec diu Philippus amicorū
 suorum studia uotaq; frustratus, ut sua regna ex arbi-
 trio administranda susciperet in Cantabriam Oceano
 deuectus, peruenit in portum qui uocatur ad Colūnas,
 fortasse quòd ibi quoq; altera Herculis Columna, sicuti
 Gadibus posita fuerint, quum eo extremo litore terrae
 Hispaniae finis Oceani fluctibus terminetur. Ferdinandus
 ut generum exciperet ad Columnas est profectus:
 quòd serè omnes Reguli conuenerant. Ab his Philippus
 summos honores, suaq; spe augustiores tulit, ita ut inue-
 niendi administrandiq; regni, inusitata cupiditate deflagra-
 ret, nec omnino iniquum aut parum honestū arbitra-
 retur, si excluso socero Rege, ea regna perciperet, quae
 ab omni nobilitate ultro deferrentur, & ad se optimo
 iure maternae hereditatis pertinerent. Itaque uno ante
 alios Ioanne Manuele qui diu in Belgis legationem o-
 biuerat, Philippi ingenium deprauante, res eò deducta
 est, ut gener in conspectum nequaquam familiariter so-
 cero se daret, amboq; ex equis ad paruum spatium pro-
 deuntes hic Gallico, ille Hispanico sermone, & paucis
 admodum uerbis, nec mutuo quidem intellectis, sese sa-
 lutarent, colloquio pro operè ab ipso Manuele dirèpto
 ne Rex iuuenis rerum imperitus callidissimi senis ar-
 tibus caperetur. Nec mora (quòd uix credi par est)
 proceres, Reguliq; serè omnes Ferdinandum nullo pro-
 dore deseruerunt, quisque enim in spes suas pronus &
 expe ditus commodo seruiendum, & orientem Solem
 potius quàm occidentem adorandum esse dictitabat. V-
 nus omnium Federicus Toletanus Albæ Regulus in ue-
 tere suo

tere suo studio constantissimè permāsit, nec ullis omnino pollicitationibus permoueri, adduciq; potuit, quin summa fide præcellentique obsequio excolendum sibi Regem susciperet. At Ferdinandus uti profunda prudentia hominem decuit, eius turbulentæ tempestatis procellam artificio dissimulationis uitandam ratus, graui opportunoque consilio excedere Hispania & Neapolim nauigare constituit: ne scilicet alienati generi dicta factaq; oculis ac auribus exciperet, quæ statim ubi maiestatis nomen offendissent, tanquam demissè tolerata in contumeliam uerterentur, postquam ab ipso tot proceres noui Regis studia secuti aut odio, aut uanitate iudicij defecissent. Igitur Federico Albano uiro summæ gratitatis atque prudentiæ, quod paulò antè integerrimæ fidei præclarum specimen dedisset, in tutela regni constituto, ductaque secum Regina, cum uiginti triremibus è Barchinone soluit. Aderat ei nauigationis comes honoris causa adscitus antiquæ nobilitatis Bernardus Roscius Daniæ Regulus. Sed illustres honestique citerioris Hispaniæ equites regium comitatum exornabant. Paucis autem diebus quum Gallici Ligusticiq; maris litora legendo, Delphini portum tenuisset, certum de Philippi generi morte nuncium accepit. Id quanquam intimos sensus nō obscuro aut leui gaudio perfundere posse uideretur, nihil tamè indignum ea necessitudine quæ filiæ dolorem, totq; nepotū orbitatē respiceret, in grauissimo Rege expressit atq; ita abiectis ornamentis, sed nequaquã pullata prætoria Neapolim initio hiemis est peruētū. Arserat paulò antè circiter idus Septēb. luridus cometes, in ea cali

plaga quæ uertitur ad Corum uentum, ita ut Belgis im-
 minere diceretur. Philippum enim nondum expleto ui-
 gesimo quinto ætatis anno, Belgico more epulantem,
 importunisq; exercitationibus deditum, diuerso sub
 cælo atrox inuasit morbus, & eripuit, cum præter re-
 liquam sobolem septennem ferè filium reliquisset nomi-
 ne Carolum, quem hodie imperatorem uirtute animi
 & felicitate rerum gestarum Augusti cognomine dignis-
 simum ueneramus, At Consalius ubi Regem Miseni
 promontorium superasse, aduentareq; nunciatum est,
 obuiam bireme profectus, in Regiam triremem prore-
 psit, tanta quidem ex animi conscientia frontis hilarita-
 te, ut eum nihil unquam de optima Regis erga se uolun-
 tate dubitasse appareret: nonnulli enim ex inuidorum
 numero paulò antè dixerant, eum nequaquam esse cõ-
 missurum, ut conscensa Regia trireme incertæ Regis fi-
 dei se crederet, quum ille simulator & dissimulatores exi-
 mius decreta animi ad occasionem depromenda egre-
 giè tegere didicisset. Nec ullum ei maius omnino peri-
 culum quàm in trireme imminere dicerent, quum terra
 tantis stipato satellitibus nihil omnino quod uim affer-
 re posset, foret timendum. Rex itaque ligneo ponte ad
 molem constructo exornatoq; solèni cæremonia à Nea-
 politanis susceptus, multa in adulationem parata, uti
 noui Regis aduentus appetebat, singulari modestia re-
 nuit: celebravitq; Generi exequias atratus, ut mox ad
 legatos Principum Regniq; proceres Regio cultu pro-
 dired, & iuxta eum Consalius in honore semper & cõ-
 spicuo quidem loco spectaretur. Eo enim præcipuo re-
 ste monstratoreq; uirtutis & fidei, quisque uel infimi
 ordinis

ordinis miles & ciuis produci ad Regem agnosciq; magnopere cupiebat, quando ipse nemini deesset: nihil enim ei erat iocundius quam officio benignè prestito quamplurimorum uoluntates promereri, idq; eo splendidius & ad gratiam parandā cumulatius fiebat, quod sepius non rogatus, quos conspexisset pudore cunctabundos, uel agrè quicquam sperantes, ultro nominatim appellaret, commendatosq; mirificè ad osculandam Regis dextram producere consuesset, usque adeo ut accepti demum beneficij gratia, unum Consaluum respiceret, quo auspice mora omnis in Rege nequam expedite munifico citissimè tolleretur. Rex enim ab æquitate atq; iusticia famam querebat, ille uerò anhelabat ad gloriam ingenti uirtute partam, quæ diu stare, manareq; ad posteros non facile posset, nisi præ altis grati & liberalis animi radicibus niteretur. Quamobrem Rex æquo animo secum reputans, quale quantumq; Regnū Consalui uirtute captum atq; defensum sibi obuennisset, facile tolerabat, ut nō frustra quicquam Consaluus peteret: quāquam Regni recenti bello attriti facultates, tot concessis immunitatibus & præmijs eneruari & penè conuelli prouideret. Nolebat enim existimari omnium ingratisimus, nam ea quæ admisset Consaluus, aut de affectatione Regni cogitasset, in arcano erant: quum eius merita ex tot uictorijs toto orbi notissima, in ipsa hominū fama spectarentur. Eluserat & per eos dies Quæstorū & inuidorum diligentiam, sibi admodum grauem, & Regio nomini parum decoram: nam quum ad Quæstorum mensam tanquam ad tribunal uocaretur, ut sumptuum bellicorum & ue

*Etigalium rationes in aduersarijs codicibus ærarij & si
 sci annotatas agnosceret, quoniam expensi acceptique
 summæ inter se comparatæ, magno excessu diffares,
 supputationi minimè congruissent: tam seuerè quàm le
 pidè responderat, se priuatas tabulas publicis fidelio
 res continuo prolaturum: quibus multo plus impendisset,
 se, quàm accepisse præclare ostenderet, testareturq; se
 id totum quod ex iusta ratione superesset, tanquam iu
 re debitum ab ærario Regio, uel si pertinaci lite opus
 foret omnino repetiturum. Protulit autem sequenti die
 libellum grauissimo titulo, ita ut Quæstoribus silētium
 pudorem Regi, cunctis uerò qui non essent impudētes
 multum risum exprimeret. Ante omnia Deo maximo,
 Diuis Deabusq; omnibus ad parandam uictoriam pro
 pituandis, erogata scilicet in egentes, cucullatos, piosq;
 sacerdotes, & sacratas uirgines, qui perpetuis suppli
 cationibus uacarent, aurcorum nummum ducenta mi
 lia supra septingentos & triginta sex, & Regales ar
 genteos nouem, expensa ad Indicis caput apposuit. Se
 cundo autem loco subiecit, sexcenta milia, supra qua
 dringentos & nonaginta quatuor secreta manu specti
 latoribus data, quorum beneficio exploratis hostium
 consilijs, multas uictorias, & deniq; liberam tanti Re
 gni possessionem esset consecutus. Intellexit argutiam
 Ferdinandus, infamique negotio silentium imposuit.
 Quis enim occulta manu expensæ pecuniæ numerum,
 requisitis nominibus, nisi maximè ingratus, & planè
 sordidus à tanto imperatore postulasset? Præterita si
 quidem omnia Consaluo condonare, & quæ ille dedisset
 tanquam optimo collata iudicio, rata habere statue
 rat, atq;*

rat, atq; item obliuisci totius suspicionis de affectato Regno, quæ à delatoribus iniecta uideretur, ut cum benignè admodum, sed callidè magnis inuitatum pollicitationibus secum in Hispaniam abduceret: constitutoq; nouo Præside, toto noui Regni fructu atque integra Possessione potiretur, postquam Philippi generi dissentientis emulatione liberatus, ad eadem totius Hispaniæ Regna maturè sibi redeundum esse iudicaret. Itaq; constitutis rebus, & Andegauensium partium regulis, qui confectæ pacis beneficio carcere educi fuerant, restitutis oppidis quæ bello amisisset, ac his omnibus in gratiam receptis, Ribacursioq; præside constituto, quintum post mensem ex quo Neapolim uenerat cum Regina classem conscendit, Consaluum ea spe inductum secum aduehens, ut quum in Hispaniam peruenissent, Compostellani ordinis equitum Magister crearetur. Is est honos primus à Rege cum summa potentia coniunctus, utriusque enim Hispaniæ nobilitas ferè omnis, honestata equestri dignitate, ditatâque per amplis perpetuisq; redditibus, uni Magistro paret. Signantur autè equites bello paceq; purpurea cruce, quæ ante pectus militaris spathæ capulum exprimit. Id insigne religioso ritu suspicitur, in honoreq; est: nec nisi præclaro merito à Magistro aut Rege impetratur, scilicet ut militibus pro Christi nomine aduersus Mauros operâ nauatibus sacrati redditus præmia persoluât. Ceterum Magistri nomē autoritatēq; ab aliquot annis Ferdinandus & Isabella Hispaniæ Reges, indulgente Romano Pontifice sustulerunt: quòd tanti ordinis Magistri, Regio nomini potentia atq; opibus æquarentur:

ob idq; formidabiles euasissent, uti superioribus annis Aluaro Luna accidisset, qui immodicæ potentie suæ superbieq; reus Maiestatis factus, capite pœnas dederat. atque ita euenit, ut quum tantus honos nemine suscepto penitus uacaret, summæ dignitatis prouentus omnis, & libera creandorum equitum facultas Regis arbitrio seruaretur: sicuti & reliqua duo eiusdè opulentie magistreria: Colatranæ scilicet, & Alchantaræ ordinum, usurpatione persimili paulò antè concesserant. Erat igitur is honos spõte præsertim oblatus omnium qui concedi possent amplissimus: sic ut eum facillè Consaluuus anteferret tot urbibus atq; oppidis quibus Neapoli potiretur. Fuerat enim donatus à Ferdinando iuniorè Aragonio Terra noua in Brutijs: à Federico autem Rege ad Garganum môtè Vestinorum urbe, quæ à Sancto Angelo nomen ducit. Postremò ab ipso Hispaniæ Rege Ferdinando Sueffa Arunca pernobili Campaniæ urbe, quibus opulētiora quoq; oppida quatuordecim præter minora castella & uicos accessissent. Sed uir peracutus & grauis, uix adduci poterat, ut planè crederet tenacissimum Regè quicquam secum de ea re liberaliter esse concessurum: quanquam prolixè pollicitationi etiã Regia manu syngrapham adiecisset: Scilicet ut honestius atque ualidius nequaquam ex animo Neapoli decedentem ad nauigandum pelliceret. Verùm Consaluuus non statim discedentem Regem est consecutus: uolebat enim humaniore officio amicos ciuesq; omnes, illustresq; præcipuè foeminas familiarissimè complecti, satisfacereq; item dignitati suæ, creditoribus omnibus per præconem ad quæstoris mensam citatis, ut ne

mo uel

mo uel ex opificum, cupedinariorumq; infimo ordine relinqueretur, qui se uel obolo fraudatum queri posset: eandem quoq; ut fidem mercatoribus præstarent, milites ducesq; suos fuerat obtestatus, multis benignè pecuniam præbens dissoluendo debito, coemendisq; rerum omnium ornamentis, ut instructissimi cultissimiq; in patriam rediret. Delegerat enim sibi comitatum ex uario genere insignium uirorum, si numerum eorum cultumq; respiceres, Regio superiorem. nam dum Neapoli Rex fuit, perpetuis conuiujs atque largitionibus tantos sumptus fecerat, ut astrictæ frugi Regis disciplinæ sanã obrueret, quum numeroso famulatu, cultuq; domus & splendore lauiticiæ, Magni cognomen præcellenti uirtute partum, omnino tuendum arbitraretur. Tantum porrò sui desiderium cunctis ordinibus relinquebat, ut conscensuro innumerabiles matronæ ad portum sese effunderent, nec sine lachrymis soluenti demum coram, felicem nauigationem, maturumq; reditum precarentur. Nec multò post Ferdinandus consequente Consaluo, Genuam peruenit: donatusq; est duabus aquarijs peluibus aureis, & copioso recentiq; nautico comœatu. Et quanquam Sauonam ire properaret, prius tamen Sanctum Cratera spectare tractareq; uoluit. Id uas in sacrario templi maximi religiosissime custoditur. refertq; immensi pretij Smaragdum hexagonam escariæ patinæ modo cauatam, partum id fuit antiquitus ex Syriaca uictoria: & ad publicum ciuitatis decus Diuo Laurentio consecratũ. Venerat Ludouicus Gallie Rex Sauonam, ut Ferdinandam, Reginamque sororis suæ filiam inuiseret, paulo enim antè

Genuenses pulsa nobilitate rebellantes, armis subege-
 rat, ut erepta libertate ualidam arcem ad Pharum cer-
 uicibus eorum imponeret. In eo congressu nihil Con-
 saluo clarius atque spectatius fuit: quum coenantes Re-
 ges eum præcellenti eximie uirtutis merito tertium cõiuuã
 adhibuissent: usque adeo laudate admiratẽq; Ludouico
 uirum graui proceri corporis gestu, excelsoque ore,
 antiqui Herois decus præferentem, ut iure optimo post
 quam tanta staturæ atque animi dignitate præstaret,
 Magni cognomento, quod ex rebus gestis retulisset, ue-
 re dignum esse fateretur. Caterum eo colloquio con-
 stat, ambos Reges multum de Venetorum cupiditate in-
 ter se conquestos, statuisset ea armis repetere, quæ sibi
 adempta, aut nequaquam sponte concessa uiderentur:
 nec deerat Iulij Pontificis Legatus Antonius Pallauici-
 nus Ligur, qui in id consilium per se inflammatis Regi-
 bus opportunas faces admoueret. Iulius enim æquo ani-
 mo ferre non poterat Ariminum Fauentiãque urbes
 Pontificiæ ditionis per interregnum à Venetis occupa-
 tas, quum Gallus Cremonam, Bergomum, & Creman-
 Brixiãque Mediolanensi imperio detractas, Hispani-
 nus porro Apulorum & Salentinorum urbes, Veneto
 parere uehementer indignaretur. Diremptum autem
 est colloquium circiter Calendas Iulias. abeunteque ad
 Alpes Ludouico, ut in Galliam rediret, Ferdinandus se-
 cundissima nauigatione Barchinonem peruenit. Tum
 uerò utriusq; Hispaniæ Reguli certatim ad mare descẽ-
 dere, Regem modicis itinerebus progredientem excipe-
 re, ei maturum & felicem reditum gratulari, notareq;
 eius oculos irati aut pacati animi indices. At ille præal-
 ta disti-

ta dissimulatione offensionum omnium se penitus obli-
 tum ostendere, singulos hilariter complecti, certissi-
 mamq; apud omnes clemētis animi speciem præferre:
 idque tanta arte, ut multos se ad poenam reseruari ar-
 bitrantes, suspicione & metu liberaret, eoque certius
 atque sincerius, quòd occurrenti Antonio Cueva illu-
 stri genere orto, & si aulæ mores respiceres, uiro pror-
 sus eleganti, faceret in eum iocatus dixerat, Et tu quoq;
 Antoni ad Columnas me dereliquisti: Is enim ante alios
 ad Philippū adulatione præpropèra se contulerat. ad
 quod ille ad promerendā ueniam repente disertus, Ita
 est inquit, Rex domine, nec inficior. Quis enim iuue-
 nem xxiii. natum annos firmissima membrorum com-
 page & roseo uiuidi oris colore florentem, triduo mo-
 riturum credidisset? Tum uerò iocunde arridens tan-
 quam responso libero delectatus Rex subdidit, non te
 falsum utique, si non æquo leuiorem ciuem intempesti-
 ui consilij euentus fefellisset, si clementem legitimūq;
 Regem diu uiuere, & feliciter regnare posse putauis-
 ses. Ea uerba perurbanè prolata exceptaq; à circūfusi-
 cum uoluptate, & mox recitata alijs, apud omnes pu-
 dorem & metū facile dissoluerunt. Rex enim in utraq;
 Fortuna semper grauis, tēperatoq; ingenio flectere &
 moderari suorū animos assuetus, lenissimè cūctis peper-
 cit: Sic ut Ioannem Manuelem quem maximè atrocem
 inimicum fuerat expertus, Manrico Hagereo Regulo
 condonaret. Ceterum fermè omnes à Rege statim ad
 Consaluum salutandum ferebantur. Is aliquanto post
 Regem molesta febricula retardante Valentiam appu-
 lerat, exceptusq; fuerat ab uniuersa ciuitate singulari.

cum plausu: quū omnis ætatis sexusq; ordines spectan-
 ti studio ad mare sese effudissent: Seraphinus autem
 Centellia Oliuæ Comes, Valentinorum equitum Prin-
 ceptus, eius hospes, tanto ornatu, tantaq; omnis lauticiæ
 magnificentia suscepisset, ut Rex ipse neq; apparatus
 neq; luculentius excipi potuerit: mitterenturq; ad clas-
 sem tot insignes equi, mulaq; phaleratæ, ut nemo ferè
 ex tanta militum turba, pedibus urbem intraret. Pau-
 cis diebus ad quietem datis, quibus se ex nausea, totoq;
 nauigationis incommodo comitatus omnis sese refice-
 re atque exornare posset, ad urbem Burgos quo Rex
 peruenerat contendit: tanta quidem frequentia, ut ne-
 quaquam unum iter omnibus pateret. innumerabilis
 enim multitudo exercitui penè parem spectatibus spe-
 ciem præbebat: tot scilicet ueteranis ab Italia deporta-
 tis, totq; clientibus ac amicis qui officij causa undiq; ad
 contingendam uicttricem dextram confluebant, ita ut
 neque hospitia tectæue, neque comæatus uel ante pro-
 uisus, tot agminibus sufficerent. Mirabantur autem in-
 cõle noui splendidiq; cultus, coccinea saga, sericas inte-
 riores uestes, capitum porro integumc̃ta aureo emble-
 mate & uarijs cristis exornata, fortiumq; Centurio-
 num ceruices aureis torquibus honestatas. Præterea mi-
 rè proceros & acres equos grauibus frenis & prote-
 ctis ferro ephippijs Italarum & Gallorum more in-
 structos. Quibus de rebus fiebat, ut quorundam oculos
 liuore occupatos offenderet, mereretur autem multum
 plausum & ueram laudè à popularibus, qui cum non
 Magni modò, sed Maximi cognomento dignum car-
 mine edito decantabant. Propterea Gironè Oronium
 Regulum

Regulum ad ea omnia stupentem uti erat uir acuto, & hac in re diuino iudicio præditus, dixisse ferunt sibi Consaluum ingenti onerariæ nauis persimilem uideri, quæ præalto mari indigeat, ut æquora sulcet, ac liter necesse sit ut humilibus in uadis hæreat. quasi digneretur tantæ moli ferendæ Hispaniam Ferdinando regnante minimè suffecturam. Nec multò post usu euenit, ut Consaluus non modò hæreret in cursu, sed fœuissimis inuidiæ fluctibus allisus scopulis penè mergeretur. Aduentanti Bugos Rex ipse honoris causa obuiam egressus, quum antecedentes milites uario luculentoque habitu exculto miraretur, ipsèque Consaluus omnium postremus, ad appetendam Regis dextram ex modico interuallo sequens accederet, his Rex inquit (longam militum seriem digito ostendens) ut uideo Consalue, quod debebas optima fide persoluisti, quum toties bello te præeuntem secuti sint, nunc demum parta pace commutato utique ordine, ut te antecedant equissimo iure concedis. Perurbanè quidem nec obscure eum laudans, quòd ante suorum aciem Dux intrepidus prima pugnae pericula sæpissimè subiisset. At Consaluus aliquot dies frequentandæ aulae & priuatis officijs impartitus, quum à Rege, ut Compostellanus equitum magister crearetur, frustra per multos dies expectasset, idque tanquam ex fide & syngrapha promissum instantius flagitaret, senescente sensim gratia à Rege pro amplissimo munere grauissimum odium retulit. Is enim uerba dare, & inanes moræ causas necere solitus, ita se ab ea liberalitate auersum o-

stendebat, ut Consalvus apud amicorum præcipuos, contumeliæ dolorem ægritudinemq; animi generosè detegeret, & se deceptum traductumque uehementissimè quereretur, apud unum præcipuè Bernardinum Velasum (is erat totius Hispaniæ equitum magister) qui eo quòd Regi asideat, Comestabilis hodie uocatur, in urbèque Burgos authoritate atque opibus potens, & Consaluo ex hisdem factionis studijs iurèque hospitij amicissimus, tanta ob id libertate inter se consilia communicabant, & mutua fide intimisque sensibus iungebantur, usque adeo ut Consalvus fide accepta datæque Heluiram filiam Velasæ desponderet. Is enim uxorem paulò antè amiserat quæ erat filia Regis ex damnato coitu suscepta, reixeratque obiter generi amor erga socerum, quòd Velasæus clientis & familiaris sui capitali supplicio damnati uitam à Rege socero impetrare nequiuisset. Eam autem connubij sponsionem ægerrimè Rex tulit: Heluiram enim nepoti suo qui erat Cesareæ Augustæ Antistitis filius uxorem destinabat, ut Consalui opes substantiæque omnis hereditate certissima in Regiam domum conferrentur. Ob id quoque Regina Germana subaustero oculo Velasum compellans, dixerat, an tu qui non es insulsus & degener non dedecori fore existimas, si tibi cum filia Consalui nuptias omnino faciendas putes, quum Regis filiam in matrimonio dudum habueris? Ad id uerò Velasæus quum se præclarum in ea re exemplum quod sequeretur habere respondiisset, ut eius suscepti consilij minimè disfunderet, non obscure Regiæ animum pupugit, quæ

nequaquam

nequaquam Regis filia, magni tamen Regis coniu-
 gium meruisse uideretur. Ex eo mordaci sermone Re-
 gem cum Regina usque adeo offensum ferunt, ut Con-
 saluus qui dignitatis & præcellentie causa, prodeuntē
 in publicū Reginā subiecta ad lacertū dextra subleua-
 re, equitantēq; lateri adhærēs cōphrensus mulæ habe-
 nis, deducere erat solitus, præoccupante Federico Toie-
 tano Albano Regulo ab eo officio & munere penitus
 arceretur: & Velascus Regiæ affinitatis gratiā prægra-
 uante odio proculdubio totā amitteret: nec multo post
 uti erat turbido liberioreq; ingenio, à nimisq; opibus
 suspectus & inuisus, properate fato moreretur. Pauld-
 etiam antè secus ac uolebat Ferdinandus Francisci Xy-
 menis Archiepiscopi Toletani patrocinium suscepe-
 rant. Is opinione religionis ex humili cucullato pan-
 nosoque, ut pote qui ligneis focculis calciatus nodo-
 so fune cingeretur, ad opulentissimum totius Hispa-
 niæ sacerdotium Isabellæ Reginæ studio peruenerat:
 Ita ut tantas opes ex arbitrio ad Christianæ pietatis
 disciplinam dispensaret, inuidente quidem Rege, de-
 poscenteq; , ut id sacerdotium cum eius filio Cesareæ
 Augustæ antisite permutaret. Quam rem tanquam in-
 potenter à Rege tentatam ac infamem, Velascus & Cō-
 saluus deprecante iniuriam Xymene, uehementer im-
 probarant, quòd ea permutatio summæ iniquitatis Isa-
 bellæ Reginæ iudicium synceræ innixum pietati offen-
 sura uideretur. Ipsēq; Xymenes robusto constanti-
 que ingenio diceret, si paululum urgeretur, sese sta-
 tim abdicata mitra cum lituo pastorali ad ueterem cu-
 cullam esse rediturum. Eo enim Regis consilia tende-

bant, ut filio summe diuitie pararentur: ipseque ubi ne-
 cesse foret in bollicos sumptus sacris prouentibus ute-
 retur, sicuti de tribus sacrati ordinis Calatranæ, Alcan-
 taræque & Compostellæ equitum Magisterijs Regiæ per-
 sone contributis effecisset. Itaque Rex negocium cum ma-
 gna inuidia inchoatam statim omisit, aliquanto iratior
 factus Velasco & Consaluo, qui rem impedissent, quam
 Xymeni, qui pro sua dignitate ac amplitudine conten-
 disse. Sub id quoque tempus Fortuna, quæ ubi obortæ in-
 uidie ianuam pandit, impendentis mali causas accun-
 lat, grauiore offensione Consaluum perculit. Petrus
 enim Alfonsi fratris filius è Corduba Burgos uenerat,
 ut tum primum ab Italia redeunte patrum inuiseret.
 Hic cum cum animo egro reperisset, quoniã ab Rege
 promissi honoris fides minimè præstaretur, uti erat in-
 genio libero & ad perferendam contumeliam insolenti,
 indignatus ingratum Regem Cordubam se recepit,
 ubi perpetua quadam authoritate ab auo patreque tradi-
 ta Princeps ciuitatis uel inuito Rege colebatur. Erat
 Petrus ab eo insigni Cordubensium studio, ab eaque illustri
 potentia Regi grauis & inuisus, usque adeo, ut eum Cor-
 dubæ regnare nollet, mitteretque ad senatum Corduben-
 sem, Lucerum inquisitorem, id est officialis nomen, qui
 prælata uirga, licitoris Regij & fascium supremæ po-
 testatis ac imperij nomen refert. Hunc qui uioleti, Maie-
 statis reus efficitur. Hic senatui denunciabat non place-
 re Regi, ut Petrus in urbe Corduba diutius esset. Sed
 iret ad paterna oppida, sicuti reliqui Cordubæ gentis
 Reguli, & multo quidem ipsorum commodo facere
 consueuissent. Ea res ab amicis senatoribus ad Petrum
 deferretur:

defertur, continuóque superbum eius ingenium uehe-
 menter exagitat. nec mora, præcipiti ira concitus Lu-
 cerum à satellitibus suis comprehendi iubet: imposi-
 tumque equo, & uinctum Mondelliam ducendum e-
 quitibus suis tradit. Id erat oppidum ab auo Petro uali-
 dis mœnibus cinctum, auctumque arce munitissima,
 quæ marmoreis ornamentis erat insignis, ac omnium
 inter Bæthicas longepulcherrima. Tantum uerò admis-
 sum facinus Ferdinandus grauissimè ferens, quòd suæ
 dignitatis intererat, armis uindicandum statuit, post-
 quam Petrus non obscuræ rebellionis nomine damna-
 tus, lege publica censeretur. Sed parantem arma Re-
 gem Consaluis & Velascus deprecando, ea conditio-
 ne exorarunt, ut iuuenem feruidiore ingenio in id sce-
 lus prolapsum supplicem se ad pedes perducturos pol-
 licerentur. Nec multò post Petrus patrum atque Vela-
 sci auctoritate perductus ad Regiam uenit. Sed eum
 Rex ueniam petentem non admisit, ita ut eum relega-
 ret extra aulam ad decem miliaria, neque ei fas esset
 longius abesse, quàm ut itinere unius diei, acciri reuer-
 tique posset. Addidit quoque grauiore decreto, ut
 Mondellia funditus euerteretur, ut æquata solo, apud
 turbulentos proceres Regiæ seueritatis testis foret. Nec
 Consaluis uel maximis precibus impetrare potuit,
 quin paternæ uirtutis monumentum tantis sumptibus
 edificatum, quòd esset ipsius natale solum, & totius
 Bæthicæ maximè decorum & celebre, deleretur. Quan-
 quam Galliæ Regis legatos molliendo Regi deprecato-
 res adhibuisset, qui æquum esse censebant, ut qui cen-
 tum urbes infinitaque oppida pro Rege cepisset, is mi-

tuo munere paternum oppidum impetraret. Sed Rex obstinatè mansit in decreto, ea tamen moderatione ut pro Mondellia totius Bæthicæ concursu intra paucos dies funditus euersa, Loxam urbem Consaluo possidendam dono daret, scilicet ut iniuriæ atrocitas eo munere leniretur. Ea urbs à Granata decem millibus passuum distat, peramœna in ualle posita, quæ præaltis montibus includitur. Addidit quoque Rex tanto muneri benignioris animi spem, quòd Loxa ad hæredes esset peruentura, si Consaluuus Compostellanæ synographæ renunciaret. Verum ad id generoso dictorio respondit, se adeo insulsum uideri nolle, ut de iure Regiæ promissionis temerè decederet, quum iustissimæ querelæ titulum præferre, quàm iniqua compensatione accepta creditum diffiteri mallet, eminebat si quidem in sermone eius responsisque præsertim grauitas excellens, urbana iocunditate condita, quum improuisus & peracutus lepor in eludendo perstringendoque eruditi salis acrimoniam referret. Sed Hispanicæ elocutionis argutias ex amphibologia faciliè nascentes, Latinæ linguæ simplicitas non assequitur. Quo fit ut multa maxime festiua scommata omittere cogamur, quæ quum inexperrectis falsissimæ gentis ingenij risum ac admiratiorem excitare possint, translata demum tanquam exuta dignitate, uti languida uel obtusa Latinis auribus non arrident. Hæc tamen minime prætermittenda uidentur, ut illud Garcia Paredio fortissimo equiti, quum ad Lyrin Gallis per pontem transire conantibus pile undique hostilium tormentorum cum strage equorum & hominum peruo-
larent, &

larent, & Consilius imperterrito animo hortabundus
 in discrimine uersaretur, accurrenti sollicitèq; monen-
 ti, ut è periculoso loco se subduceret. Nō ne tu (inquit)
 uir improbus & ineptus hodie mecum es Paredi? cūm
 in omni uitæ discrimine nullus unquam te metus occu-
 per, ut ego pauorem admittam importunè suadere con-
 tendis? Quum oppidum Montilia (ut diximus) iussu
 Regis dirueretur, frustra deprecantibus Gallorum le-
 gatis, ut ei oppido parceret, quòd esset Magni Con-
 salui natale solum, qui ad ducentas urbes, & septingen-
 ta oppida Hispaniæ Regnis adiecisset, nunciareturque
 homines ad opus coactos ex agrestibus incolis supra
 centum in subruti & repente procidentis muri ruina
 oppressos, miserabiliter interiisse, Hinc præclare li-
 quet Consalius inquit, quàm fortiter uiua & incolu-
 mis Montilia sese defensura fuerit, quando damnata
 planèque mortua, tot editis contra se molientium su-
 neribus suum decus pertinacissimè tuetur. Eo die
 quo Galli in Formiano littore longa uariàque pugna
 uicti intra portam Caietæ compulsi sunt, quum Cerbel-
 lio è citeriore Hispania nobilis eques ad nauandam o-
 peram serius quàm oporteret se expedisset, confectò-
 que iam prælio, partaque uictoria armatus in nauicu-
 la concitatis remis ad uictores socios appropinquaret
 & multis è littore spectantibus quisnam esset qui tho-
 racatus aduentaret Didacus Mendocius sciscitaretur,
 repètè ad eum Consalius, respondens inquit: An adeo
 tibi hebes est oculus ut Sanctum Hermum non agno-
 scas? Sancti enim Hermi sydus Christiani nautæ uocant,
 quòd ex turbulenta tempestate tranquillitatè pronun-

ciat, quum in antennis apparet, non secus ac antiqui de
 Castoris & Pollucis ignibus crediderunt. Agnouere
 astantes lepidissimè dictum, quum tarditatem Cerbel-
 lionis falsus imperator exprobraret, qui confecto præ-
 lio & pacatis rebus armatus aduentasset, tanto omni-
 bus exorto risu, ut Cerbellionem è nauicula descenden-
 tem sancti Hermi nomine salutarent. Idque ei postea
 cognomentum inter milites æternum fuit. Quum Gal-
 li Caieta dedita Regno excederent, & à Consaluo mul-
 tis terrestri itinere abeuntibus equi darentur, Obegni-
 nus eorum imperator alacri ore renidens, Consaluo
 (inquit) te obsecro ut ualidos nobis & robustos e-
 quos dari cures, ut abeuntibus & cito redituris nobis
 sufficiant, quasi se renouaturum bellum non obscure
 promitteret. Agnouit Consaluus uasfrè dictum: sta-
 timque respondit, reditote ut lubet, nam hæc eadem
 quæ uobis lubens præsto uestes, equos, diplomata,
 quum reuertemini ex clementia liberalitateque mea fa-
 cile impetrabitis: apertè denunciens eos si redirent
 eandem omnino belli Fortunam subituros. Bernardi-
 nus Velascus qui fuit equitum Magister, uir apprimè
 nobilis & elegans, puellam ex Reginae aula uehemen-
 ter adamabat, & more Hispanico studiosissimè perco-
 lebat. In ea Velascus quum uenustatem impensè lau-
 daret, nihil ad absolute formæ dignitatem deesse præ-
 dicabat, præter plenioris succi habitum: erat enim
 gracilitate uirginali. Hæc uti fit in aula amanter ad
 bonæ spei significationem uiridi colore argumen-
 tum amatori Velasco dederat, quo is in cultu fami-
 liæ utere

lie uteretur. Prodeūti itaq; Velasco, & pueros seruosq;
 à pedibus uiridi colore indutos ostentanti, Cōsaluus oc-
 currit; laudatq; eius cultus nouitate, Rectissimè sapi-
 (inquit) Velasce, cum hoc enim uiridi proculdubio pin-
 guescet. Iocatus scilicet in strigosam eius amicā, trās-
 to disterij sale à passione mularū: nam Hispani recētis
 graminis & herbæ medicæ farraginem uiridis nomine
 appellant, qua adulto uerè mulas enutriunt, ut uberri-
 mē pinguescant. Quo scommate nihil lepidius uiri e-
 ius aula elegantes existimarunt. Quum ad Tarentum è
 castris maleficum seditiosumq; militem ad supplicium
 duci iussisset, illeq; multum reluctatus se iniquissimè dā-
 nari uociferaretur, & proinde Consaluuum ad dicendā
 causam ad Dei Max. tribunal magna uoce citaret, ua-
 de, inquit Consaluus, festinaq; confisus optimo iudici,
 & causam instrue, nam tibi pro me aderit qui oppor-
 tunè respondeat. Alfonsus frater, qui nuper è Serra uer-
 megia in cælum contendit. Tum enim Consaluo nuncia-
 tum fuerat fratrem à Mauris circumuentum dignam
 forti pioq; duce mortem oppetisse. Caterum Consaluus
 (ut unde disceimus reuertamur) in urbem Loxam in-
 dignabundus se recepit, ex tot repulsis ac offensionib.
 tranquillum ocium quærens, donec inuidia decederet,
 & Ferdinandi animus iam planè auersus, dum ipse a-
 besset ueterum beneficiorum recordatione ad æquio-
 ra consilia uerteretur. Itaq; Consaluus ueluti iustam ua-
 cationem nactus, biennium Loxæ Granatæq; transe-
 git, suis hercle opibus, quæ erant multò maxime, &
 sua denique gloria contentus, nisi ea ut plerunque ac-

cidit emulorum immodico liuore premeretur. In ea uita tranquillitate modicè corpus exercebat, aiebat autè animum susceptis multorum patrocinijs, collatisq; officijs, sic ut omnes qui egestate oppressi, aut impliciti litibus, aut aliquo periculo circumuenti essent, openiq; implorarent, enixissimè subleuaret. His actionibus existimationem tuebatur, & singularem tota prouincia gratiam ab omni genere hominum comparabat: à Maranis præsertim & à Mauris. Maranos Hispani eos uocant, qui Iudaica stirpe nati, quum semel ad Christiana sacra transierint, rursus ad antiquæ legis ritus relabuntur. Id autem quum capitale sit, speculatores eis submittere solent, qui dicta factaq; eorum, & arcana religionis diligenter explorent, suspectosq; præsidibus accusent, expoliandos quidem primò opibus, ac igne demum concremandos. In id genus hominum quanquam ij extrema supplicia mereantur, secretis & sæpe malignis indicijs delatum sacrati iudices, ut præclarior pietatis studium ostendant, per acerba questione defæuiunt. Id uerò Consaluuus quantum incolumi religionis iure poterat pro æquitate humanæ lenitatis defendebat, ne miserè circumuenti, præ metu solū uertere cogerentur, desertaq; Hispania ad Turcas confugerēt, apud quos transfugietium Iudeorum tutissimus erat receptus, quòd homines ingeniosi mireq; industrij fabricum operum & lanificij præsertim artifices, & quòd mirum in modum Reipublicæ Christianæ nocuit, eorum tormentorum magistros attulissent. eadē, sed alia uia, Mauri qui in Bæthica remanserant, tanquā opportuni iniuriæ patiebantur: quib. cum clamentissimè agendum esse

dum esse multis de causis existimabat, ne gens repenti-
 na, seu quæ imperij insolens ac animis ad resumenda ar-
 ma paratissimis, erecta, ubi reliquum concessæ liberta-
 tis eriperetur, demigraret in Africam, aut inde auxilia
 aduersus nostros tanquam acerbè dominantes accerse-
 ret. Non multis enim ante annis, uno Ferdinandi Regis
 edicto tam pio quàm postea multo importuno Iudæo-
 rum infinita propè multitudo, quæ antiquitus in Hispa-
 nia cõsedisset, quod Christianas leges abdicatis Mosaicis
 recipere nollet, exuta bonis ac Hispania pulsa per totũ
 terrarũ orbem profugerat: sic ut eorum pars Thessalo-
 nicam nobilem Græciæ urbem, quã Amurates ui captã
 deformarat, coloniam cõderet, magno Turcis emolumẽ
 to futuram: ita ut Baiazetes sicuti à Gritto Venetorum
 Principe audiuius, diceret Ferdinandum Hispaniæ
 Regem, qui Christianorum prudentissimus haberetur,
 minimè sibi sapientẽ posse existimari, quod Iudæos suis
 regnis expulisset, quos ipse in Grecia cupidissimè reci-
 peret, quando una hominum frequentia ditescere am-
 plificariq; regna uiderentur. Nec multum ad Rempub.
 referret, si coloni inter se religionibus dissentirent, mo-
 dò quisq; ad cõmune æquissimi iuris honestiq; moris of-
 ficiũ tuendum, colendamque iustitiam summi Dei
 rerum omnium opificis numen adoraret: qua una
 in re ipsi Mahomethani cum Iudæis & Christianis
 præclare consentire crederentur. Erat enim Baiaze-
 tes tantæ doctrinæ philosophus, ut Auerrois placita
 secutus, nequaquam totas Mahometis Prophetæ fabu-
 las admitteret, in hac persuasione Mahometi patri dis-
 similis, qui cũ duo tantũ numina Virtutem & Fortu-

nam uiris colenda predicaret, religiones omnes explorasset. Ceterum sub id ocij tempus Consalvus Xymeni Toletano antistiti in Mauritaniam traiecturo non defuit, quin uno maximo consilio milite ducibusq; iuuaret. Is enim pio nobiliq; prestantis animi decreto, ut inuidia ex multis amplissimi Sacerdotij opibus enata deleteretur, parata ducentorum nauium classe in proximam Mauritaniam transfretabat, conductis suo aere peditum & equitum quatuordecim milibus, quibus preerat Nauarrus a Consaluo tanquam bello optimus Xymeni traditus. Is ea felicitate est usus, ut magno portu qui appellatur Mazanchibir in potestatem redacto, Oranum nobile emporium, quod olim Vasbaria fuit, exploraret, & eodem cursu Rex Tremiseniorum acie uictus regno pelleretur. Nauarrus porro Xymene cum uictoria laurea in Hispaniam reuerso, Buzeam antiquitus Vzicatam in Holcachite sinu opibus & Gymnasio liberalium disciplinarum celeberrimam Numidie urbem manu caperet, duobusq; secundis prelijs Numidas profligaret, & demum Magna Lepti, que hodie dicta est Tripolis, terra mariq; fortiter expugnata potiretur. Quae res a duce militibusq; Consalui disciplinae assuetis egregie atq; celeriter gesta non dubiam laudem ad ipsum felicitatis militie magistrum referebant. Per hunc modum Loxano in secessu, quanquam non procul ab honesto exilio uideretur, nihil unquam de magnitudine consilij remittentem illa excellens uirtus qua tantum gloriae sibi pepererat nusquam deserebat. Erat enim ingentis animi robore aduersus omnem inuidie contumeliam adeo permunitus, ut secunda pariter ac

riter ac aduersa uno indomitæ mentis tenore metire-
 tur. Percunctanti enim Gironè Oronio à quodam qui
 à Consaluo ad Regiam uenisset, quàm altè oneraria il-
 la ingens nauis Cōsalui magnitudini ut supra diximus,
 comparata, in Loxæ uadis subsideret, idq; Consaluo re-
 ferretur: Oronio dic, inquit, nauem firmis lateribus æ-
 stum maris expectare ut attollatur, & uela det uentis,
 qui non semper aduersissimi perflare consueuerūt. Nec
 perurbano responso euentus defuit, non toto enim uer-
 tente anno, quum Rauennatis cladis nuncius Regem
 magnoperè perculisset, unus ante alios omnes Consal-
 uus qui res perditas restitueret, non secus ac alter dicta-
 tor Furius Camillus à Romanis contra uictores Gallos
 ab exilio reuocatus est. Ea siquidem funesta acie ma-
 gna pars ueteranarum legionum quas ab Africa Na-
 uarrus antea transuexisset, interierat, supraq; triginta
 sex aut illustres aut noti duces ceciderant, Raimundó-
 que Cardonio Imperatore fuga elapso, captoq; Ioanne
 Medice legato Cardinale, Fabritius Columna ipseq; Na-
 uarrus in potestatem hostium deuenerant. Qua calami-
 tate obrutus Iulius Pontifex multorum perfidia in Vr-
 be circumuentus de fuga cogitabat. Fœderatiq; omnes
 Principes unum maximè Consaluum quem superandis
 Gallis fatalem Ducem crederent, postulabant. Itaque
 Rex ingenti cura anxius missò in Cantabriam Federi-
 co Albano qui pulsum Regno Nauarræ Regem repri-
 meret, Consaluum Imperatorè delegit, qui primo quo-
 que tempore in Italiam proficisceretur. Pontifici opem
 ferret, daretq; operã ne quid detrimenti res Neapolita-
 na pateretur. Parabatur classis ad Malacã, eò innume-

ri equites & pedites confluebant, tantusq; erat equorum
 & armorum apparatus, ut homines minimè dubitaret
 quin Consaluis Gallos ab eo uinci solitos Italia depul-
 surus esset, & nouum de ea gente triūphum in Hispani-
 am relaturus. Iam multæ omnis generis naues undiq;
 ab Oceano Gadibusq; præsertim Malacæ conuenerat
 paratusq; erat comitatus, delectiq; milites & equites
 nominatim in maiora nauigia distributi, ut conscende-
 rent, idoneam tempestatem expectabant, quum ad re-
 pentinum inexpectatæ uictoriæ nuncium ex Regijs li-
 teris cuncta refrixerunt, sic ut consternati dolore mili-
 tes, qui præmia & decus ex ea profectioe concepif-
 sent, de Fortuna magnoperè quereretur: & Consaluis
 ipse tanquam inauspicato creatus Imperator, quòd do-
 nando profundendoq; priuatas opes exhausisset, ad tā-
 tæ illuse spei incommodum plurimum angeretur. Sed
 quomodo eam laudis atq; uictoriæ spem Italici belli e-
 uentus interpellarit, operæpretium est paucis enarra-
 re, ut quæ fortuita uideri possunt ad diuinæ mentis iu-
 diciū referantur. Non toto uertente biennio ex quo
 Reges ad Saoniam colloquutos inter se memorauimus
 funesto Italiæ ictu foedere in Venetos conspirarunt, ut
 conuulso eorum dominatu quæ sibi erepta putabant,
 ueteribus ipsorum imperijs redderentur: atq; ita factū
 est, ut quum à Gallis ad Abduam duce Rege ipso una
 uicti acie, profligatiq; cunctas urbes amisissent, intra
 Paludes Urbemq; Venetias compulsi à Iulio Pontifice ue-
 niam supplices impetrarent. His enim Heluetio milite
 non modò Fauentiam Arminūq; sed Rauennā & Cer-
 uiam multis antè annis à Venetis occupatis receperat.

Ex Abduana porrò uictoria Ludouicus Cremona, Cre-
 ma, Bergamo, Brixiaq; fuerat potitus, quum eodem
 cursu Veronenses, Vicentini, Patauini, Feltrenses, & quæ
 ad Carnicas alpes uergunt populi, Maximiliano Cæsa-
 ri deditioem fecissent. Apuliæ autem urbes sine uulne-
 re Ferdinandus receperat, Ateſtinusq; Alfonso in Ro-
 digina peninsula fuerat receptus. Cæterum ab Alfonso
 Iulius tanquam à beneficiario Pontifici Imperij salina-
 rum iura quæ sunt in Padusis ad Comaclum repetebat
 Eius salis uectigal Alfonso, quòd sibi magno esset emo-
 lumento, armis defendendum existimauit, fretusq; Gal-
 lorum auxilijs non uno in loco Põtificis copias cæcidit
 Qua iniuria permotus Pontifex Alfonso diris inter-
 dictoq; persequitur: Ludouico Regi denunciat, nisi au-
 xilia reuocet, eum pro hoste habiturum, additq; ne-
 quaquam sibi desuturos Reges qui Pontificiæ dignita-
 tis iniurias defendant. Illudens Ludouicus contempſit
 anathematis diras tanquam inanes metus: promotisq;
 copijs Pontificem Bononia expulit, Conciliumq; Pisis
 indixit, ex cuius censura excusis Iulij moribus Ponti-
 ficatu pelleretur. Ea res acerbius ac arrogantius quam
 deceret è Ludouico suscepta reliquos Reges permouit
 Henricumq; ante alios Britannicæ Regem tuendæ reli-
 gionis maximè studiosum, ita ut magnis classibus Ar-
 moricas urbes inuaderet. Nec Henrico genero religio-
 nis causa, iusta Gallis arma inferenti Ferdinandus de-
 fuit, postulante præsertim opẽ Pontifice, cui deesse nõ
 poterat, eoq; libentius, quòd accita in Cantabriam Bri-
 tannica classe, Ioannem Nauarræ Regem Gallorum so-
 cium, ideoq; hisdem Pontificis diris execratum Regno

depellebat. Iulius quoque adiunctis iam sibi Venetis Ferdinandoque in societatem facile ascito (quod huic ex iure Pontificio Neapolitanum Regnum adiudicasset) conductisque Heluetijs, graue bellum Gallis undique concitauit. Cuius belli is demum exitus fuit, ut commisso ad Baunnam cruentissimo praelio, Galli quidem uictores euaderent, sed tanto accepto detrimento, ut incumbentibus Heluetiorum Venetorumque copijs intra septuagesimum diem Italia pellerentur. Quod dux ipse Gaston Foisseius cum Alegria uetere nobilique duce, praefectisque alarum et cohortium fere omnibus interfectis, in ipsa uictoriae limine cecidisset. Neque enim Palicia Gastoni suffectus, quanquam id nouorum hostium aduentus flagitaret, reparare copias potuit, pernegante Questore Normandio, se in ipsa uictoria Regijs pecunijs abusurum. Itaque desperata pecunia, secundi consilij rationem secutus, equitatum incolumem in Galliam perduxerat ut terrae patriae opem ferret, quae maritimo bello à Britannis, terra uero ab Heluetijs, qui in Heduos penetrassent grauissimè premeretur. His rebus in Hispania nunciatis, quum per omnia templa supplicationes agentibus gratijs haberentur, belloque finem impositum ex ea celeri uictoria Ferdinandus existimaret, ad Consaluum continuò perscripsit, ut institutum cohortium turmarumque delectum intermitteret: classemque dimissa nobiles equites, quos euocasset, aut qui sponte nomina dedissent, domum remitteret, gratiasque publice Deo Maximo et Diuis omnibus tota Baethica agendas arbitraretur, qui Italia metu liberata, maturiorum opinione hominum admirabilemque uictoriam sacrosancto

crosancto Pontifici aduersus execrabiles dirisq; im-
 plicitos hostes tribuissent. Nullo unquã acerbiorẽ nu-
 cio Consaluum mente percussum ferunt, nulloq; mili-
 tes, uel aduersi casus uel acceptæ cladis perturbatio-
 ne magis consternatos dux quisquam uidit, ut profe-
 ctò mirum uideri posset, cum uirum quem nulla un-
 quam pericula, nulliq; aduersæ Fortu-
 næ impetus ex
 arce consilij deiecissent, priuatum animi dolorem pu-
 blica lætitia lenire nequiuisset. Id enim expectabat ut
 occasione tanti belli quo haud dubiè supremo uirtu-
 tis conatu edito, præstantissimam operam esset naua-
 turus, æmulatorum animi subacta inuidia frangerentur.
 Constat enim inter primos sermones suspensio ore di-
 xisse ad astantes, Ergo secus ac ipse putaram Giro-
 nius Oronius præclarus uates euadet? Quãdo uti per
 urbanè figurabat meam nauem secundo æstu mirifi-
 cè subleuatam, obortus opportunè uentus, qui iam ue-
 la instabat repenti concidens, sulcantem mare desti-
 tuat. Nec multo post ad Anticheram, quod est oppi-
 dum medio ferè itinere inter Granatam & Malacã,
 ad milites euocatosq; omnes cõcionem habuit summæ
 grauitatis, eos magnificè consolatus, ut æquo animo
 perferrent, si elusi à Fortuna, ostendendæ uirtutis &
 parandæ gloriæ concepta spe decidissent: æquum e-
 nim esse ut publica uota priuatis anteponeret, & uti-
 fas esset communi uictoria lætarentur, se uerò datum u-
 operam, ut ipsos neq; studij sui erga regem quod præ-
 clarissimum exitisset, neque damnorum & itinerum
 quæ amore sui nominis & spe laudis suscepissent, om-
 nino pœniteret. Reliqua autem sperarent ex regia

liberalitate, unum enim queng; se per literas mirifice commendaturum apud regem, nec dubitare quod esset exquisitissimus, quin munera uirum daret, quibus suscepti emensiq; itineris & rerum omnium sumptus benigna manu sarcirentur. Dimissa autem concione, ubi ex foro domum est reuersus, pronunciauit se cunctis donatiuum triduo daturum. Id constabat partim signata pecunia, quæ gregario præsertim militi præberetur: tum uerò argento elaborato, auro textili purpuraq; & sericæ telæ omnis generis colorisq; inuestes copia ingenti, equis item nobilibus, pictisq; tentorijs, inauratis armis, & castrensibus lectis, quæ tot tantaq; fuerant, quod ea omnia mercatores lucri causa tanquam ad nundinas Corduba, Hispali, Medina, Valentia, Granataq; attulissent, ut centum milium aureorum nummum summam superasse credantur. Ea uerò tanta liberalitate diuisit, ut nec domesticæ suppellectili parceret, ipseq; iam multorum sceneratorum malum nomen fore putaretur, quum oppignoratis aliquot oppidorum redditibus ex graui usura planè degregeret, ridetibus æmulis quod inani sumptu, ut regie opulentie odiosum specimen præberetur, domum suam rebus omnibus exhauriendam superbe temereq; suscepisset. Ferunt regem ab occulta malignitate Consuluum eneruatis opibus, existimatione spoliare cupisse, propterea iniecisse spem, ut primo uere insequentiis anni, eodem apparatu in Italiam enauigandum foret: scilicet ut discedentium militum uoluntas munere ingenti redimere cogereetur. Sed quamquam id à clarissimis Hispaniæ regulis acceperim, ne

quiquam

quaquam tamen adduci possum, ut id ex omni parte
 uerum putem, ne prudentis & maximè compositi re-
 gis fama, temerè sugilletur. Quid enim nisi temerè de
 Consalvi animo atq; opibus ei timendum fuit, qui paca-
 tissimis Hispaniæ imperijs nouum Nauarræ regnū ad-
 iecisset, uictorq; in Italia pacis & belli arbiter crede-
 retur? Verum non multo post Consalius ex supremæ
 liberalitate incomparabilem gratiam meritus, in Lo-
 xan se condidit, ex eo hercle seipso beator, quòd ne-
 mini suo nomini fidem se sellisset, recteq; & fortiter fa-
 ctorum conscientia lætus obuenientem ultrò gloriam
 adsequeretur. In eo itaq; ocio quod ad biennij spatium
 sese extendit, tanquam occupatus in præcellenti cre-
 stæ mentis negotio uersabatur: animum enim magna
 semper & excelsa petentem, maximarum rerum co-
 gitatione recreabat. Insigni nempe cura sumptuq; in-
 stitutum habebat in omnibus urbibus quæ principa-
 tus nomen præferrent, non in Europa modò, sed in A-
 sia atq; Africa, ut per certos idoneosq; homines, quæ
 bello paceq; gesta essent, ad se accurata fide perscri-
 beretur, sic ut facile singulis prope diebus accideret,
 ut de grauißimis admirandisq; rebus certior factus,
 cuncta uti accidissent, presentibus amicis recenseret,
 & his qui longè aberant, officiosè communicaret. In
 eo duorum annorū curriculo quo eius uita finita est,
 stupendæ rerum omnium commutationes inciderant,
 cum secus ac multis antea seculis accidisset, totus pla-
 nè terrarum orbis ingenti armorū motu quateretur.
 Audierat Iulio pontifici uita functo, quo nemo in tuen-
 da augèdaq; pōtificij imperij dignitate, uel maior uel

constantior fuit, Leonem X. qui ingenijs faueret, aureaq; pacis mores inueheret, successisse: desumptaq; triplici corona, eodem die redeuntis anni, eodemq; in equo quo ad Rauennā in acie captus fuerat, sub umbella triumphasse. Paucos quoque post diēs didicerat Tramulium atq; Triuultium summos Gallorum duces ad Nouariam à paucis Heluetijs eruptione profugatos: Transisse autem in Morinos cum ingentibus copijs, Henricum Britanniae regem, qui cum Maximiliano Cesare coniunctus, intra paucos dies fuso sugatoq; totius Galliae equitatu, Terouanam Morinorum & Tornacum in Neruijs insignes urbes in potestatem redegisset: ijsdemq; diebus Iacobum quartum Scotorum regem, ab Hauardo Surreio ad Tuedum delecto Scotorum exercitu acie uictum ac interfectum: indeq; nec transacto quidem mense, Venetos ad Vincentiam à Cardonio Prosperoq; Columna luctuoso praelio superatos. Sed his quae partiū studijs Ferdinandi regis uoto secundissima euenerant, externa quoq; nostrorum & Barbarorum regum praelia ampliore cum uoluptate miscebantur: nam confecta pace inter Gallos atque Britannos, Ludouicus rex ducta in matrimonium Henrici sorore, imbecillus senex, in ipsis nuptijs fato concesserat, Franciscusq; gener rex fuerat declaratus. Vladislaus porro Panoniae rex consternatis ad arma uiris agrestibus, periculoso circumuentus bello, Bor-namissa duce, rebelles acie uictos meritis supplicij affecerat. Constantinus item Ruthenus Sigismundi Sarmatiae regis auspicijs, innumerabiles Mosouitarum copias ad Smolenchum supra Borysthenem memorabili acie

bili acie supererat. Ipsi uerò ad orientem Selymus Tur-
 carum, & Sophus Hismael Persarum, maximi reges,
 inter se armis contendebant: eoque deducta res fuit, ut
 ad Artaxata Armeniæ urbem Calderanis in campis
 cruentissimo prælio certaretur, uictore quidem Sely-
 mo, quum uulneratus Hismael, ex prima acie ad inte-
 riora Mediæ se recepisset: sed honestiora iocundio-
 raq; uideri poterant quæ interim de Lusitanorū ui-
 ctorijs scribebantur: eos enim extremum Aethiopiæ
 promontoriū ad Antarcticum magnis classibus tran-
 sendisse, subactisq; totius ferè Indiæ regibus, præter
 Arabicum & Persicum ingentes sinus ad Melaceam
 aureæ Chersonesi, ipsamq; demum insulam Taproba-
 nam peruenisse, aromatunq; omnis generis natale so-
 lum reperisse constabat, cõterritis passim earum gen-
 tium innumerabilibus copijs & classibus, cum tormen-
 ta aenea displosissent. Pari quoq; cum uoluptate, &
 maiore quoq; Castellanos gloria incogniti orbis esse
 re gentes, & Anthropophagi dirū genus narrabant,
 cum Ferdinandi regis classes alterum & prope im-
 mensum terrarum orbem per nauigatio ad occidentem
 Oceano reperissent, unde tantum fossitij auri & mar-
 garitarum gemarumq; in Hispaniam augendis publi-
 cis priuatisq; opibus referretur. Dum in istis oblecta-
 tionibus nequaquam ingenua, sed accersita iocundi-
 tate uitam traduceret, in duplicis quartanæ morbum,
 non quidem natura difficilem, sed seni præcipueq; ex-
 euenturæ minimè læto planè mortiferum incidit,
 traductusq; à Loxa Granatam climacterico ætatis an-
 no, in cõplexu uxoris, Heluiræq; filię susceptis Chri-

stiane disciplina sacramentis expirauit, postidie ca-
 lend. Decemb. anno à partu uirginis supra millesimū
 & quingentesimum decimoquinto, cum uixisset an-
 nos lxx. menses iij. & dies xi. Tumultus est cir-
 cumpositis ad sepulchrum supra centum uexillis in
 eade diui Francisci, parentarumq; ei iustis exequia-
 rum honoribus adhibitis, Indicus ipse Mendocius, Tus-
 dillus Granate praefectus, & reliqui Corduba gen-
 tis proceres. Marricam porrò uxorem quae ex testa-
 mento in tutela rerum omnium remanserat, rex Fer-
 dinandus humaniore epistola congestis in defunctum
 innumeris laudibus est consolatus, ita quidem ut ipse
 paucos post dies Magnum caelestis itineris ducē conse-
 queretur. Intra enim quadragesimū diē rex ipse apud
 Madrigaletium uicum excessit è uita. Interijt autem
 Consalus iisdē diebus quibus Franciscus rex Gallia
 Heluetijs ad Mediolanū ingenti praelio superatis, ut
 cum Leone pontifice de Repub. consultaret, Bono-
 niam peruenit. Ferunt nonnulli quibus integrā fidem
 minimè tribuerim, Consalū paulo antè q̄ moreretur,
 cum praepotentib. suae factionis Regulis cōspirasse, eo
 auctorū decreto, ut Ferdinandus ultterioris Hispaniae
 regno repentina ipsorū manu extrusus, ad Tarraco-
 nenses suos redire cogeret, restituta quidem eius fi-
 lia, quam pater astuto consilio uti mente cōmotam in
 ignobile oppidū curandae ualitudini cōieciisset, Caro-
 lumq; subinde eius ex Philippo rege filium è Belgis
 euocarēt, qui iam quindecim annorū adolescens, prae-
 clarā administrandi imperij indolē praeferreret, cuius
 auspicijs, quòd paternos amicos de nomine iam pridē
 agno-

agnouisset, uindicare iniurias, & aduersæ factionis
 opes deprimere cogitarent. Supra uerò id cōceptum
 facinus Consaluus multo matora moliretur, Ferdinan-
 do scilicet Aragonio, Federici regis filio, ex Seta-
 bæ arcis custodia crepto, ut præstita fide quam ado-
 lescenti temerè dederat, animum iusurandi religione
 exolueret, ac ei paternū regnum redderetur, ea con-
 ditione, ut penso annuo tributo Hispaniæ regum be-
 neficiarius esset, Heluiramq; ipsius filiam uxorē du-
 ceret, dotisq; nomine ea oppida atq; urbes, quas ipse
 possideret, ad antiqua regni iura reuenterentur. Tan-
 tum enim poterat odium ex repulsa Compostellana
 dignitatis cōceptum, ut hæc quanquam supra æquum
 peracerba alienaq; ab eius ingenio uideantur, non o-
 mnino temerè credi possint. Fit enim plerunque apud
 summos principes, ut ingentis beneficij merita, ubi mo-
 dum exceßerint, quòd iustis præmijs exæquari ne-
 queant, insigni demum iniuria persoluantur. Tum her-
 cle liuor & odium pro gratia maximè uigent, quum
 non planè generosi principes alieni meriti magnitu-
 dine obruuntur, isq; falsæ rationis uiam inuenit, ut
 turpissimo nomine ingratus euadat. Sed hoc clarissi-
 mis ducibus fatale uidetur, ut in ultimo uitæ actu cir-
 cumuenti inuidia, imminutaq; dignitate in ipso con-
 tumeliæ dolore moriantur. Quid enim aliud (ut anti-
 qua exempla Coriolani, Alcibiadis, et Narsētis omitta-
 mus) quàm hic dolor Borboniū atq; Nauarrum præci-
 tes egit: ut hic cōtra gentis suæ nomen damnata arma
 ferens in carcere eius arcis, quam manu ceperat, mi-
 ser interiret: ille uerò & suæ patriæ proditor scelestus

& communis impius euersor in limine diri facinoris
 poenas daret? Sic ut Consaluum quanquam præaltè à
 rege alienatum nequaquam crediderim, eò progredi
 ausurum fuisse, unde nullus sine inexpiabili dedecore
 receptus foret. Quòd si animo ex quartanæ febris a-
 tra bile commoto id omnino scelus patrare concupi-
 uit, hoc uno, quòd nihil extra cogitationè uetere sua
 fide atq; prudentia indignum admisserit seipso beatio-
 rem excessisse uita fatendum est. Quid enim ueræ glo-
 riæ trophæis onusto optatius atq; feliciter accidere po-
 tuit, quàm ut integra nominis fama sublimis ille ani-
 mus in coelum, unde uenerat, euolaret?

EPITAPHIUM CONSALVI FERDI-
 dinandi Magni Ducis per Phaernum
 Cremonensem.

Parta ducum tumulis aliorum ex hoste trophæa
 Quæsitq; inscribantur uirtute triumphi.
 Nos Consalue tuo nec fortia facta sepulchro
 Nec magna imperia, aut actos scalpemus honores,
 Non Gaditana exactos trans æquora Mauros
 Atq; asserta tuo regna olim Bæthica regi,
 Nec duce te adiutos ab eo felicibus armis
 In Turcam Venetos, Cephalenum gente recepta,
 Nec Calabros motus, aut Parthenopeia bella,
 Atq; redūdantè Gallorū sanguine Lyrin. (bi olim
 Quippe etenim hos titulos, atq; hæc monumēta, tu
 Virtutes

Virtutes posuere tuæ, quæ sparsa per orbem,
 Perq; aures, perq; ora virum mentesq; reposta
 Nomine cuncta tuo, utq; æterna laude replerunt.
 Quare hæc sufficiat memorando inscribere busto.
 Consalui, Magniq; ducis, qui nomina gessit
 Hic iacet, illud ei pater, hoc dedit inelyta uirtus.

PAVLVS IOVIVS NOVOCO-
 NENSIS EPISCOPVS NVCKERINVS

*Ioan. Baptista Castalio apud Carolum Ce-
 sareum Castrorum magistro*

S. P. D.



IRCVMSPECTANTI mihi
 cui nam libros de uita & re-
 bus gestis Ferdinadi Pesca-
 rij, in publicum prodeun-
 tes comendarem, tu solus
 ante omnes occurristi, qui
 dignus eorum patrocinio
 uiderere. Opus enim ut facile prospicio, mul-
 torum obtrectationi expositum, aduersus liui-
 dos malignè pleraq; interpretâtes, luculentis-
 simo indiget defensore: nec quisquâ hodie su-
 perest è tot ducibus, qui teipso consiliorum o-
 mnium rerumq; gestarum, locupletior atq; ui-
 uidior testis esse possit, quum ab ineunte æta-
 te in eius præstantissimi ducis cõtubernio per-
 petuaq; amicitia clarus, quòd alæ equitû præ-
 esses omnibus bellis & singulis propè expedi-

tionibus interfueris, scilicet ut mirifice eius uirtutis sedulus & felix æmulator euaderes, unde tibi postea & insignes tituli, & decora probatæ uirtutis ornamenta ad perennem laudem obtulerunt, quæ modò vel per se satis speciosa, inuictissimi Cæsaris iudicio castrorum Magister effectus, perdomita latè Germania, partis nouis insignibus cumulasti. Debes itaque hoc supremum defensionis munus memoriæ tanti uiri, à quo tot documenta exactæ disciplinæ te didicisse profiteris. Quòd enim aliud Piscarij manes vsu nobilius officium expostulant, quàm eius gloriæ obtrectatores, si fortè existant, ea fidei cōstantia refutentur, qua uiuum & meriti triumphum laude florentem coluisti? Liqueat enim apud omnes quum in manibus tuis expiraret, suprema uoce nihil tibi potius delegasse, quàm ut pro uirili totius Daualæ domus decus tuerere. hoc idem quoq; à te exigit Victoria Columna, æquatis uirtutibus eo coniuge dignissima, quæ à te omni tempore studio sè culta, nuper æternæ lucis auida, ex his terræ tenebris ad superos euolauit. Neq; tu propterea huius officij operam remiseris, quòd ea gloriam contemnere Christiana pietate uideretur, quum eā spontè uenientem dissimulare potius quàm spernere non ineptè existimari posset, secus ac de ipso Alfonso Vastio suspicari fas erat, qui modò cum multis nostris lachrymis immatura morte ereptus, uti Piscarij patrualem, & tantarum opum imperijq; militaris successorem decuit, ueræ laudis erat cupidissimus, quum excelso ingenio cunctas belli & pacis actio;

eis actiones ad decus reuocaret. Sed vtrunque nostrum ex mœrore approperati eius obitus assiduè lugentes, mirificè consolari potest, hic ipse Vastij filius summæ spei adolescens, ab illustri indole dignus hoc bene auspicato Piscarij cognomento, qui dudû officij causa ad Philippum Hispaniæ regem designatum nauigauit: Nihil enim in eo plus optauerim, quàm vt re militariû & ciuiliû morum lectissimo formatore atque magistro, id quod facilè speramus cum patris, tum patruï absolutæ uirtutis specimen referat. Quantum uerò ad me attinet, ita huius ingenui laboris famam improbè sugillantes despiciam, vt meorum rectè integreq; scriptorum conscientia fretus, & in vita, & post mortem eos omnino contemnendos putem: præclara enim veritas supra calumniæ nebulas facilè emicat, & qui fide integra bonos mortuos colit, uiuos conciliat. Vale.

PAULI IOVII NO-

VOCOMENSIS EPISCOPI NV-

CERINI IN LIBROS DE VITA

& rebus gestis Ferdinandi Dauali
cognomento Piscarij

Præfatio

AD VICTORIAM COLUMNAM

EIVS VXOREM.



I QUID est, Victoria Co-
lumna, in præcipuis honestis-
sime vitæ tuæ votis, quod ad
summam felicitatem, uel dij ma-
ximè propitiij, uel mortales lon-
gè gratissimi, cumulatè tribue-
re possint, id unū esse arbitror,
ut Piscarij uiri tui memoria fidelibus nec ineptis lite-
rarum monumentis ad posteros transmittatur, ut que-
tua est uiriliter atq; eximia pietas non inanibus lachry-
mis, sed æternis honoribus inusitata admirabiliq; uir-
tuti illius inuictissimi ducis debita præmia persoluan-
tur, habeatq; interim posteritas tuo maximè munere,
ad solide ueræq; laudis exemplum, quod domi mili-
tiæq; feliciter imitetur, & discat, ut nequaquā am-
bitioso rerum inanum titulo, uerū factis illustribus
non adumbrata, sed certissime gloriæ fructus quæra-
tur: nam sicuti sepulchra marmorea, & æneas eque-
stres statuas, que ad summū liberalitatis & pietatis
nomen magnificè paras, cōdidisse, nimis operosum ui-
detur,

detur, & nequaquam pro merita laude diuturnum, quando ea ignavis etiam & imbellibus contigerunt: ita haec ad ueram perpetuò uicturi nominis effigiem scripta & expressa diligenter, uti extra temporis uel hominum iniuriam posita, omnem prorsus uel maxime sumptuosorum operum nobilitatē antecedent. Id nos si non felici (ut speramus) alacri certè fidelique labore praestare sumus adnixi, cum eorum hominū qui simul & egregiè possent, & uehementer uellent, in hoc difficili munere operam collocare, magna penuria esse censeretur. Scripsimus haec ea fide qua uniuersam horum temporum historiam condidimus, admiratione ingenij & uirtutis tuae ducti, cui sicuti in hoc summo seculo, cum priuato tum publico literatorū nomine plurimum debemus, ita Piscario ulla in re peculiari beneficio nos obligatos esse diffitemur: quanquā ille nos bello & pace non iniucuda saepe familiaritate coniunctos habuerit, uti nunc haereditario quodam iure, in amicitia Alfonsi Vastij patruelis imperatoris optimi, letissimè floremus. Probauere nonnulli erudito iudicio insignes, ut haec dū etate integra, ac in hac praecleara Romana luce praecellentium hominum censura frueremur, uel praecipiti iudicij libertate, in publicum ederetur, scilicet ut cum aliqua pudoris labe existimationi seruirem mea, cum integritatis & diligentiae famam cunctis eloquentiae laudibus antepo- nam, idque unum tanquam in historia praecipuum, magno opere spectem, ut inconcussa scriptis fides adstruat: haec enim fortasse me mortuo ab imperitis uel inuidis, ueluti certissimo teste sublato, improbè reselli

posset. Itaque si hæc eo animo quo scripta sunt, acci-
pies, iam tota ingenui laboris merces uel sperata im-
pudenter, uel benignè debita, cumulatè referetur.
Quum enim uirili ingenio usque eò excellas, ut præ-
ter solutæ orationis laudem, poeticis etiam numeris
cum præcellentibus uatibus contendes, gratiaq; re-
gum & fortunæ amplitudine plurimum præstes, si de
his rectè, uel potius indulgenter (quòd maximè cu-
pio) iudicaueris: etiam sola uel mediocris lau-
dis commendatione cuncta per-
solues. Vale.

LIBER PRIMVS.



I præclaras corporis atque animæ
uirtutes cum perpetua rerum gesta-
rum felicitate conferamus, procul-
dubio Ferdinādus Piscarius non æ-
quales modò suos bellica laude, sed
superiores etiam duces anteibit. Nam si eos qui ma-
nus cum ipso cõtulerunt, enumerare uelimus, liquidò
constabit fermè omnes aut caesos & captos ab eo, aut
insigni accepta clade fuisse profligatos. Porrò si quis
eorum famam excusserit, qui secum in Cesarianis par-
tibus arma tractarint, aduersam profectò fortunam
aliquando subijsse reperiet: quum ipse omnibus bel-
lis semper inuictus nullam ab iniquo Marte inuictam
acceperit, nisi quum ad Rauennam primus statim sti-
pendijs dux pariter & miles, cruenta illa acie domi-
cavit: tum enim fortuna que mox benigno uultu se
conuertit, uisa est omne id totum quod fuerat fatalis
odij re-

odij reliquum, egregia fide consumpsisse. Ortus est
 Ferdinandus ex familia Davala in ulteriore Hispania,
 prope Toletum, uetusta potius quam illustri,
 sed cui Rodoricus proauus magnam claritatem attu-
 lerit. Is enim ingenio excelso, & ui ingenti corporis,
 quum iuuenis adhuc prouocantem Lusitanum equi-
 tem spectante utroque exercitu, singulari certamine
 confecisset, tantum sibi studium ab omnibus militum
 ordinibus, tantamque apud regem beneuolentiam illo
 clarissimo facto comparauit, ut non multo post Magi-
 ster equitum sit effectus, qui honos militiæ summus u-
 nis antiquæ nobilitatis Regulis demandari erat so-
 litus. Ex hoc Rodorico natus est Indicus, qui auspici-
 a Alfonsi regis Aragonum secutus, in Italiam uenit,
 prælioque nauali ad Pontias cum ipso rege eadem in
 nauis à Liguribus captus est. Is ex armigeris pueris in-
 timus erat Alfonso ob indolem ab omni uirtutum con-
 cursu gratissimam. Nec multo post, quum Philippus
 Vicecomes præclara ingentis animi liberalitate, Al-
 fonsum libertate donauisset, magnisque auctum mune-
 ribus ad recuperandum Neapolitanum regnum dimi-
 sisset, ab rege impetrauit, ut Indicus apud se Medio-
 lani relinqueretur: nanque is adolescens eruditis
 moribus & suauiate oris Philippi animum ita ob-
 lectabat et ceperat, ut inter carissimos emineret. Mor-
 tuo autem Philippo, ad Aragonios rediit, optima-
 rum literarum & disciplinæ militaris ornamentis ue-
 hementer excultus, unde mox cunctis, & regi in præ-
 mis carus, uxorem promeruit longè omnium nobil-
 issimam, atque ditissimam ex antiqua Aquinatensi

Regulorum familia, è qua diuum Thomam natum esse
 cōstat, inter Christianos professores pietate, ac sacra
 rum literarū scientia præcellentem. Huius uxoris præ
 senti dote, ac demum insigni multorum oppidorum
 hereditate Indicus fortunas suas opportunè stabilivit,
 præfectura etiam ærarij & totius censuræ rationum
 regiarum, atq; item per ampla domo in qua septemui
 tale iudicium exercetur, à Ferdinando rege liberali
 ter honestatus. Vixit multos annos in perpetuo quo
 dam Regalis uitæ splendore, & ob id in summa sem
 per familiaritate Ferdinandi regis, qui in utraq; belli
 Andegauensis fortuna sortem eius fidelemq; operam
 fuerat expertus. Vltima uerò stipendia (uti piuum de
 cuit) in publica Christianorum causa aduersus Tur
 eas iam senex apud Hydruntem exoluit, Alfonso se
 cundo militiæ comes datus. Nec multo post cōfectum
 bellum Neapoli moritur, tres ante alios relinquēs im
 puberes filios maternæ pariter substantiæ & pater
 næ uirtutis hæredes, Alfonso scilicet, Rodoricū &
 Indicum. Alfonso natus maximus ab Aterno Apuliæ
 oppido annæq; fatali casu Magni Sfortiæ claro, quod
 hodie Piscaria dicitur Marchionis Piscarij cognomē
 adeptus, huius Ferdinandi pater fuit, uir omnibus for
 tuiæ naturæq; muneribus insignis. Etenim cum Ferdi
 nando iuniore à teneris annis educatus, corpus atque
 animum armorum & literarum studijs pariter exer
 cendo excolendoq; facile Neapolitanorum procerum
 præstantissimus euaserat. In hoc siquidem iuvene o
 mnia summa inerant, scilicet supra uiuidum atq; ha
 bile corporis robur, incredibilis animi uigor, literæ,
 prudentia.

prudentia, disciplina, quibus fretus in administratione Gallici belli quod in Aemilia uia gestum est, facile Triuultio & Petiliano eximijis ducibus aequabatur. Neapoli uerò quū Galli Alegria duce ab arce in portum erupissent, disiectisq; munitionibus cuncta cedi- bus atq; terrore compleuissent, unus ante omnes Alfonso incredible uirtute pedestri protectus scuto, repressa suorū fuga, per interiores scalas in molem euolauit, contemptoq; omni tormentorum periculo, Gallos ita repulit, ut multis caesis, aut ex fuga in subiectū mare precipitatis, Phariq; turre subinde recepta, populus Neapolitanus eum illo die Seruatorem patriæ appellarit. Verū non multo post per hunc modum cunctis in locis Ferdinando strenuē operam nauantem, & summo omnium studio ad militarem gloriam prouectum, immitis fortuna deseruit. Dum enim circumuallatis in arce Gallis, cum seruo natione Mauro incendendæ classis cōsiliū agitaret, & ex condito pretium perfidiæ deferens, noctu ad summum hortorum parietem scala peruenisset, perfidia serui adacta per guttur lunata sagitta crudeliter est interfectus. Nunquam ab ulla hominum memoria aut rex ullus amicū & propinquū, aut ullus exercitus ducem, aut ulla ciuitas ciuem suum morte sublatum uel grauiore mœstitia, uel uberiorib. lachrymis honestauit. Eandem quoq; fortunam tulit Rodoricus frater uir impius & fraternæ uirtutis æmulus, qui secundo bello Gallico, quum pedestribus copijs præesset, apud insulam Arpinatis agri uicum, Sclopetto caput ictus interijt. Neq; eadem uis fati plus iusto Daualis proceri-

bus insensa, Indico diu pepercit, iam bellica laude in-
 signi & iuuenum omnium longè pulcherrimo. Is post
 exactum regno Fdericum Aragonium, cum de fini-
 bus Lucaniae Galli atq; Hispani inter se decertarent,
 perosus Gallorum nomen uti Dauala familiae funestū,
 Hispanis adhæserat, Aenarięq; insulae praefectus cum
 Gallis terra mariq; contenderat, ad extremum Saler-
 ni arce cum singulari Magni Consalui commendatio-
 ne fortiter expugnata, dum ad id bellum properat,
 quod ad Lyrim annum Hispanus uictor confecit, pe-
 stifera febre paucis diebus absumptus est, eo acer-
 biore omnium dolore, quod illustrem familiam sum-
 mae spei, summęq; laudis ducibus orbatam uidebant,
 quorum nemo ad trigessimum ætatis annum incredibi-
 li Fatorum iniuria peruenisset. Moriens Indicus Alson-
 sum filium, quem hodie omni bellica laude florentem
 Caesarianis in castris imperatorem uidemus, in cunis
 reliquit. Caterū ab Alfonso qui Punica seruiliq; per-
 fidia cecidit, hic ipse Ferdinandus paterno cognomi-
 ne Piscarius admodum puer est relictus, qui internor-
 tuum familiae nomen, maximis rebus gestis (uti mox di-
 cemus) ad nunquam interituram Daualorum memo-
 riam egregiè reparauit. Natus est Neapoli Ferdinan-
 dus, matre Cardonia apud Siculos illustri, quae qua-
 tuor insignium bello ducum soror fuit. Infans cum pri-
 mum materno utero editus in lucem prodibat, ex te-
 nui membrana uestem amplissimam secum extulit, ue-
 luti militare quoddam paludamentum ex paterno
 maternoq; semine haud obscuro iure hereditatis tan-
 tæ indoli destinatum. Habuit in Genesi circa coeli uer-
 ticem

ticem sydus Martis directo cursu sua in sede consti-
 tutum, & quo felicius uictoriae pararentur, sala-
 taribus Iouis radijs delinitum: unde Pontanus supra
 eloquentiae laudem, etiam syderalis scientiae peri-
 tissimus, inspecto themate uictoriae & latissimos
 triumphos puero sit pollicitus: Itidem etiam monens
 ut faciem aduersus uulnera diligentissime praeuni-
 ret, quasi ex ferro Mars alloqui benignus, honesto
 ori deformitatem, uti postea euenit, manifestè mi-
 naretur. Puer ut primum ingredi firmiter & loqui
 distinctè coepit, adeò multus & assiduus fuit in lu-
 dis & simulachris rerum bellicarum, ut iam nequa-
 quam obscura eius inusitatae uirtutis indicia praebe-
 rentur. Puerili etenim cupiditate parua currulæ
 tormenta effingendo & grauitè concionando, præ-
 ferendoq; uexilla sequentibus pueris, & multipli-
 ces pugnas committendo, cuncta munia imperato-
 ris implere uidebatur, obsecrante saepe Mufephilo
 præceptore, ut ingenium ab his inanibus ludis ad li-
 terarum Latinarum studia reuocaret: sed ille quum
 esset literis studendum, historijs potius & fabulo-
 sis carminibus uernacula & præsertim Hispanica lin-
 gua conscriptis oblectabatur, quibus heroum & for-
 tissimorum equitum admiranda facinora celebran-
 tur. Frigebat enim animum ad gloriam anhelantem
 in spem consequendæ laudis: Agebat autem sextum-
 decimum ætatis annum, quum Ferdinandus rex Hi-
 spaniarum Neapolim uenit, ut Magnum Consaluum
 affectati regni suspicionibus obnoxiam, in Hispani-
 am secum adueheret. Eius aduentus summo studio

Neapolitanorum est celebratus, & in primis matrone omnes quæ forma & dignitate cæteras anteibāt, in amplissimo conuiuio regijs oculis ostentata. Ministrabat foeminis ornatissima iuuentus, quæ mox remotis mensis choreas duxit. Quo in ludo Piscarius ante alios, tanta arte, tantaq; numerosi incessus grauitate, omnes saltatiōis modos adimpleuit, ut rex ipse prudentia & iudicio maximè insignis, quum oculos in unum Piscarium coniecisset, palàm diceret ad proximos proceres digito Piscariū indicans: ille adolescens ex gestu certaq; oris indole supra hos omnes, magnus quidē imperator esse uidetur: & si me opinio nequaquam fallit, omnium euadet longè præstantissimus. Hoc de se tanti regis iudiciū nequaquā elatis auribus accepit, præfatus regem qui se adolescentem immatura laude honestare uoluisset, grauisimum pondus tenere humeris imposuisse, quando sibi magnopere bello & pace foret desudandum, si promereri eam laudem uellet, quam sibi rex iusto propensior adeò benignè obuenturam esse prædiceret. At Piscarius rege in Hispaniam reuerso in paterna oppida cōcessit, quæ sunt partim in Ferentanis & Sannio, partim in Campania & Picentinis, ubi auditis populorum controuersijs, ac inspectis Quæstorum & Prætorū rationibus, summa equitate et moderatione singulas rerum difficultates solertissimè dissoluit. Quibus actionibus apud omnes qui in ditione eius erant singularem grauitatis, & munificentie laudē est consecutus. Nec multo post regio apparatus nuptias cum Victoria Columna celebrauit, ea enim uixdum trima Ferdinandi iunioris

nioris Aragonij regis auspicijs, ipsi Piscario etate ferme pari fuerat desponsata, quum Fabritius Victorie pater, uigente Gallico bello ad Aragonias partes transuisset: initeq; cum Alfonso Daualo amicitiae, in gratiam regis etiam uinculum affinitatis addendum esse censuisset. Quasi tum Piscario in cunis adhuc uagienti, quando unicus etatis suae fauentibus astris futurus esset imperator, eam uxorem fortuna desponderet, quae fatale Victorie nomen, uti dotale munus, in mariti domum ferret, & ipsa una omnium pietate, forma, literis, nobilitateq; lectissima, uiro inuisibilissimo rara quadam mutuae sortis felicitate iungeretur. Nec multum inde Piscarius quum aliquandiu frustra suscipiendis liberis operam dedisset, ad nobile illud Gallici belli classicum excitatur: incredibili namque armorum cupiditate semper incensus, nihil magis quam bellum quo uirtus enitescere posset, exoptabat. Erat tum Iulij pontificis dignitas maximis Gallorum iniurijs deformata, & penè conuulsa radicitus: eam Ferdinandus Hispaniae rex, uti pium & uerè catholicum decebat, tuendam amplificandamq; susceperat, disruptoq; demum foedere Cameracensi, Henricus Britanniae rex, & Heluctij bellica uirtute metuendi in partes trahebantur: nam cunctis ferme totius Europae principibus Gallorum uires secundis successibus in imensum adauctae formidini esse coeperant: ceu Ludouicus rex Gallus immoderata cupiditate Italiae imperium affectaret, utpote qui opulētissimo Mediolanensium imperio in potestatem redacto, subactis Liguri- bus, Venetis ingenti praelio superatis, nihil demum sa-

crosanti Pontificis maiestate permotus, dum Alfonso Ateſtinum Pontificis beneficiarium pertinacius defenderet, Bononiam Pontificiæ ditionis occupafſet, & Bentiuolis ueteribus tyrannis poſidendam tradidiffet. Igitur quum Bononiam armis repetere ſta-
 tuiffent, Nauarrus uir ſine ulli familie commenda-
 tione propter ſingularem belli peritiam, ſummos mi-
 litiæ honores promeritus, legiones ex Africa tranſue-
 re parauit. Certatim quoq; Neapolitani Reguli ſe-
 ſe militaribus equis, & ſpecioſis armorum inſignibus
 exornarunt. Ante alios uerò Piſcarius ſagula, cri-
 ſtas, equorumq; tegumenta Phrygijs & acu pictis o-
 peribus, ex auro & purpura ad ſingularem elegan-
 tiam maximè ſumptuoſa parauerat. Is quanquam ſe-
 rè imberbis propter mirificam indolem & patris pa-
 truorumq; memoriam totius leuis armaturæ equi-
 tum præſectura dignus omnium iudicio exiſtimatus
 eſt. Nam Fabritius Columna ſocer, & duo auunculi
 è gente Cardoniæ, Ioannes Auellinus & Antonius Pa-
 dulus, quorum in exercitu ſingularis erat authori-
 tas, efferre iuuenem, & perpetuis diuiffimi eius mu-
 neris laboribus implicare cupiebant: quando ad pa-
 randum nomen Ducis ſtrenui, prompti, uigilantis,
 nulla certior aut reſtior uia fame cupidis oſtendi-
 tur, quàm leuam armaturam cum imperio ductaſſe,
 quoniam per eam cuncta aſpera & tumultuaria con-
 ſiciantur, & noſturnis atq; diurnis expeditionib. au-
 ctiores exerceantur. Letus hoc honore Piſcarius, ue-
 xillum prætulit, in quo ſcutum Laconicum erat depi-
 ctum.

tum, cū titulo seueræ matris Spartanc, tironi filio,
 aut cum hoc, aut in hoc redire iubentis: quasi idem
 animi decretum exprimeret, quo testaretur se domū
 nisi uictorem non esse rediturum. Neq; hominum opi-
 nionem fessellit: nam ubi coniunctis exercitibus Pon-
 tificij ac Hispani duces ad oppugnandam Bononiam
 Peruenerunt, & magna ui tormentorū effosis etiam
 cuniculis moenia quaterentur, Piscarius totum id mu-
 nus quod leuis armaturæ equitibus imponitur, adeo
 diligenter obibat, ut in stationibus atq; uigilijs & in
 quotidianis frumentarijs expeditionibus, unum eius
 uexillum conspiceretur, quod turmarum præfecti pe-
 culiaria signa aliàs explicare soliti, ad præclarā ho-
 noris cōcessionem obseruabant. Cæterum Gasto Fois-
 seius admirandæ uirtutis adolescens imperator, re-
 pressis semel apud Conuum atq; iterum ad Mediola-
 num Heluetijs, quos Iulius in auxilium euocarat, in-
 credibili celeritate Bononiam cum expeditis Gallo-
 rum copijs aduolauit, solutaq; obsidione & Hispanis
 metu cedere coactis, in Venetos uim omnem ac impe-
 tum conuertit. Nec multo post Fortuna feruidi iuue-
 nis ausibus intemperanter aspirante, auxilia Veneta
 in Veronensi ex itinere profligantur. Brixia per ar-
 cem capitur, caesoq; præsidio, & ciuibus insigni cla-
 de affectis, summa Gallorum & Germanorū crudeli-
 tate diripitur. Vertuntur inde Gallorū signa trans Pæ-
 dum, & rectā per uiam Aemiliam ad Rauennæ mœ-
 nia deseruntur. Ibi Foisseium conatu ingenti sed ual-
 de funesto moenia quatientem Fortuna destituit, quæ
 leuis & infida lubrico uestigio illuc usque subsecuta,

cum ad fatalis pugnae locum pertrahere uidebatur. Comisso igitur illo ex omnibus quae in Italia à multis annis acciderint, praelio ualde memorabili, Piscarius nulla in parte uel praefecti uel equitis officio defuit. Sed afflictis & penè perditis rebus, eò urgente fortuna perductus est, unde aut maturè fuga saluti esset consulendum, quorundam etiam insignium ducum exemplo, qui pugna se non sensim explicabant, aut (ut dignū erat Dauala familia) inter armatos & planè uictores hostes, omnino concidendum. Nauarrus enim insana quadam elati animi obstinatione inductus, non modò totum penè Gallicū equitum, sed ipsas quoque Germanorum cohortes absque ullo impedimento, annem transire permisit, ueluti certissimam atque plenissimam ea die de hoste uictoriam concepisset, confusus scilicet peditum uirtuti, quos depressiore in loco pronis corporibus humi stratos, ut praeteruolantes pilas euitarent, magis ac magis continebat, frustra reclamante Fabritio, & dirum pugna exitum denunciante. Itaq; Nauarrus dum funesto consilio cunctatius rem gerit, decora illa Hispanorum & pōrificiorum equitum agmina tormentis Gallicis con sternuntur, & miserabili accepta clade, toto campo dissipantur. Raimundus imperator & pleriq; alij duces effugiunt: Fabritius uerò ad non dubiam mortem inuectus in confertissimam hostium aciem uulneratur, & capitur. Eo modo dum Mars uiolentus horribili cruentoq; tumultu cuncta permiscet, Padulius qui medio agmini praerat, priusquā uniuersae copiae perpetua tormentorum procella delerentur, conandum sibi ali-

sibi aliquid cōfertis manibus esse iudicauit, monuitq; Piscarium conglobatā suorum aciem in proximo continentem, ut in latus hostium cum omni leui armatura illatis signis audacter incurreret, sicut ipse cum cataphractis recta fronte aduersam aciem esset inuasurus. Nec mora, Piscarius auūculo paret, suos in unum coactos alacri animo cohortatur, ut meminerint eos esse hostes quos superioribus bellis in fugam sepius cōieciissent. Erant attributi Piscario ueluti nutritij milites, Paulus Romanus ciuis, Fabritij soceri ueteranus, uir fortis & apprimè bello sagax, & Theodorus Bocalus nobilis Lacedemonius cum ala Græcorum patrijs artibus ad eludendos hostium conatus maxime insignis: itemq; Albaradus Hispanus cum turma cataphractorum, ut ualidiore eo præsidio leuis equitatus ad sustinendā Gallorum uim in prima acie firmaretur. Sed Padulius quum per iniquum locum fossis & uepribus impeditum suos induceret, & ob id uix cum tertia equitum parte ad mediam Gallorum aciem peruenisset, puncto temporis est repulsus, & dissipatis turmis in fugam coniectus. Ipse quoq; Piscarius eandem subiit fortunam: nam Galli cataphracti nihil temerè ordines excedendo, sed modica tantum equorū conuersione in proruentes inclinando hastas, totum cum leuis armaturæ impetum faciliè sustinuerunt: opportunè etiam à tergo Gallici agminis magna uis leuis armaturæ equitatus protinus erupit, qui in per amplam alam curuatus, uniuersos ferè cum Piscarianos tum Padulianos equites à tergo circumuenit: ita in medio conclusi undiq; propelluntur atq; cæ

duntur. Padulus gladio per oculum recepto capitur:
 Ambrosius uir impiger Fabritiane turme praefectus,
 Albaradusq; & Guliermus Sacca Siculus, uir specta-
 ta uirtutis ante Piscarium cadunt. Nomicicio nobili
 signifero multis grauato uulneribus Piscarij uexillum
 eripitur: solus Bocalus Graeco astu feliciter euadit.
 Interea Piscarium insignibus armisq; fulgentem undi-
 que circūuentum, promptissimi Gallorū certatim pe-
 tebant: ille generosum agilemq; equum huc & illuc in-
 citabat, gladioq; impigre rem gerendo, obuios ita pro-
 pellebat, ut bis coronam circumfusorū prementiumq;
 hostiū multis acceptis illatisq; uulneribus perumpere-
 ret. Haerebat eius lateri Placidius Sangrius, nobilita-
 te uirtuteq; eques insignis. Is paulo antè animaduer-
 so imminentis cladis periculo cōuersus ad Piscarium
 non uirilis (inquit) est animi maestē uirtute iuuenis,
 sed penitus insani, tam diu cum infesta Fortuna collu-
 ctari, quin potius dum integer equus uiresq; suffi-
 ciunt, te morti eripis, et melioribus fatis reseruas? Ad
 haec ille: parerē, inquit, fidissime Sangri, salutari con-
 silio, si tam decora quam tuta suaderes, lugeant me
 potius amici honesta morte defunctum, quam ego ex
 turpi & ancipiti fuga, tot funera magnorum Ducum
 domi cum ignomina desleam. Haec dicentē Placidius
 reliquit, eluctatusq; per medios hostes sese certamine
 explicuit. Sed in eo tumultu multis clauarum ictibus
 collisa galea, post aliquot dies interijt. Interea Pisca-
 rio equus per illa gladijs lanceisq; confoditur: ipse
 corruit, extēploq; ueste aurea picta & auratis armis
 exutus, pro mortuo inter tot super ingesta cadauera
 relin-

relinquitur. Erat ora & totū sinuum cruore puluereq; scedatus, & penè quidem exanimis, quum cum attolentem manus & nomen profitentē Galli duo gregarij equites erexerunt, & ad prætorium Federici Sauerini Cardinalis, ut ibi quaesito medico curaretur, deduxerunt: à quo nequaquam humaniter est receptus, quoniam in Bononiensi agro quadam in uilla ex itinere diuertenti, Piscarium cum equitibus insidias sibi tetendisse cognouerat: et certè ea uictoria plena funeribus multorum animos ab humanitate & misericordia penitus auertebat. Sed eum mirificè recreauit Socer Fabritius incolumis ab Alfonso Ferrariae principe conseruatus, atq; item Auellinus auunculus, & Homicicius uexillifer, quanquam grauissimè uulnerati, quos in acie cecidisse crediderat. Nec multo post quum Gastonis imperatoris cadauer, is enim parta uictoria ceciderat, excipientib. id passim populis, triumphali uerius quàm funebri pompa in speciem perpetui funeris Mediolanū deferretur, eò etiam Piscarius cum multis nobilibus captiuus est per ductus. Inter eos fuere Ioannes Medices Cardinalis legatus, qui postea non toto uertente anno Pontifex est creatus, & Nauarrus tanti nominis dux, qui ad cohonestandas uictoris exequias inter capta uexilla Hispaniæ regis atq; pontificis, Feretri lecticâ præcedebat. Ceterū Piscarius in interiorē arcē portæ Iouis cōiectus, satis honesta custodia seruabatur: nā eū Triuultius Hippolytæ Dauale amitiæ maritus, Gallis uehemētissimè cōmēdabat, à quo et ab uxore eius certatim uti calamitas ferebat rebus omnib. accuratè & liberaliter iuuabatur.

Ipse uerò ante omnia prudenti consilio in pretium re-
 demptionis exemplo sex milia aureorum nummum
 equitibus Gallis quibus ad Rauennam sese dederat,
 est pollicitus. Verebatur enim, ne Ludouicus rex Da-
 ualæ familie nomine offensus, quæ omnibus bellis ad-
 uersus Gallos acerrimè dimicasset, se arctius & diu-
 tiorò quidem in carcere, in ulteriore Gallia custo-
 diendum iuberet. Sed Triuultius qui uel apud iratum
 regē summa erat autoritate, facillè impetrauit, ut per-
 soluto equitibus pretio liberè dimitteretur, tanquam
 tiro imberbis, & ne iterum temerè arma resumeret, à
 fortuna tot acceptis uulneribus egregiè castigatus.
 Lege etenim regia cautum erat, ne quis dux, præse-
 ctus aut miles, ullum paulo clarioris nominis captiuū
 inconsulto rege dimitteret, ut ædito nomine integrū
 regi arbitrium relinqueretur, quem uellet persolu-
 ta militi certa pecunia, publico in carcere reseruari:
 Ita Piscarius singulari Triuultij beneficio carcere est
 eductus. Dum esset in arce uulneraq; curaret, nec
 exercendi corporis ulla daretur facultas, ingenium li-
 teris ætate prioribus ex doctrina Musephili præcepto-
 ris haud mediocriter imbutum, ita exercuit, ut pau-
 cis diebus summæ iucūditatis dialogum de Amore ad
 Victoriā uxorem conscripserit, qui libellus adhuc
 extat, cum grauib; tum exquisitis salibus atq; sen-
 tentijs, ad admirationem eius ingenij refertus. Nam e-
 nim animum per se constantem & inuictum cum me-
 tu, tum grauib; curis exoluerat, et seipsum frequen-
 tibus propinquorum nuncijs in spem gerendarum re-
 rum erigebat: nam Fabritium socerum, Alfonsi Ate-
 stini li-

Sini liberalitate dimissum fuisse, & Padulium auunculum corrupto gregario equite Gallo, è custodia feliciter effugisse audiebat, simulq; ferebatur Iulius pontifex ingentes Heluetiorum copias in auxilium euocare, quorum aduentum & impetum Galli minime laturi dicerentur: nec multis inde diebus Heluetie legiones, adiunctis sibi Venetorum copijs, duce Paulo Balcono, à Verona per patentes cãpos in torrentis morem effusa, Paliciã Gallorum ducem à ponte Mincij depulerunt, receptaq; ex itinere Cremona, ad oppugnandum Ticinum conuolarunt, quo Palicia cum omnibus copijs properanti agmine se receperat. Verum ille peditatu impar, cum ab hoste qui traiecto Ticino amne, insulam occupare cõtendebat, precludi sibi exitum animaduerneret, ponte lapideo sese effudit, & continenti agmine desertis Germanorum auxilijs, incolumi equitatu in Galliam se proripuit. Eiectis eo modo Gallis, Mediolanenses in uerba Maximiliani Sfortiæ continuò iurant: idem faciunt ceteræ urbes, summaq; omnium alacritate Sfortiani recipiuntur. Erat tum Piscarius Mediolani & in Triultianis ædibus habitabat, incredibiliq; affectus uoluptate, mirũ in modum letabatur, quòd quicquid Raennate in pugna amissum fuerat, in sperata demũ ea uictoria egregiè restitutum esse uideretur. Iulius enim pontifex præmissis cum exercitu Francisco Maria Urbinate, Bononiam cum uniuersis urbibus Gallie togatæ receperat, Raimundusq; Cardonius reparato exercitu in Etruriã missus, pulso Florentia Petro Soderino, qui Gallicas partes tuebatur, Mediceos in pa-

triam reduxerat : namq; Ioannes Cardinalis Legatus
 quum in Galliam traheretur, ad Padum amnem ge-
 nerofo ausu Raynaldi Tacij Ticinensis è manibus
 Gallorum fuerat ereptus. Constitutis Etruriæ rebus,
 Proffer Columna cum ualido equitatu ab urbe profe-
 ctus, Cardonio se coniunxit, atq; ambo ad oppugnan-
 dam Brixiam contenderunt. Erat Brixie præsidio re-
 lictus Obegnius cum ala mirifica Gallorum equi-
 tum, oppugnabaturq; magna u. à Baieono, qui eò in-
 gentem tormentorum apparatus conuexerat : sed
 Obegnius ut discordias inter scederatos hostes fere-
 ret, extrema necessitate compulsus, urbem non Vene-
 tis, sed Hispanis Germanisq; Cæsaris ducibus deditit:
 ea contumelia accensus Venetus animum ad Gallos
 repente conuertit, unde mox nouum id exarsit bel-
 lum quo Italia penè omnis asiduis calamitatibus at-
 trita uastataq; est. Erat tum sine duce peditatus Hi-
 spanicus, utpote Nauarro capto, & in ulteriorem
 Galliam perducto, regebaturq; à Solisso uiro equi-
 dem forti & strenuo, sed non ea generis nobilitate, ut
 ei plerique cohortium præfecti, qui neque usu mili-
 tiae, neque natalium origine, inferiores uideri pote-
 rant, æquis animis obedirent. Itaque uni ante alios
 Padulio imperium est demandatum : natus erat in Si-
 cilia, sed è Celtiberia Cardoniæ familia nomen tra-
 hebat, uir cum sua in primis uirtute clarus, tum for-
 tissimorum etiam fratrum egregia morte commenda-
 tus : nam Vgo quondam in Bruijs, nobili de Gallis
 parta uictoria, ad Caietam demum tormenti icu sue-
 rat extinctus : & Ioannes Auellinus ex uulnere Ra-
 uennate

uennate in pugna suscepto, Ferrariae perierat: quum
 & ipsum disparti sorte amisso tamen oculo elapsum
 & fortuna seruauisset. Vexabatur per eos dies apud
 Mediolanum Cisabduanus ager, assiduus Gallorum in
 cursionibus, qui pulso Palicia in Tritianam arcem se
 contulerant. Ea est in peninsula circūagentis sese pul
 cherrimo flexu amnis Abduæ constituta, carcere &
 nece magni quondam Barnabæ Vicecomitis, potius
 quàm ædificij munitione memorabilis. Præerat Gallis
 Baro Biarneus Vasco, uiribus ac ingenio ferox Ga
 stoniane alæ legatus. Hunc omnibus cohortatibus ex
 pugnandū Padulius suscepit: nam Hispani ex Nauar
 ri ducis disciplina in magna erāt opinione singularis
 scientiæ, et mirabilis artificij arcib. expugnādis. Itaq;
 cōuectis ad Tritiū maioribus tormentis, actisq; uineis,
 tanta ui quassari arx est cœpta, ut Biarneus cum ali
 quādiu fortissimè repugnasset, multis acceptis ac illa
 tis detrimentis, Padulio deditiōnē fecerit. Erat tum
 assiduus Padulio auūculo Piscarius incredibili geren
 darum rerū cupiditate incēsus, quā modestis uerecun
 disq; sermonibus ita cōtegebat, ut multo maiores mi
 litie honores promereri q̄ expectare, uel cupere pos
 se censeretur. Eminēbat enim in eo iuuenē supra fami
 liæ Daualæ præclarū genus, certa indoles acuti gra
 uis & excelsi ducis. Ipse corpus habile potius q̄ pro
 cerum nactus, ualida neruorū compage absq; ullo se
 gni succo firmissimum cunctis equestris atq; pedestris
 discipline muneribus accommodarat: ætatis flo
 rem apprimè cōmendabant, barba erumpens colore
 subrutila, aduncus nasus, & quum ui opus esset, igneū

uehementesq; oculi. Ceterum, mirum dictu, in ioco pa
 ceq; suaues, & à modesta quadam illecebra periucur
 di: ita tamen ut à gestu corporis minus familiari, & à
 toto sermone parum hilari, & in responsis seuera bre
 uitate circumciso, elatior esse diceretur. Composue
 rat enim se totum cunctis moribus ad Hispanorū ha
 bitum, quorum lingua eousq; semper est delectatus, ut
 etiam cum Italis hominibus, uxoreq; Victoria Hispa
 nicè loqueretur: quibus artibus iam militi carus, adi
 tum sibi ad militare imperiū facile parabat. Nec mul
 to post, Padulio Florentiam ad Mediceos proficiscen
 te, qui eum magno cum stipendio copijs præfecerat,
 Piscarius uniuersi exercitus curam suscepit, inclina
 tis quidem præfectorum & centurionum animis, pro
 pensissimaq; Ferdinandi regis uoluntate: namq; eum
 duo Columnij Prosper atq; Fabritius, ipsiq; Cardonij
 Raimundus atq; Padulius, & præterea minorum du
 cum quisq; fortissimus, suffragijs & præclara testifi
 catione plurimū adiunuerant. Interea Ludouicus Gal
 lorum rex cum Ferdinando Hispanie rege factis in
 ducijs, Tramulium atq; Triuultium, duos bello longè
 clarissimos duces in Italiam misit. Erant Veneti cum
 Gallo noua societate coniuncti, ut recentem iniuriam
 uindicarent, quam ab infidis foederatis Hispanis atq;
 Germanis, iniquè exclusi Brixia, nuper accepissent.
 Itaq; Andreas Grittus & Liuianus qui in Gallia cu
 stodiebantur, ex foedere sunt emissi. Liuiano supremi
 militaris imperij uexilla sceptraq; quod Petilianus de
 cessisset, ex senatusconsulto sunt tradita: Gritto autem
 est iniunctum, ut legati nomine Tramulium atq; Tri
 uultium

uultum sequeretur. Iam Liuianus cum Baleono con-
 iunctis uiribus iustum exercitum effecerat, progres-
 susq; ad Cremonam eam urbem deditibus sese ciui-
 bus occupat. In Liguria Adurnij Gallorū socij, Fre-
 gosios Genua expulerant: Sacramorus Vicecomes e-
 quitum praefectus, nobilitate quidē clarus, sed malefi-
 cius & ingenij seuitia insignis, à Maximiliano Sfortia
 ad Gallos defecerat, conuersisq; signis Mediolanū in-
 gressus, populū in uerba Ludouici regis iurare coege-
 rat. Habebant tum castra Cardonius atque Piscarius
 ad Trebiā annem, monitiq; à Ferdinando rege de in-
 ducijs, neq; animos, neq; copias, uel obsecrantibus Sfor-
 tianis explicabāt: pudore tamen uictus Piscarius, sub-
 ter Clastidium ad uicum iriae copias promouit, emi-
 sitq; leuem armaturam equestrem, quae praeter Der-
 thonam in Alexandrinum agrum excurreret. Erant
 omnia plena cæco metu tot circūstrepentibus armis,
 quum singula oppida uel in fide persistere, uel dubia
 adhuc belli Fortuna, fidem mutare dubitarent. His de
 rebus Vicoirienses, siue quòd ad Gallos inclinabant,
 siue quòd uererentur Hispanos recipere uti rapaces
 seuosq; hospites, portas clausurunt, professi se libera-
 liter commeatu atq; omnibus oppidi copijs, exercitū
 adiuturos, si à ui ac omni maleficio abstinerent. Pesca-
 rius indignū ratus arceri eo oppido quòd sine ullo mi-
 litari praesidio agrestes in muro dispositi tuerentur,
 efflagitantibus militibus ut facta irumpere cōstituit,
 ut eo quanquam iniquo facinore, & ipse dignitatem
 suam egregiè conseruaret, & milites quodam donati-
 ui nomine, opulenti eius oppidi praeda replerentur.

Qua una re militares animos deuinciri maxime intelli-
 gebat. Nec mora magno tumultu succedentibus
 ad murum cohortibus, admotis scalis, refractaq; por-
 ta, & discusso subductili ligneo ponte, oppidum capi-
 tur, multisq; qui arma tenebant caesis, cæteris ferme
 omnibus captis, latè diripitur. Ea Vicouiensiu cala-
 mitas uehementer animos pupugit, cum Maximilia-
 ni Sfortiæ, tum Matthæi Sedunensis Cardinalis qui
 Heluetiorum erat princeps, & multum Placentiæ
 dum Romam peteret, Cardoniū fuerat obtestatus, ut
 occultata induci rû fama, ad terrêdos Gallos, castra
 promouere, & speciem saltem hostilis animi prabe-
 re uellet. Vix enim ferebant quicumq; Gallorum erant
 hostes, ab Hispanis incertæ fidei socijs & transire Pa-
 dum recusantibus, ea crudeliter oppida diripi, quæ
 passim ab ipsis etiam hostibus cõseruari uiderentur.
 Interea Tramulius atq; Triuultius ad Nouariã dela-
 ti, qua in urbe Maximilianus cum decem Heluetio-
 rum cohortibus se tenebat, magno cum apparatu tor-
 mentorum, mœnia quaterere cœperunt, & leto quidem
 auspicio, quòd ad eam urbem ipsi duo duces ante tre-
 decim annos, Ludouicū Maximiliani patrem ipsidem
 Heluetiorū auxilijs confisum cepisse, & maximum
 bellum, parto Mediolanensi imperio, propè sine uulne-
 re confecisse meminerant. Cuncta iam prospera cede-
 bant Gallis, nulla Sfortiæ reliqua spes, nisi in fide &
 dextris Heluetiorum relinquebatur. Nam Sacramo-
 ru Mediolanum occuparat: Liuanus Cremonã erat
 ingressus: Adurnij Fregosios Genua expulerant: Hi-
 spani nequaquã utiles bello socij citra Padum subsiste-
 bant,

ban: Leo pontifex ueluti neq; harum neq; illarū partium nihil ostentatis armis, Maximilianū pecunia tantum iuuabat: Gallica uerò castra, equitatu, tormētis, Germanorū auxilijs & rerum omnium copia, sub tantis ducibus abundabant. Ceterū Fortuna sua libidine, has tantas spes Gallorum celeriter elusit: namq; Heluetij uix antiquam ignominiam animo sustinentes, uno inusitate uirtutis facinore omnem eius perfidiae memoriam abolere constituunt, nihil expectatis suae gentis auxilijs, quae intra duodecimū lapidem aduentabant: urbe triplici instructo agmine erumpunt, sine equite, sine tormentis hostium castra adoriuntur, ueraq; uirtute cōsertis dextris, mirū dictu, peditatū cædunt, tormenta occupant, equitatum fundunt, ac semihoræ momento incredibili uictoria potiuntur. Gallis eo modo superatis, Piscarius reducendi Octauiani Fregosij negociū suscepit: huic enim Leo pōtifex mirificè fauebat, expetebantq; eum unū maxime Genuenses, qui laudum paulo antè ab Adurnijs pulsam ualde oderat, quoniam eius maxime cohortatione à fratrib. ipsius sanguinarijs hominib. Hieronymū Fliscum summæ nobilitatis uirū, dum senatu exiret, crudeliter interfectum fuisse existimabat: Nā Ligures quanq̄ inter se magno pere factiosi, nō cædibus, sed ciuili cōtentione inter se certare de principatu erāt soliti. Erat enim Octauianus bellica uirtute ac honestissimis item moribus illustris, Piscario etiā affinitate cōiunctus propter uictoriam uxorem, quae pariter uti Fregosius maternū genus ad Feltriam Vrbinatiū principum familiā referebat. Itaque tametsi Adurnios clientibus abundare,

copias parare, classe item Gallica, & toto eo præsi-
 dio atq; apparatu Gallorum qui in arce erat, egregiè
 iuuari ab exploratoribus audiebat, nihilominus eun-
 dū esse iudicauit. Videbatur enim ea expeditio pro-
 pter itinerum & rerum omnium difficultates, cum la-
 boris, tum decoris esse plenissima, Erat exercitus per-
 conualles Scruuie (hunc Ratum antiquitus fuisse arbi-
 tramur) impediti & maximè uorticosi amnis, et per
 abrupta Apennini latera angustis & præcisissimis calli-
 bus traducendus. Mōtani Ligures feri, bellicosiq; ho-
 mines, iuga montium & notissimos saltus infederant,
 modò à fronte, modò in latere & tergo repentinis
 decursibus sese ostentabant, ita tamen ut truci clamo-
 re potius terrere, quàm adoriri agmina uiderentur:
 namq; Piscarius expeditis delectis militibus, in primo
 nouissimoq; agmine constitutis, qui sermè omnes erāt
 sclopettarij, receptisq; in medium impedimentis, quæ
 perpauca erāt, tanta disciplina agmen ducebat, ut ne
 unum quidem militem ordine excedere pateretur, et
 equites cuncta lustrare oculis præcurrendo, & pas-
 sim referre quæ uidissent, non temerè confertis mani-
 bus redire præciperet. Siquidem per notos calles &
 per compendia uiarum noctu confectis itineribus, Li-
 gures ubi illuxisset, cōtinuò aderant, & ad occasum
 usq; Solis, in conspectu sæpe eminus, rarò autem co-
 minus præliabātur. In his periculis facile uitandis, ma-
 ximè ea quam diximus, adiumento erat disciplina, se-
 uerè & penè crudeliter ab ipso Piscario, qui ex mini-
 mo quoq; delicto grauem poenam exigebat obserua-
 ta. Accidit enim, quòd minimè prætermittendum ui-
 detur,

detur, ut cum Hispanus miles ad eum esset perductus, qui in proximam casam non minus auidè quàm arroganter, aut commeatus, aut ignobilis prædæ petendæ causa diuerterat, ipse ei poenæ loco auriculâ abscondi iuberet. Quum uerò Hispanus reclamaret, se non eam ignominiam esse laturum, sed potius ipsa morte satisfacturum, Piscarius obsequamur, inquit, huic militi tam egregiè decoris auido, cumq; statim frustra reluctantem laqueo ad arborem suspendi iussit. Iam ad decimum Pontem superato iugo peruenerat, quum Adurnij & Flisci, siue terrore imminentis exercitus adducti, siue ciuū diffisi studijs, qui cogitationes suas non ad factionis insaniam, sed ad publicam salutem reuocabant, consilium inierunt plenum æquitatis atque modestiæ ciuilibus, urbe scilicet excedendi, ne in dubia armorum cõtentione, si pertinacius obsistere uellent, fortunas ciuitatis in periculū summæ calamitatis adducerent: cuius consilij autorem fuisse constat Hieronymum Adurniū, iuuenē singulari animi uirtute præcellentem. Othobonus etiam Fliscus, uir sacratus & Sinibaldus qui paulo antè, cædem Hieronymi fratris præclarè uindicarant, Ludouico & Zacharia Fregosij fratribus in tumultu occupatæ urbis occisis atque discerptis, uti pacati iuuenes & ex priuata causa potius quàm publica factiosi, non existimarunt sine iusto præsidio cum Hispanis atq; Fregosijs esse dimicandum. Ita sine uulnere confecto bello, Octavianus Fregosius est introductus. Is cū ciuibus & in senatu egit, ut Piscario octuaginta milia aureorum nummum stipendij nomine præberetur. Ipse ut lanum Fregosium

principatu exclusum, aliquo munere leniret, Saouone
 eum cum prætorijs insignibus præfecit. Inde conuer-
 sus ad obsidendam arcem, quæ tormentis nauigia por-
 tumq; uexabat, post aliquot menses fame perdomitã
 recepit, & singulari animi magnitudine in signũ re-
 cuperatæ libertatis funditus euertit. At Piscarius re-
 bus Genuæ ex animi sententiã constitutis, retrò agmen
 uertit, & ad bellum Venetum est profectus. Iam Li-
 uianus & Baleonus Gallorum sociorum infelicitate
 permoti, qui ad Nouariam uicti, continuo in Galliam
 profugissent, desperatis rebus relicta Cremona, trans
 Ollium amnem se receperãt, tentatãq; ex itinere Ve-
 rona egregiè defendentib. eam Germanis, in Patavinum
 & Taruisinum agrum concesserant. Decretum
 enim erat foederatorũ omnium consensu, Venetos bel-
 lo persequi, qui cõmutata uoluntate, ob acceptas in-
 iurias Gallicum nomen cæteris fermè omnibus Euro-
 pæ principibus inuisum sequebãtur. Susceperat pau-
 lo antè causam oppugnandi pontificis Ludouicus, ut
 ambitiosus & turbidis aliquot Cardinalibus indico
 concilio deseruiret, & subinde totius Italiæ imperiũ
 arriperet, depresso utiq; sublatoq; Iulio Põtificè, qui
 unus ingenio ferox, & diuino profanoq; iure inex-
 haustis uiribus potens, libertatem ecclesiæ tuebantur.
 Ob eas causas Leo pontifex Iuliana secutus consilia
 aduersus Venetos auxilia mittebat, sensibusq; omni-
 bus cum Hispano rege ipsoq; Casare ac Heluetijs et
 Henrico rege Britannia erat coniunctus. si omnes uno
 tempore Gallo & Veneto terra mariq; bellum infe-
 rebant, nobilissimorum regnorum opes funesta qua-
 dam in-

dam insania lacerantes, quando ea arma à leuibus di-
 scordiarū iniitijs temerè sumpta, iustè deponi, aut cer-
 tè gloriosius in Turcas uerti potuissent. Nā tum for-
 tè Othomannorum domus Selymi scelere & parrici-
 dio, tota ferè cōuulsa radicitus, Christianos reges ad
 longè omnium pulcherrimam suscipiendā sacri belli
 occasionem, non dubiamq; uictoriam inuitare uideba-
 tur. Igitur Cardonio Prosperoq; Columna et Piscario
 ducibus, exercitus in Venetiā ductus, adiunctis Ger-
 manorum cohortibus & pontificijs alis. Ex itinere
 Piscariam oppidū quod est ad exitum Mincij amnis
 ex Benaco lacu, Piscarius expugnauit. Liuianus in-
 terea deserta Vicentia, Patauiio se tenebat: Taruisium
 tuebatur Baleonus, & per leuis tantum armaturæ
 equites bellum gerebant. Contrā hostes agrum nobi-
 lissimæ fertilitatis effusè populati, usq; ad Patauina
 moenia ferebantur. In his equestribus prælijs Vene-
 tus sæpius superior euadebat: interceptusq; est à Mer-
 curio Epirotarum præfecto Caruial nobilis dux Hi-
 spanus, qui ad Rauennam postremæ aciei præfuerat.
 Cæterum quum neq; Patauium urbs egregiè munita
 faciliè oppugnari, neq; hostes ad prælium elici posse iu-
 dicarent, et iam subesset autumnus, Medoacū amnem
 qui hodie Brenta dicitur, transire statuerunt, rati ut
 postea euenit, Liuianū impigrū ducem, seruido auda-
 ciq; ingenio pugne auidum, copias in aciem confestim
 educturū, ubi primū exuri tecta, cædi, capi q; agrico-
 las & armenta abduci cōspiceret. Itaq; Medoaco pon-
 te superato, Germani Hispaniq; effusi per agrū, Bar-
 bara crudelitate cuncta uastant. Villas regio sumptu,

longa in pace à Venetis patritijs edificatas incendunt, usque adeò audacter impuneq; progredientes, ut è præaltis sacris turribus à Veneto populo ea seuat incendia spectarentur: Hispanus præda sese ad satietatem repleuit, Germanus uerò feritate animi crudelior, ferro & flammis usquequaq; est debacchatus. Prominet in mare apud Margarium uicium agger in lingue similitudinem exporrectus: in eum locum tormenta sunt conuecta, displosaq; sic, ut pila ferrea præter illum maris tractum ad ipsas usq; Venetias peruenirent, Non tulit eam ignominiam fortis senatus, statimq; Liuiano id maximis precibus impetrante perscribit, ut confestim copias educeret, Baleonũ à Taruisio accitum sibi adiungeret, daretq; operam ut iniurias à Barbaris acceptas, si se offerret rei bene gerendæ facultas, pari crudelitate uindicaret. Hoc accepto senatusconsulto Liuianus aduocata concione, milites est cohortatus, ut fortibus animis secum aduersus hostes præda onustos, interclusos fluminib. & in uijs admodum lutulentis & lubricis implicitos proficiscerentur, dignamq; Italico nomine operam præstarent, nec prædones Barbaros qui immansi seuitia feras anteirent, inultos elabi paterentur, acclamantibus uniuersis, & se deuotis animis atq; corporibus secuturos esse pollicentibus, signa sustulit, et ad Medoacũ in ulteriore ripam summa celeritate contendit: eo consilio ut redeuntes annis trãsitu prohiberet, inclusos fluminibus circumstendo enecaret fame: aut cum his si uim facerent, & erumpere in pacatũ uellent, equissimã cõditione decertaret. Erant in Liuianis castris septingenti

ptingenti fermè cataphracti, paulo minus duo mille
 leuis armaturæ equites, peditum septem milia, ma-
 gnusq; curculium tormētorum apparatus. Itemq; ac-
 cedebat ad eum numerum Sacramorus Vicecomes,
 qui superatis ad Nouariam Gallis, Ticino exclusus,
 in Venetiam circiter septingentos equites, equis &
 armis egregiè instructos adduxerat. Præterea exciti
 erant agrestes ad quos Paulus Manfronus, uir milita-
 ris erat præmissus, qui inconditam multitudinem ra-
 tione consilioq; regeret, nullamq; præmitteret oc-
 casionem à tergo inuadendi hostis, quum eum saltibus
 & fluminibus impeditum, uel inito prælio occupatum
 esse conspiceret. Hæc administrante Liuiano, Cæsa-
 riani incendijs finem imponunt, pretiosiore tantum
 prædam conuectant, & ad Medoacum coacto agmi-
 ne reuertuntur, ubi Liuianus in ulteriore amnis ripa
 castra posuerat. Proponebatur maxima difficultas
 statuendi pontis in cōspectu præsertim hostis, qui tor-
 mentis idoneo in loco collocatis, exitium transire co-
 nātibus è proxima minabatur. Itaq; Cæsariani intem-
 pesta nocte silentio copijs eductis, & relicta leui tan-
 tum armatura equestri, quæ frequentes excitaret ig-
 nes, & speciem præsentis exercitus redderet, ad supe-
 riora fluminis uada cōtendunt, ludificatiq; Liuianum
 flumen transmittunt. Equitatus omnis in unum agmen
 conglobatus, superiore loco in amnem se coniecit, ut
 profluentis impetus ea obice frangeretur, leniorq; a-
 quarum uis & humiliora uada transeuntes cohortes
 exciperent. Ibi Piscarius dimisso equo, armatus ante
 primos ordines cohortādo, & alacriter dubitantes in

uitando, in alteram ripam euasit: ita tamen ut milites
 humeris atq; pectoribus tantum eminent. At ubi dies
 illuxit, discessumq; hostium detexit, Liuianus primo
 consilio depulsus, ad præoccupandas proximorum col-
 lium angustias est profectus, per quas unum omnino
 iter Casarianis relinquebatur, si recta Veronam Vi-
 centina uia redeundum esse iudicarent. Distat is lo-
 cus ab urbe Vicentia tertio miliari, prope eum ui-
 cum, cui à putula & diffusis ramis latè opæca arbore
 Ulmo nomen est. Ibi Liuianus præciso transitu, subita
 rioq; opere perductis fossis tormenta constituit, atq;
 ita uti erat rerum bellicarum egregiè peritus & ue-
 hemens transitum præsepsit, ut nemo esset adeò rei mi-
 litaris ignarus, qui non putaret insanos fore hostes, si
 illac omnino transire conarentur. Porro si euadendū,
 reflexo itinere, per montana atq; aspera Bassiani sal-
 tus existimarent, apparebat eos iter fugæ simillimum
 arrepturos, amissisq; impedimentis, uti planè uictos &
 pristina exutos dignitate, persequentibus agrestibus,
 Fortunam penè uel aduerso prælio duriolem esse su-
 bituros. Iam in conspectum hostium Casariani perue-
 nerant, cõstitutisq; tentorijs adeò Venetis propinquo
 loco confederant, ut hinitus equorum hostilium, &
 castrorum fremitum audirent, & à Liuiano frequen-
 tibus tormentis, & superiori loco facillè peterentur.
 Tum uerò in ea rerum asperitate equites depressiora
 loca, aut ingentes arborum stipites, quibus sese prote-
 gerent queritare: pedites autem prona corpora humi
 sternere, ut præteruolantes pilas euitarent: omnes se-
 rè gregarij animo consternari, & dirum omnino exi-
 tum exa-

tum expectare. At ingruente nocte, uno edicto ignes totis castris extinguuntur, ne quid hostis, quo certius tormenta dirigere posset in perobscura nocte conspiceret. Inuaserat militum animos quidam nec ab inani quidem metu horror insolitus, omnesq; unius maxime Prosperi consilium, & Piscarij operam requirebant: quasi ille unus qui ea pericula denunciando profectio- nem improbarat, eas quæ immineret difficultates, salutare prudentia, hic uerò qui eas contemneret, forti ausu feliciter esset superaturus. Prosper enim tametsi nomen imperij penes Cardonium esset, cum ætatis honore, tum inueterata quadam authoritate cunctos anteibat. Itaq; cum ad eum ducum & centurionum omnium fieret concursus, carros prædamq; omnem deponi & concremari iussit, testatus fore ut postero die insigni uictoria potirentur, si retrocedentib. ipsis Liuianus insisteret, & præpropere ardentiq; ingenio, uti alijs bellis consueuisset, urgendo & prouocando periculosam prælij aleã subiret. Ceterũ Piscarius cum sarcinæ cremarentur, ad eò elato sermone eius tanquã ignobilis facti consilium uituperare est uisus, ut diceret, nequaquam tales esse milites, ut uel pretiosissimã prædam decori & ueræ laudi anteponendam existimarent, quando ea esset omnium uirtus; ut duplo maiores etiam hostium copiæ facillè contemni & superari posse uiderentur: quibus alacribus uerbis, quasi felicem futuri prælij euentum prouideret, non modò certa spe salutis, se præceptæ exploratæq; uictoriæ, lætitiã militũ omnium animos implebat. Eam nocte dies excepit à crassiore caligine, ut fermè semp depressis

& aquosis accidit in locis, maximè nebulosus, tanta
 aeris densitate, ut quum motis castris Cæsariani con-
 uersis ordinatim agminibus, retrò ad Basianam uiam
 reuenterentur: id Liuianus neq; ex superiore cliuo spe-
 culari, neq; per emissos ad ipsa usque hostium princi-
 pia equites, quicquam de eorum discessu presentire
 potuerit. Erat ei reconditum in intinis animis recessi-
 bus summæ prudentiæ decretum, nolle hostem, nisi ex
 æquissimo loco prouocare, quoniam Hispanos pedites
 ueteranos & Germanos maximè conferta phalange
 pugnare solitos, quibus Itali disciplina & uiribus es-
 sent inferiores, magnopere formidaret: quanquam eos
 palàm elatis uerbis iactabundus, ut suorū animos ma-
 gis accenderet, despiciere uideretur. Erat enim seipso
 cautior et consideratior factus, pluribus scilicet ictus
 uulneribus, quum sui sepius periculū improspere se-
 cisset. Supra enim omne numè in bello Fortuna, incon-
 sulti impetus & temeritatis præclara castigatrix esse
 conspicitur. Sed fato prudentia minor ea die nequitia
 quam Liuiani animum ratione præsepsit. Is enim na-
 tura repentinus duorum temeritate, ueteri suo propo-
 sito depulsus, secus ac ipse statuerat, in prælium de-
 scendit. Duobus agminibus Cæsariani abibant, Car-
 donius antecedebat, Prosper in postremo agmine ubi
 erat pugnandum, alloquendo & componendo acies
 uersabatur, sed frontem cum Hispanis Germanoq; pe-
 dite Piscarius hosti & periculo proximus obtinebat,
 tanto ordine pedem referens, ut modico flexu arma
 oraq; militum, nihil dissoluta acie, in hostem, si laceffe-
 ret, celeriter esset obuersurus, Præmiserat Liuianus
 cum

cum leui armatura equestri, duobusq; minoribus tor-
 mentis Bernardinum Antiniolam sororis filium, iu-
 uenem impigrum, qui nouissimos carpendo, iterq; ex-
 plorando perse queretur. Iam enim nebula sensim eua-
 nescente, & satis claro undiq; prospectu, Casariani
 retrò abire nunciabantur: nec propterea quicquã Li-
 uianus, ut ab angustijs munitoq; loco in plana copias
 deduceret, omnino comouebatur, ratus non iusta acie
 sed tumultuarijs et minutis prælijs ex tuto hoste per
 aspera euadentem loca esse retardandum, ut inedia
 laboreq; & uigilijs fatigatus, agrestium circumfuso-
 rum multitudini delendus præberetur. Sed Antinio-
 la ardentius in postremos prouectus, cum Germanis
 equitibus uehementè pugnam excitauit, in qua cum
 repulsus tormenta deseruisset, euocatis in auxilium
 alijs atq; alijs turmis, redintegrata contentione recu-
 peratisq; tormētis, ita Germanos propulit atq; cæci-
 dit, ut Prosser equitatum consistere, & Germanis in
 fugam coniectis, per medias turmas transitum dari in-
 beret, ne integram aciem tumultuosius miscerent, &
 Piscarius summa animi alacritate directa acie cohor-
 tes in hostem conuerteret. Erat apud Liuium An-
 dreas Lauredanus Venetus legatus, uir uehemens,
 nec minus uindictæ quàm gloriæ auidus, sed rei belli
 cae profusus imperitus. Is quum prospera undiq; de an-
 tecursoribus nunciarentur, ad prætorium contendens,
 uti erat acribus spei & doloris affectibus magnope-
 re concitatus. Quid cunctaris, inquit, imperator, ho-
 stes effugiunt: uictoria certa et insignis è manibus ela-
 bitur: perfidia potius hæc erit quàm ignauia, si diu-
 tius

tius cuncteris : nec opinio tolli poterit, nisi extemplo
 signa canere iubeas & fugientem perturbatumq; ho-
 stem cum uniuersis copijs cōsesteris. Ad ea Liuianus
 siue falsa parata uictoriæ specie deceptus, & propte-
 rea ad naturam pugnacis ingenij faciliè reuersus, siue
 uti postea prædicabat, iam uelut parata accusatione,
 nisi confligeret iudiciū senatus ueritus, Pareamus, in-
 quit, famæ & legato, uel contra rationē, ne nobis uti
 nimis sapientibus imperitorū suffragijs sit conciden-
 dum, atq; ita exercitū eduxit, instructaq; triplici acie
 præproperus & ferox ad hostes contendit. Erat An-
 tonius Pius ad laeuam, ad dexterā uerò Baleonus cum
 Gritto legato, quibus priore consilio persequendi &
 laceffendi hostis ab utroq; latere munus erat iniun-
 ctum. Ipse Liuianus uia lata utring; consitis arboribus
 ad lineam directā, grauis armaturæ equitum & ante
 alias nobiliorū alam induxit, pari frōte peditatubine
 & inde producto. Pugnatiū est ab equitatu Veneto ue-
 hementissimè, pari constantia sustinentibus Casaria-
 nis, in queis erat ante alios Troilus Sabellus: sed pedi-
 tatus Venetus uix primū Hispanorum & Germano-
 rum impetum ferre potuit, ita ut fœdissimè proiectis
 hastis priusquam ad hostem perueniret, in fugam sit
 effusus. Initio trepidationis & fuge factō à Baliona-
 nis cohortibus quæ erant ex Anemonis ualle, reliquæ
 fermè omnes turpissimè terga uerterunt, quanq̄ sum-
 mæ uirtutis Centuriones deterrendo & castigādo, ne
 tantum dedecus admitterent, conuersos in fugam re-
 tentare conarentur, & incredibili constantia in pri-
 ma acie depugnarent. U. erant ante alios Alfonso Mu-
 tus Pi-

tus Pisanus, Bernardinus Aleccius, Seraphinus Cal-
 lia, & Baptista Doctus Patavinus, qui inuadente pre-
 menteq; Piscario cum fortissimorum militum manu,
 quam ex singulis centuriis delectam prætoriae ueluti
 cohortis loco sibi adiunxerat, ad unum omnes sunt in-
 terfecti. Quum in hos uehementius repugnantes Pi-
 scarius ante alios dimisso equo prætentâ longiore ha-
 stâ impetum faceret, respectans, caue te cõmitones,
 inquit, ne me peruadente in aduersam aciem, & si id
 fatum dederit honestè cõcidentem, hostium potius pe-
 dibus quàm uestris proculcandâ relinquatis. Ad ea mi-
 lites alacriter succlamarunt, ut bono animo ire per-
 geret, se enim uel ipsi duci egregiè parendo, uel cont-
 militoni fortia audendo summæ uirtutis Laudem esse
 quæsituros. Nec eorum mutuas spes euentus fecellit,
 nam ea præsertim impressione, initium non dubie ui-
 ctoriae, uel ipsi hostes ortum esse scitebantur. Fuso pedi-
 tatu Hispani Germaniq; utrinq; equitatum acerrimè
 dimicantē inuadunt atq; prosternunt. Funditur etiam
 & capitur Baleonus in palustrem campū impruden-
 ter delatus, dum uiae compendio properantis Liuiani
 cursum æquare cõtenderet. Antonius quoq; Pius tota
 sua acie turbata, & cæco metu cõiecta in fugã cum
 honestè cadere posset, aufugiens dum Bacchilionē am-
 nem quem Togisonū antiqui uocarunt, tranat, armo-
 rum pondere pressus ignobili morte submergitur. Por-
 rò Sacramorus Vicecomes, Hermes Bëtiuolus, & Con-
 stantius Pius, Antonij filius, Meleagerq; item à Foroli-
 uio, Carolusq; Montonius, et Fraciscus Saxatellus ala-
 rum præfecti in acie cadunt. Ipse Lauredanus legatus

funestus committendi praelij author, dum ingens auri
 pondus distrahentibus Hispanis promittit, ab inermi
 lixa iugulatur, Grittū uerò pernici equo tumultu ela-
 psus, Vicentini quum demissa portæ cataracta ni-
 si magno molimine subduci posset, in murū extraxe-
 runt. At Liuianus perditis rebus, frustra à aciem repa-
 rare conatus, superato Eretano amne, deos uti Italico
 nomini nimium infestos sæpe incusans, Pataviū con-
 tendit: Qui uerò ad Bacchilionem uado & ripis im-
 peditum, nec planè tamen aquis tumentè ex fuga per-
 uenerunt, aut profluentis gurgitibus sunt absorpti,
 aut in ipsa cunctatione tranādi amnis, dum alieno pe-
 riculo moniti humiliora uada quæritant, persequen-
 te hoste perierunt. Cecidere ex Venetis circiter septē
 milia propè sine ullo uulnere Cæsarianorū: nam duo
 tantum uiri insignes ex ala Columnia sunt desiderati,
 Eberardus scilicet Corneus signifer à Perusia, & Ca-
 millus Maximus Romanus eques, raræ in idolis adole-
 scens: nullus enim unquam exercitus uel turpiore exi-
 tu confligit, uel minore uictoris hostis incōmodo eta-
 te nostra superatus est: ita ut Piscarius in ipsa uicto-
 riæ gratulatione, Veneti militis ignauiam detesta-
 tus, palàm diceret se plurimū dolere, quòd terræ Ita-
 liæ quæ tam imbelles ferret milites, à maioribus suis
 esset insertus, quo dicto sibi tum & postea apud Ita-
 los occultam inuidiam parauit. Nam Piscarius secus
 ac Alfonsus pater qui Hispanorum ingenia penitus
 oderat, despectis Italis cum quibus nunquam nisi Hi-
 spanicè fastidito patrio sermone loquebatur, unis tan-
 tum Hispanis indulgentissimè fauere, atq; his honores
 uberio-

uberioraq; stipendia, praefecturas tribuere erat solitus, siue quòd spectat & felici eorum uirtuti omnia largiēda esse iudicaret, siue quòd una maxime liberalitate ac indulgentia, illos sibi complectendos arbitraretur, per quos clarissimum ante omnes militia nomē esset adepturus. Parta uictoria eos quos diximus è singulis centurijs delectos, uti quisq; in prima acie strenuè operam nauarat, ad superiores ordines, ad aucto stipendio prouexit, & ante alios Ioannem Mancium qui laterè semper adhaeserat, & longefortissimè fuerat praeliatus, ueterane cohorti praefecit, alijs aut alias cohortes, aut uexilla ferenda honoris & praemij causa continuo tribuit, & ceteros deniq; militaribus donis & perpetuis muneribus est prosecutus. Quae omnia uti ipse singulari iudicio praescripserat, Rex Ferdinādus rata habuit, ea fide ut hodie quoq; in questorij uoluminibus eorum militū nomina qui Vicentino praelio in fronte pugnantes admirabili uirtute uictoriam peperissent, diserte sint notata: ad quorum facto functorum loca, alij successores uti meruerint, manente adhuc insignis eius praemij memoria Ducum iudicio traducuntur. Inter captiuos repertus est Otho Vicecomes Sacramori fratris alicuius legatus. Is superiore anno cū Astore fratre audaci turbidoque iuene, Mediolani ante Triuultianas aedes nocturna in rixā petulanter Piscarij familiā fuerat adortus, in quo tumultu ipse Piscarius dum iurgium sedare properaret, capite uulnus sustulit, & Pomarrus equitum praefectus uir insignis, fuit interfectus. Hunc quum Mancius Pomarri quondam signifer iusto dolore cōcitatus, con

fodere & Pomarri manibus eius sanguine parentare
 properaret, Piscarius extemplo restitit, ne foedum fa-
 cinus admitteretur, singulari animi magnitudine ini-
 micissimum hominem & ex merito de uita desperan-
 tem non modo conseruans, sed in ea quoque calamita-
 te opportunis donis afficiens, praeclare testatus cle-
 mentiae fructus apud excelsi animi uirum & ueri de-
 coris auidum, sibi uideri omni uel iure exacta uindi-
 cta proculdubio dulciores. A tanta uictoria Caesaria-
 ni quoniam iam hyems suberat, neque Patauium, aut
 Taruisium modico apparatu uel mediocribus copijs
 facile posset oppugnari, in hyberna concesserunt ad
 Ateste & circa Athesim, ubi complura erant oppida
 plena rerum omnium copijs, ad alendum exercitum
 ualde opportuna. Sequenti anno ad prima Veris si-
 gna Liuianus, qui exercitum inuicto ad omnes cala-
 mitates Veneto senatu, repararat, in Foroiulienses cu-
 expeditis copijs est profectus. Nam Caesariani qui su-
 pra Iulias Alpes & Carnorum montes incolunt, duce
 Christophoro Francapane, prouincia incursionibus
 euastabant, oppida pleraq; ceperat, & barbaro pror-
 sus more caedibus ac incendijs bellum gerebant. Erat
 cum ala equitum in Portonono oppido Ricianus Ger-
 manus, hunc Liuianus praemisso, qui ad portam excu-
 reret, Malatesta Baleono Pauli filio, facile elicit, cum
 eo Malatesta congregitur, uulneratum equo deturbat
 & capit, caeteri profligantur. Superuenit Liuianus,
 admotisq; repente ad muru tormentis, oppidum atq;
 arcem biduo redigit in potestate. Inde minima quiete
 militibus concessa Tiliauentu transgressus ad Oso-
 phiunt

phiū Hieronymi Sauorgnani oppidum quod à Frāca
 pane magnis uiribus oppugnabatur, summa celerita
 te cōtendit. Funditur Francapanis acceptoq; uulnere
 tormentis & copijs magna ex parte amissis, ad supe
 riores alpes profugit. Quibus rebus feliciter gestis Li
 uianus prouinciā per se Venetis fidam, spōte sese de
 dentibus populis recuperauit. Dum hæc gereret, An
 tiniola cū trecētis equitibus, qui Patauino & Vicen
 tino agro præsidio fore, ne quid in cōmodi intergo re
 ciperetur, ab ipso fuerat relictus, totā eam regionem
 ab Hispanorum incursionibus egregiè tuebatur, tria
 oppida maximè cōplexus Cittadellam scilicet, Bassia
 nū atq; Marosticā, ea ratione ut nihil diuisis turmis
 & cōmutatis itineribus circumequitando, regionē in
 ter diu percurreret, noctu autē in uno è tribus oppido
 moraretur, hac diligētia & repentinis excursionibus
 Hispanos deterrebat, quo pauciore numero minoreq;
 fiducia in proximis uicis prædarentur. In hanc curam
 Piscarius oculis atq; animo semper intentus per ido
 neos homines magnis præmijs inductos, itinera cōsue
 tudinemq; eius & momenta omnia diligenter explo
 rabat, ut dignā egregio facto occasionē posset adipi
 sci, qua detrimentum ad Portononū & ad Osophium
 nuper acceptū gloriantī nimīū de ea re Liuiano ex æ
 quata clade redderetur. Nec uigilāti Fortuna desuit:
 nā quū Piscarius circuentē de more agrū Antiniolanū
 Cittadellæ pernoctaturū esse didicisset, eum noctu ag
 gredi constituit. Nec mora consilio ad Cardonū dele
 lato atq; id ipso comprobante, ex statuiis castris dele
 ctas cohortes educit, & confecto per noctem itinere,

inopinātibus hostibus Cittadellā peruenit, subsequēte Cardonio ut rem gerentibus praesidio foret. Habebat secum Piscarius equites circiter trecētos, qui hisdem equis receptos totidem sclopettarios peditēs secū ad duxerant. In hos Antiniola uir acer & intrepidus repente erumpit, praelium committitur utrinque magna ui, magnoque tumultu. Pugnante ante alios Piscario equus interficitur, ipse desilit in pedes, arreptaque pedestri lancea, adiuuantibus maxime sclopettarijs, hostes intra portam compellit. Tormenta interim & reliquus peditatus superueniunt, his murus portaque concutitur, nihil tamen animo se demittit Antiniola, fortiter periculoso in loco repugnat. Ingressos Hispanos semel atque iterum egregie repellit: ex his interficitur Ferdinandus cognomento Niger, eximia uirtutis centurio. At Piscarius ubi nihil eo in loco profici uidet, edicit, ut uehementi pugna & magno concursu, ubi perfractus tormentis murus aditum ostendebat, hostes distineant, ceterum ad diuersam oppidi partem comportatis scalis nouum praelium accendit, milites summa alacritate scalas conscendunt, ipse in murum ingenti ausu post primum signiferum euadit. Erat introrsus tanta moenium altitudo quanta ferè exterioribus scalis ascendebatur. Cūstantibus cunctis & Piscario dum subeuntes praese urget ultero in genu gladij cuspide uulnerato, Romerius singularis audaciae uexillifer, quin se praecipit, altum in oppidum dimitteret, minimè dubitauit. Eum crura ex tam ingenti saltu sibi confringentem, Mācius est subsecutus, caeteri demissis lanceis per eas delapsi, in oppidum sese coniece-

coniecerunt: Tum uerò perterritis fufisq; hostibus Antiniola fauciato & capto, oppidum multis equis, multaq; rerum omnium opima præda repletum diripitur. Tanta re prosperè atq; celeriter confecta Piscarius cæximiam absoluti iudicij & uehemētis militaris laudè est consecutus: quibus duobus maximè naturæ subsidijs perfecti ducis authoritas egregiè sustinetur. Nec multò post exercitus in Patauinū agrum sese effudit, populando atq; uastāto uoluptuarias præsertim possessiones, quas superiore bello intactas reliquissent. Ea agrorum uastitas Liuianum Gradiscam oppugnare cogitantem ab incepto reuocauit. Is coactō exercitu ad Brentellis propè Patauiū opportuno loco posuit castra: Cæsariani uerò inter se diuisis copijs in oppida comæatu plena concessere. Piscarius cum peditatu Lendenariae constitit: ita compositus & communitus, ut etiam in proximo Bastiam præsidio imposito teneret. Equitatus Hispanicus fermè omnis à Garcia Mamrico Rodigium est deductus: Cardonius autem et Prosper itemq; Germani omnes Veronam abierant, ut cum Cæsarianis legatis de bello consultarent. Interea Liuianus quo nemo tum ducum uigilantior & promptior habebatur, noctes diesq; summa cura intentus in omnes gerendi belli occasiones, equitatū Hispanicum adoriri constituit: crebrò enim fiebat certior Hispanos magna cum securitate atq; licētia cum Rodiginis agere, ac nihil minus timere quàm hostiū aduentum quos toties sine uulnere profligassent. Itaq; intempesta nocte silentio castris egressus, Malatestā cum expeditis equitibus præmittit: imperat ut quos

in itinere uel in agris uiderit, properè cōprehendat, ne nuncijs quisquam de ipsius aduentu ad hostes perueniat. Erat tum fortè ea dies Rodigij mercatu celebris, ob id felici ausu Malatesta adaperitis & neglectis portis irrupit, cum inermibus & se tantum distinctis gladijs, & sagis ad leuas intortis defendentibus, prælium committitur. Succedunt mox cataphracti & expeditæ cohortes, quorum superuentu Hispani omnes cum Garcia duce comprehenduntur. Tanta re feliciter confecta, Liuianus ratus eadem celeritate Piscarium ad Lendenariam opprimi posse, si rei gestæ famam præcurreret, in eum equites conuertit. Verum Piscarius qui nunquam ullas uigilias & stationes, quieto uel remoto hoste superfluas existimare erat solitus, & tum maximè à Liuiano callido & uehementi duce cauendum esse prædicabat, hostes facile sustinuit & auertit, præmisso cum cohorte & duobus curulibus tormentis Ioãne Mancio, qui media militari in uia explicatis signis & displois tormentis in antecursores Venetos parati instructiq; exercitus speciem præbuerat. Ita Liuianus frustra petito Piscario una contentus uictoria in castra se recepit. Id facinus non minus consilio q̄ euentu felix Liuiano nomen dignitatēq; restituit, & exercitū equis supra mille eximijis prædaq; omnis generis & armis repleuit. At Piscarius ne peditatū omni equitum præsidio penitus exutum diutius in his locis ad insidias opportunis cōtineret, quadrato agmine Veronā celeriter est profectus. Sub id tempus Rencius Ceres qui Cremæ eruptione facta, noctu Syluij Sabelli castra illatis facibus

incende-

incēderat, Bergomū pulsus inde Hispanis occupauit. Quibus de causis Cardonius & Prosper ad Bergomū cum parte copiarū conuolarunt, ut ibi Rencium moenia munientem, imperantē pecunias, & sacro campano ere cōflato tormenta parantem, opprimerent. Erat tam Rencius ad extremas necessitates compulsus, adactisq; tormentis & murus erat perfractus, & munitiones adeò disiectæ, ut parum abesset quin urbs omnino caperetur. Sed Prosper qui nequaquā urbiū excidijs & militum cæde gaudebat, atq; ita gerendum bellum iudicabat, ut demum sublatis hostibus letissima pace frueretur, Bergomatib. Rencioq; pepercit, ipsoq; cum præsidio Cremam dimisso Bergomates pecunia multauit. Porro Liuianus de Cardonij & Prosperi profectio certior factus, Veronā uersus, & sinistrorsus ad Alieniacum Athesis pontem castra promouerat, sic ut Piscario in unam intentus occasionem opprimendi peditatus imminere uideretur. Verū Piscarius Alarcone cum equitibus sibi adiuncto, & cohortibus omnibus Verona eductis, ad montem Silicem est profectus, eo consilio ut Liuianum ultra Athesim infesto exercitu arma circūferentem Patauiō & ueteribus castris excluderet. Interim Liuianus quum multorum literis Rencium amisso Bergomo pulsum fuisse, & subinde Cardoniū, Prosperumq; Columnnam per Mantuanorum fines aduentare didicisset, institutam belli rationem incredibili consilio commutauit, eluso planè Piscario qui fluminibus inclusum opprimere, aut omnino tormentis exuere se posse crediderat. Impositis siquidem in naues tormentis, & ma

gna parte militum per continentes ac inusitatas palu-
 des ad caput aggeris secundo Athesi in Hadriaticum
 euasit. Euadenti tamen ea inopinata nauigatione,
 haud mediocre detrimentum facile potuit inferri, si
 Corberia Hispanus equitum praefectus, uti Piscarius
 subtili admodum coniectura adductus praeeperat, lo-
 cum in ripa amnis maximè opportunum celeriter occu-
 passet. Nec multo post, ut negligentiae uel ignauiae de-
 lictum, si non atroci, insigni tamè ad exemplum poena pu-
 niretur, Corberiam ignominia notauit, atque ei turmam
 equitum ademit. Dum haec in Venetia geruntur.
 Ludouicus rex Gallorum rebus cum Henrico Britan-
 niae rege compositis, atque eius sorore in matrimonium
 ducta, dum nouis nuptiis iam senex intemperanter in-
 dulget, febricula consumptus exstinguitur, statimque
 Franciscus eius gener florentis aetatis ac ingentis spi-
 ritus iuuenis imperium cepit. Is gloriae bellique audius
 cohortante Triuulio atque iter insolitum ad Coelias
 alpes commonstrante, in Italiam transgressus incredi-
 bili celeritate, et Heluetios in gaetras transitus alpium
 frustra obseruantes decepit, et Prosperum Columnam
 cum toto ferme equitatu oppressit. Venerant auxilio
 Sfortianis Heluetiae legiones ob disciplinam atque insi-
 tam feritatem insuperabiles, si animorum consensus
 accessisset: plerique etenim uel suo opte ingenio inducti,
 uel regia corrupti pecunia, ita Gallis fauebant, ut pa-
 gorum trium duces aperte recusarent, se contra re-
 gem praelio dimicatuuros. Quibus de causis fiebat, ut
 Cardonius atque Piscarius qui in Placentinum agrum
 uniuersas copias adduxerant, Padum transire uererentur.

tur. Quid enim erat stultius, ut Piscarius apertè prædicabat, quàm incertas infide & semicorruptæ gentis sequi uoluntates? copiasq; omnes & regnum denique Neapolitanum, si aliquod ab hoste tam propinquo uulnus eo præcipiti consilio acciperetur, in summum discrimen adducere? Erat quoq; Placentiæ Laurentius Medicus cum Pontificio Florentinoq; exercitu, impellentibus quibusdam ex numero amicorū & Florentinis maximè legatis, in partes Gallicas proclinator, quanguam Gorius Placentiæ præfectus, fide et usu rerū insignis, honestiora & decora præclare suaderet. Eo modo dum cunctantur, & Pado ponte constrato, quinam primi transire amnem deberent, ignobili & scæda contentione decertarent, secus ac ipse Leo pontifex iubebat, pulcherrimæ occasione defuerunt: siquidem Heluetij concitante turbam militum Sedunense Cardinale, quanguam ab Hispanis & Pontificijs desererentur, Mediolano repente eductis signis, castra regia ad quintū lapidem Laudensi uia sunt adorti: tantaq; irarum & uirium mole cōcursum est, ut continuato per noctem & sequentem diem ualde truento ac ancipiti prælio dimicarent. Ad extremum Heluetij uecordi impetu & Barbara temeritate in aduersa tormenta peruadentes, à circumfuso undique numerosissimo equitatu cæsi fusiq; sunt. In eo tumultu admodum repentino rex ipse manu promptus & armis insignis, quum in mediam hostium phalangem equum adegisset, parem summo periculo laudem, omnium consensu promeruit. Liuianus quoq; trans Ab

duam annem raptato exercitu Veneto, Gallis haud
 ferum auxilium tulit. Heluetijs ingenti praelio supe-
 ratis, & continuo Comensi uia domum redeuntibus,
 omnes Galliae Cisalpinæ ciuitates Francisco deditio-
 nem fecerunt. Leo autem pontifex ea pactione pa-
 cem redemit, ut Parmam atq; Placentiã relinqueret,
 quæ urbes Iulius pontificio imperio adiecisset. Qui-
 bus de rebus Cardonius atq; Piscarius retrò conuer-
 sis signis ad tutandum Neapolitanũ regum cum uni-
 uersis copijs in Campaniam & Apuliam concesserunt.
 Conuenire demum Bononiæ Leo pontifex &
 rex Franciscus, qui inter se occulta sœdera pepigere.
 Nec multis inde diebus Ferdinandus Hispaniæ rex
 moritur, relicto hærede tot regnorum Carolo ex filia
 nepote, qui postea suffragijs Germaniæ procerum im-
 perator est appellatus. Is admodum adolescens Caro-
 li Ceurij Belgæ nutricij consilia secutus, cum Gallo
 pacem necessariam potius quàm honestam ad Nouio-
 dunum legatorum conuentu habito confecit, in quam
 & ipse Maximilianus Cæsar auus facile consenserat,
 quum Brixiam & Veronam urbes à Gallis & Vene-
 tis oppugnatas, accepta pecunia eductisq; præsidijs
 Venetis reliquisset. Ex eo sœdere Neapoli manauit
 in uulgus fama Carolum uti multis circumuentũ diffi-
 cultatibus, & præsertim ad eundem Hispaniæ necessita-
 te compulsus, postulante Gallo rege concessisse, ut re-
 gni proceribus qui Andegauensium partium fuissent,
 & iure belli oppidorum possessiones amisissent, lice-
 ret novos dominos in iudicium uocare, suscitatis anti-
 quis litibus, quibus Ferdinãdus rex Hispaniæ aquis-
 simo

simo salutariq; decreto finem imposuisset: cauerat enim summi iudicij rex, ut rata esset liberalitas Aragoniorū regum, qui fidelibus et de se benemeritis præmia ob nauatā strenuē operam gratissimo animo tribuissent. Ea fama Andegauensium regulatorum animos in spem erexerat, amissa quondam aduerso bello oppida beneficio noui foederis iure & legibus recuperandi, quum nemo diffideret de litis euentu, agendo & largiendo si ciuili iure disceptaretur. Ex aduerso Aragonij procures quorum fortunas ea res penitus euertebat, cōsternatis ad arma animis, eius iniuriæ indignitatem uix ferebant. Quid enim uideri poterat iniquius, quā eos qui toties pro imperio Aragoniorum contra Gallos in dubia rerum Fortuna dimicassent, nouis & periculosissimis litibus inuoluisse? in eorum præsertim gratiam & insigne commodum qui ueteri studio ac aperta uoluntate, se Gallico nomini haud obscure fauere profiterentur. Eo modo perturbatis et suspensis rebus decreuere utrinq; procures, ut unus pro ciuitate legatus ad Carolū mitteretur. Nec dubiū erat quin ipse Piscarius propter eximiam ingenij grauitatem atque solertiam, & dicendi facultatem, ante alios omnes maximè esset idoneus. Sed Andegauenses usque adeo eius uim atq; facundiam metuebant, ut quemlibet alium mittere, quā illum mallent, nec improbare tamen auderent. Verū Piscario collegam dandum esse censebant, rati illum qui adeo ingentes & elatos spiritus ferret, adiuncti collega indignitate commotum, extemplo repudiaturum id munus, atque ita alios, uel remissioris ingenij, uel propensio-

ris animi legatos esse creaturos. Cum magna alterca-
 tione in publico concilio orationibus habitis, utrius-
 que factionis proceres uehementissimè contendissent,
 Piscarius tanta ui grauitateq; locutus est, ut Fabritius
 & Prosper Columnæ, qui antea pro Aragonijs dixe-
 rant, militari subagressi q; eloquentia fuisse prorsus
 ostenderet, & cōtra Andreas Matthæus Aquauinius
 & Traianus Caracciolus Andegauenisium princi-
 pes, etate prouecti prudentiaq; & literis insignes,
 eius iuuenis flagranti oratione obruerentur, quum
 unum tantum legatum mittendum esse uiuis ac il-
 lustribus argumentis efficacissimè demonstrasset. Ita-
 que consensu totius concionis perucit, ut quando u-
 nus esset mittendus, ipse ante alios mitteretur. Vix
 enim credibile erat, cum qui in militaribus negocijs
 adolescentiam contriuisset, tantum eloquentia profe-
 cisse, ut uel offensorū animos quò uellet feliciter pro-
 moueret: quasi non in morum studijs, sed in Rhetorū
 præceptis omuem etatis operam consumpsisse uide-
 retur. Igitur suscepta legatione ad Carolum in Belga-
 rum fines ad Oceanum peruenit. Res acta est in con-
 cilio regio tanta grauitate, ut facile persuaserit Ferdi-
 nandi regis decreta nequaquam antiquari posse, nisi
 cum nefario ingrati impij q; animi scelere, & scæda to-
 tius regni conturbatione. Ea re feliciter impetrata,
 quum ex legatione in Italiam rediret, Carolus ob res
 quas fortiter gesserat, ei imperium totius peditatus,
 quòd auus Ferdinādus antea tribuerat, amplissimis co-
 dicillis confirmauit. Quum Neapolim esset reuersus,
 ciuitatem uniuersam in se unum militari simul & ci-
 uili

uili gloria florentem ita conuertit, ut populari studio, & procerum eum obnixè colentium ambitione, Cardonio Proregi existimatione atq; potentia æquaretur. Nec multo post iubente Carolo ad Soram expugnandam copias duxit, quæ tum erat Francisci Mariae Rouerei Vrbinatum principis in Feltriam familiam adoptati. Is quoniam Hispanos ad Rauennâ profligatos, minus pacato uel benigno animo in Umbriae finibus accepisset, & Soranos Neapolitano attributos regno, iura regalis imperij & salis uectigalia subire uetuisset, à Ferdinando rege hostis fuerat iudicatus. Sorani extemplo deditionem fecere, sed arx loci natura et turrium munitione inexpugnabilis studium eius magnopere tardabat, suadebatq; Antonellus Traniensis tormentorū magister, eam obsidendam potius quam oppugnandam, quoniam summæ difficultatis, et extremæ propè dementiæ foret, si in præaltum & arci parem oppositum montem tormenta perducere conaretur: quum mons arduus undique præruptos aditus uel minorum etiam tormentoriam ciuibus præberet. Hæc dicenti Piscarius respondit, arcem omnino esse capiendâ, ne frustra uenisse diceretur: quòd si res omnino esset ardua & perdifficilis, à fortibus tamen uiris locorum iniquitatem uirtute ac industria debere superari, quando ea essent militiæ cum decore tum plena laudis, quæ inusitata & maximè aspera uel peritissimis haberentur. Nec mora paratis rebus omnibus & trocleis in monte constitutis, tormenta ductarijs alligata funibus, Ergatarum beneficio in opportuno locum stupentibus cunctis euexit: quo inopina

to malo territi defensores haud multis tormentorum
ictibus expectatis, quum sese tueri posse desperarent,
quòd alimenta etiam defecissent, impetrata salute de-
ditionem fecerunt. Inde Neapolim reuersus, in mor-
bum incidit longè grauissimum, quum pacis oia mi-
nimè pateretur uir corporis ac animi uiribus exar-
dens, & quieti semper infestus: uenationi etenim &
falconum aucupijs magno apparatu & increbili pa-
tientia deditum, nec graua sepe & palustria loca ui-
tantem, febricula ita lentis inuasit accessibus, ut cor-
pus per se gracile, & à naturali ignea ui facile exu-
stum, corrupto iam oris habitu, & tabefactis mem-
bris uix ambiguam spem salutis retineret. Sed conuer-
sa demum tota uictus & medicinae ratione, repudia-
tisq; remedijs calidis, saluberrima e poti la-
ctis & lactucæ refrigeratione
sanatus est.

LIBRI PRIMI

FINIS.

LIBER



SVB id ferè tempus quo Piscarius
 confirmandis uiribus operam dabat,
 Leo pontifex Casari coniunctus, ad-
 uersus Franciscū Gallie regem, bel-
 lum suscepit. Angebant enim Pontife-
 tem ingentis spiritus uirum, Parma & Placentia igno-
 bili pactione turpiter amissæ, quas urbes Iulius ponti-
 fex sacrosancto imperio immortalī cum laude nuper
 adiecisset. Sed ea quoque infamia laborantem, Gallie
 Cisalpinæ regij præfecti, & ante alios Lotrechius &
 Tarbellius antistes uehementer exagitabant, quum sit
 perbè ac impotenter contempta dignitate Pontificis
 sacerdotia ad profani imperij libidinem reuocarent.
 Galli eo tempore consternatis ad arma Hispaniæ po-
 pulis aduersus Caroli Ceurij Belgæ nomen, cæterosq;
 regios præfides ex occasione trāsgressi Pyreneos sal-
 tus Henricum regem Nauarræ pulsus Hispanis, in pa-
 ternum agrum reducerant, & ad Hiberum amnem
 arma promouerāt. In Eburionibus quoq; Gallo res no-
 uas moliente, & contra excitis ad arma Germanis et
 Belgis, bellum exarserat. Erat propterea Carolus Cæ-
 sar adolescens grauiſſimis rerū difficultatib. circūuen-
 tus, cōuentūq; habebat Germaniæ procerū apud Vor-
 maciā urbē ad Rheni ripā, in quo cū egregia pietate
 Lutherū iudicio dānauiſſet, à Leone promeruit, ut ini-
 to scedere bellum in Italia Gallis inferretur. Itaq; his
 conditionibus bellum est susceptum, ut coniunctis co-
 pijs Gallos Italia pellerent: Mediolanense imperium

Francisco Sfortiæ redderetur, Parma Placentiaq; uti antea fuerant, Pontificiæ ditionis essent, duces bello delecti Prosper atq; Piscarius, caratione diuiso impetio, ut hic peditibus, ille cunctis equestrib. copijs præessent: Federicus autem Gonzaga Mantuanus princeps pötificij exercitus esset imperator. His initis consilijs neq; tamen planè euulgatis in Gallia Cisalpina insidiæ Gallis tenduntur ab ijs qui iniurias acceperant, & ob id Sfortianis rebus plurimum studebant: nam Lotrechius & Lescutus regis gratia præpotentes, Triuultios & Pallauicinos qui Gallico nominè amicissimi semper extitissent, ingrato hostiliq; animo persequerantur, ut eorum oppidis potirentur. Hieronymus quoq; Adurnius, præcipuus apud Leonem propter singularem ingenij præstantiam, eius belli concitator, cum triremib. Neapolitanis Genuæ in cōspectū se dedit, sed patefactis insidijs, & nusquā contra Gallos fortuna cœptis aspirāte, coactis de murem undiq; copijs ad oppugnādā Parmam est peruentum. Erat in urbe Lescutus Lotrechij frater, uir impiger cum tribus equitum alis, eoq; Federicum Bozolum cum cohortibus euocarat hominem strenuum militariumq; operum & munitionum defendendis urbibus maxime peritū. Igitur ad Parmam pluribus minutis equestribus prælijs ad portas factis, dum auxilia Germanorum aduenirent, & à Bononia tormenta conueherentur, Piscarius à Placentina porta uineas erexit, & magna ui turrem portæ impositā, & murum ad dextrā quater cepit. Iam haud mediocri ruina edita murus ad ingressum erat patefactus, cum Itali Hispaniq; cer
tatim

tatum, nequaquam accepto pugnae signo, singulari au-
 dacia in fossam se demittunt, & per ruinas arduo &
 & iniquo loco in summum committuntur. Sed dum pro-
 spiciunt, ut in urbem defillant ab instructis interiore
 munitione Gallorum cohortibus, emissisq; in eos undi-
 que minoribus tormentis, in fossam detruduntur, &
 multis interfectis Guicciardino in primis Etrusco cen-
 turioni, pila caput abripitur. At Piscarius qui aliqua
 factu aspera ultrò aggredienda esse militi, nec ea ta-
 men à duce palàm imperanda uti eximie cautus &
 fortis existimabat, milites ad signa reuocauit, adhibi-
 tisq; demum captiuis & Parmensibus per quos dili-
 gentius munitionum moeniumq; naturam cognosce-
 ret, omnem apparatus in alium locum traduxit, ut
 expugnato ad inferiorem muri angulum propugna-
 culo, quod erat extrinsecus cum tormentarijs fene-
 stellis ad eradenda moenium latera satis exporrectū,
 certus aditus minore militum periculo præberetur.
 Ad hunc modum multis ictibus pertuso & penè disru-
 pto propugnaculo, Lescutus & Bozolus desperata
 loci defensione, salutare consilium sibi desumunt, ma-
 gnoq; silentio remotis tormentis trans annem copias
 omnes reducunt, ut minore circuitu frequentioreq;
 milite, ulteriorem tantum urbis partem, concisis &
 obstructis pontibus tuerentur. Siquidem Parma annis
 ita mediam distinguit urbem, ut lato & præaltis mu-
 ris utrinque munito alueo decurrat. Nec mora Par-
 menses qui citiorem urbis partem incolebant, ani-
 maduerso Gallorum discessu, id de muro Pontificijs
 & Caesarianis excussa lacinia significant, porrectisq;

manibus primos scandentes subleuant, alijq; alio in
 loco introducuntur, quod ubi totis castris est euulga-
 tum, ex templo integræ sub signis cohortes agmina-
 tim irruunt, incredibiliq; prædæ auiditate discur-
 rentes sacra profanâq; diripiunt. tanta conturbatio-
 ne totius exercitus, ut neque Piscarius increpando
 cædendoq; nec ipse Prosper & Mantuanus per præ-
 cones ad signa reuocando, opportunam indigna ca-
 lamitate oppressis ciuibus opem ferre potuerint.
 Constat, eo momento Lescutum & Bozolum pul-
 cherrimam occasionem amisisse delendi hostis, si pa-
 tet factis pontibus occupatos & dispersos congloba-
 tis cohortibus & turmis inuasissent. At Piscarius co-
 hibitis quantū minis auctoritateq; fieri potuit mili-
 tum rapinis, conuehi tormenta iubet, ea contra hostes
 dirigit, qui tota fluminis ripa in summo muro dispo-
 siti amnis alueum egregiè defendebant, quanquã mul-
 ti caderent, & oppositis ligneis dolijs terra cessiteq;
 repletis, in genua depressi, contra incidentes pilas æ-
 gerrimè tegerentur. ante alios Montacutus a Le-
 scuti uexillifer interiit. Sed Scoti maxime equites
 uel Lucatio duce pila discerpto, dimissis equis, in mu-
 nitionibus intrepidè persistebant. Dum Galli duces
 uix milites retinent, quin ab iniquo loco diffugiât, &
 sese cum equitatu, extemis demum rebus, proripere
 per aduersam portam decernunt, Lotrechius ut fra-
 tri opem ferret, cum Heluctijs mercede conductis, &
 Venetis auxiliariis, uniuersoq; Gallico equitatu, Pa-
 do ad Cremonâ ponte cõstrato, ad Tarrum peruenit.
 Alfonsusq; item Ferrariæ princeps opportunè equi-
 tatum

tatum suum in Mutinensium fines ita introduxit, ut inuasurus urbem & commectus interclusurus esse nunciaretur, trepido ad hæc præsertim Iacobo Guicciardino Mutinæ præfecto, qui de suo periculo impensè sollicitus ea cuncta augendo ad Franciscum fratrem Pontificis legatum in castra perscribebat. Quibus rebus cognitis, duces tacito iudicio potius quam libero ore recedendum à semicapta urbe censebant. Quoniam nec satis pilarum & tormentarij pulueris ad defringendas hostium munitiones superesset, nec tam propinquo hoste Lotrechio, duce peracuto atque impigro, dubio euentu opera hostium adoriri, è disciplina uideretur. Sed contrà quid turpius esse poterat, & ad conuellendas uniuersæ uictoriæ spes omnes, foediùs & ærumnosius, quam dimidia urbe pulsos hostes, extremoq; demum timore consternatos è manibus emisisse? dum in consilio disceptarent, & Mantuanus uti noui decoris audius non modo persistendum, uerùm cum expedito exercitu aduersus Lotrechium cõtendendum esse diceret, ut una acie de uniuersa uictoria certaretur: cæteri uerò serè omnes pudoris metu reticerèt. Piscarius liberabo uos inquit, tota hac infamiæ suspitione: quandoquidè nemo sanus imperator prius de hoste uictoriam expectat, q̄ ne ipse antè uincatur, tuta ratione prouideat. Siue hic etenim fortiter instemus, siue illic audacter cum Lotrechio manus conferamus, utriusq; certè iniquissima cõditione & ancipiti quidè pugna cū auerso et aduerso hoste cõstigemus, et quod miserrimū est penè sine tormentis, cum pilæ desint & sulphureus

puluis, quibus profectò minimè carceremus, si uti sepius sumus contestati, qui huiusmodi copijs præsent, liberalius & diligentius operam suam in negotio præstitissent. Seruemus igitur copias ad non dubiam uictoriam ad quam profectò aditum, si sapimus, fortuna alio in loco commutata belliratione nobis aperiet. nec mora, Prosper ante alios sententiam comprobabat pariterq; Vitellius, Antonius Leua, Guidoq; Ragonus, atq; ipse demum Mantuanus, qui fœdi consilij dedecoris metu authores uideri nolebant. Neq; enim erat ea pudoris cura in Piscario, qui summa uirtute aduersus omnia aspera inuictus, absq; ulla degeneris animi suspitione, atq; item manu & consilio omnium longè promptissimus habebatur. Itaque conclamatis uasis, semicapta urbe copias educunt, & ad Niciam annem retrò ad septimum lapidem castrametantur, adeò ignobili receptu, ut penè tormenta maiora linquerentur. Tum uerò mutua gratulatione inter Gallicos exercitus multis tormentorum bombis celebrata, Lotrechius minorum ducum assentatione excellens imperator appellatur. M. Antonius Columna qui apud eum erat Gallico stipendio addictus, Parmam intrauit, ad Lescutum eius diei uictoriam suo & Lotrechij nomine gratulatum, ipseq; Lescutus qui & propria uirtute, & aliena etiam ignauia clarus euaserat, ad fratrem reuertitur. Hæc ubi ad Leonem perlata sunt, nihil ipse animo se demittit, omnibus modis ærarium replet, ad Heluetios Sedunensem Cardinalem legatum cum pecunia mittit, ut uiginti eius gentis cohortes in agrum Bergomatem deducantur. Per-

scribitq;

scribitq; sua manu literas ad Iulium Medicem Car-
 dinalem, qui Florentiæ ad Reipublicæ gubernacula
 sedebat, ut in castra peruolaret, duces & milites allo-
 queretur, cunctos amplissima spe restituta ad aliam
 bellirationem reuocaret. Eius aduentu quod erat opi-
 nione omnium summa autoritate, ingentemq; uim
 auri secum adducere ferebatur, mirum in modum e-
 xercitus iterum ad uictoriam est excitatus. Nec mul-
 to post relicto Vitellio cum Heluetijs cohortibus, qui
 cum Alfonso Atestino bellum gereret, ad Padum con-
 tendit, exercitusq; omnis ad oppidum Casale ponte-
 traducitur. Idem Lotrechius facit, Cremonaq; profe-
 ctus ad motum hostium iter intendit, ne illi celeritate
 adhibita longius antecedant: superatisq; fluminibus
 Ollio atq; Abdua, ad urbem Mediolanum ubi intesti-
 ni essent hostes uerterentur. Quum ad Castellū quod
 Fratrum Curia dicitur, castra ponerentur, inter Ita-
 los Hispanosq; pedites seditio ualde atrox & cruen-
 ta, à leui contumeliæ initio repente exorta, uniuersum
 exercitum in summæ cladis discrimen adduxit: nam
 quum iusto prope prælio certaretur, & iniquiore Ita-
 lorum sorte, qui iam in tabernaculis arma posuerāt,
 & instructis Hispanorum cohortibus occurrebant,
 in proximo productis copijs Lotrechius confederat,
 ita uicinus, ut penè castrorum fremitus audiretur.
 Quum Iulius legatus in sacra purpura prætenta cru-
 ce deprecabundus adcurreret, summum uitæ pericu-
 lum adiit, solenneq; uotum Deiparæ uirgini nuncupa-
 uit, si ea seditio nō multa cum cede sedaretur. Affuit
 noto numen, nam ira militum extemplo repressa est,

ipsius maximè Piscarij authoritate, qui sese inter at-
 cipua tela medium furentibus Hispanis opposuit :
 quum undique pilarum procella cum strage multo-
 riorèue periculo uel in maximis prælijs, quibus po-
 stea interfuit, se miscuisse testaretur. Periere tamen
 circiter ducēti, & in his Stephanus Facinius Roma-
 nus, & Antonius Martellus nobilis Florentinus, at-
 que inde secundum Olij ripam promoti castra ad
 Rebeccum, qui est uicus in aduersa amnis ripa posi-
 tus, contra Ponteuicum Venetæ ditionis castellum. Vi-
 deri uolebant Veneti eo bello se medios gerere, Ale-
 xanderq; Donatus Castelli atq; alæ equitū præfectus
 fidem dederat, nihil Venetos in ipsorum ditione Cæ-
 sarianis & Pontificijs esse nocituros. Erant castra tu-
 tissimo loco posita, si Venetus in fide data persiste-
 ret : quod si hostilia moliretur, nullus ad instruen-
 dam aciem locus patebat, qui non Castelli tormentis
 obiectus, & undique expusitus, uel imperitorum iu-
 dicio uideretur. Hac re fortè perspecta, dum hosti-
 lium castrorū situm, & idoneū pugne locū explora-
 rent, Franciscus Maria Feltrius Vrbinas, & M. Anto-
 nius Columna ad Lotrechium adcurrunt : quanto in-
 discrimine hostes uersentur, demonstrant, posse eos fa-
 cile deleri, si ipse à fronte promoti exercitu, uti præ-
 lio certaturus appropinquaret, & hostes in tergo tor-
 mentis è Ponteuici arce peterentur : fore etenim ut
 pedestres, & equestres præsertim copias priusquam
 cæ coire in ordines & conferere manus possent, fœ-
 dissimè sterni profligariq; summa cum uoluptate con-
 spicerent.

spiceret. Tantæ rei patranda certa spe concepta, ex
 templo mittitur à Lotrechio Sardonus Gallus ipsius
 familiaris, ut locum inspiceret, & si ita uideretur, ali
 quot tormenta traduceret. Auentu Sardoni cuncta
 factu facilia offeruntur. Nec mora, dum ille in tanta oc
 cassione inani gaudio præoccupatus effusè hostibus
 excidium minatur, Venetus præfectus datæ fidei pe
 nitus obliuiscitur, & cuncta Gallorum arbitrio per
 mittit, utpote qui nihil de Cæsarianorum clade du
 bitaret: id unum rogat, ut nõ Venetis, sed Gallicis tan
 tum tormentis, & copijs res geratur, ut excusationi
 locus aliquis relinquatur. At Sardonus moræ impa
 tiens & Gallica alacritate præproperus, quum rem
 paratam & exploratâ contegere, & occidente iam
 Sole in crastinum diem differre omnibus artibus de
 beret, auidi ingenij uim, quin Falconem emitteret,
 sustinere non potuit. Fortè pila in domum legati Car
 dinalis adigitur. Ea re inopinata terrentur omnes, in
 cõsiliu extemplo duces coeunt, de Veneto frustra con
 queruntur, & silentio summa cum celeritate, mutan
 da castra ad Gablonettam uicum censent. Itaq; cun
 ctis ducibus rem administrantibus, impedimenta to
 tius exercitus carris & iumentis imponuntur, egre
 giaq; simulatione Piscarius præfectis cohortiũ, & cen
 turionib. ad se uocatis, uultu maxime hilari, et ueluti
 magnæ alicuius spei longè plenissimo eos cohortatur, ut
 arma, corpora, animos ad breue iter expediant, quo
 niam cognitis hostium rebus, ea nocte occasio longè
 pulcherrima ad patrãdum insigne facinus offerretur.
 Ita de secunda uigilia præmissis impedimentis penè

priusquam consilium summa expressum necessitate,
 militum turbæ nedum hostibus proderetur, sine tumultu
 ad locum quem statuerant, peruenere. At Lotrechius
 in albescente cælo ad conspectum castrorum in-
 structa acie prouectus, hostes è manibus elapsos co-
 gnoscit: Frustrâ tantam rei bene gerendæ occasio-
 nem fuisse corruptam Sardonî temeritate conquiritur:
 mittit tamen leuis, & grauis armaturæ per amplū
 equitatum duce Lescuto fratre, cum quo M. Anto-
 nius Columna, & Bonaualles, & Vandenesius erant,
 qui nouissimos laceffant, iter eorū explorant, & pre-
 mendo instandoq; abeuntes demorentur. Cogebat ex-
 tremum agmen ipse Piscarius cum delecta sclopetta-
 riorum cohorte, non agili equo, sed strigosa uectus mu-
 la, ut quisq; uel timidus, quum singulari ducis fiducia
 ex equatum esse periculum uideret, summæ securita-
 tis alacritate cōpleretur. Iam aliquot milia passuum
 erat emensus, ad eò composito gradu, ut nihil de in-
 stante hoste sollicitus, nequaquam necessitate aut me-
 tu, sed certo iudicio perpulchri edendi facinoris, ca-
 strâ mouisse uideretur. Itaq; conuersus ad Nicolaum
 Valentinum, & Volagnem Cantabrum duces sclo-
 pettariorum, admirabili uirtute homines, uultis, in-
 quit, ut sine nostro periculo, & singulari cum uolu-
 ptate Gallorum horum equitum, qui ad eò uehementi-
 bus equis atq; animis nos consecretantur audaciâ ac in-
 solentiam retundamus? cū illi nihil se magis cupere
 respo. lerent, imperat ut delecti circiter centum inter
 uirgulta, & fossas quæ utrinq; militarē castigant uia,
 ac simul in sacello agrestî semidiruto, sese recondant,
 & cū

& cū Galli eò peruenerint, nihil tale dubitātes dis-
 plosis repente sclopettis adoriantur: ad confirmandos
 uerò animos amplissimè pollicetur se de ipsorum salu-
 te singularem habiturū curam, & cū opus foret bi-
 nas cohortes, & totidem equitū turmas subsidio sub-
 missurum. Re constituta ipse ad extremum recedit
 agmen; nec mora Galli citatis equis adueniunt. Nico-
 laus & Volagnes hinc atq; illinc ex insidijs consur-
 gunt, magno clamore edito pilarum procella in con-
 fertos effunditur: Galli pluribus simul uiris et equis ca-
 dentibus inopinata clade perturbantur, nullusq; angu-
 sta in uia relinquitur ostendens uirtuti locus: succe-
 dunt tamen aliæ atq; aliæ turmæ, & à diffusis equiti-
 bus prælium miscetur, nec Piscarius suis deest. Submit-
 tit alam equitum duce Ioanne Medice, ac eius cohortem
 expeditam, atq; ita sclopettarij incolumes, magno
 hostibus illato detrimento recipiuntur. Ea res in-
 sequendi finem Gallis attulit. Lotrechius sequenti die
 ad Binam uicum castra in conspectum hostium produ-
 xit. Is uicus binis Romanis cladibus Othonis atq; Vi-
 tellij civili bello insignis, antiquitus Bebriacum fuit.
 Prosper, Piscarius, & Mantuanus æquissimo in loco
 confederant, aquationi, & accipiendis comitatibus
 opportuno, carris latera muniuerant, tormenta fron-
 de contexerant, cunctisq; rebus aptissimè præparatis,
 & exploratis hostiū consilijs id expectabant, ut Gal-
 li ac in primis Heluetij qui natura concitati, & ala-
 cri impetu uehementes esse consueuissent, castris suc-
 cederent, & temerè ad conferendas manus progrede-
 rentur. Iam promouerat aciem Lotrechius, haud du-

biè funesto praelio certaturus, nisi ab Heluetio transfuga Heluetij qui in partibus Gallorum erant, de forma & munitione castrorum certiores facti, Lotrechium ut pugna abstineret, opportunè monuisset. Si quidem nulla unquam acies uel ducum peritia, uel ardore militum aptius, aut alacrius fuit instructa. Hinc etenim Piscario atq; illinc Mantuano & Prospero cohortantibus Hispani atq; Itali, qui ab recenti seditione minimè pacatos animos ostendebant, depositis sincera fide odijs, porrectis dextris, & collatis uexillis, pacem fecerant. Ea res Germanis qui propter sociorum discordiam uictoriae diffidebant, ita animos adauxit, ut manantibus præ gaudio lachrymis centuriones atq; signiferi & gregatim deniq; milites omnium nationum ad Iulium legatum adcurrerent, & pia precatione obnixè peterent, ut Pontificia potestate ab omni antea acta uitæ scelere lustrarentur. Erat enim in sacra purpura, & argenteam crucem haste præfixam de more præferebat, concionabundusq; cunctos ordines manu dextra cruce sæpius designata solemniter expiabat. Sed nequaquam procedente Lotrechio reductæ demum legiones: amplius tamen quatuor horis equestri praelio est dimicatum, quo Ioannes Medices excellentis uirtutis atq; iudicij militaris laudem est consecutus, emissaq; sunt aliquot tormenta ab altiore castrorum loco in Gallorum turmas, quorum pilis nonnulli clari equites, & in his Conaus Vasco Lotrechij familiæ magister sunt discerpti. Nec multo post ad Ostianum castra reducta, ut Heluetias legiones expectarent, quæ in Bergomatem agrum iam descende-

scenderant, pulsoq; Pontiremio Gallo, & Vgone Pe-
 pulo, qui claustra Sebini lacus & montium angustias
 Præsidij tenebant, rectâ in Mantuanum agrum per-
 uenerant, quum eis iam sexcenti ferme equites ex
 Casarianis & Pontificijs, Succaro Heduo, & Astore
 Vicecomite, Mattheoq; Beccharia summa audacia
 ducibus occurrissent. Gens enim militaris & agrestis,
 quum in hostico magna tormentorum & equitum
 præsidia postulare, ita uarias moræ causas neclebat,
 ut eos facile appareret cum Pontificijs stipendijs dica-
 tos, tum Gallica largitione demollitos, nequaquã con-
 specto hoste, nisi eos Casariani & Pontificij equites
 excepissent, domum esse redituros. Tantis in unum co-
 actis copijs, maiore iterum uirium mole ad Ollium re-
 uertuntur. In transitu autem annis Paulus Luzascus
 Mediceis equitibus præfectus uir egregie fortis, ab
 ala Veneta ex insidijs est interceptus. Quod ubi dux
 eius Ioânes didicit, ira & dolore concitatus, nihil mo-
 ratur, & cum paucis familiaribus, ala confestim sub-
 sequi iussa ad abeuntiũ hostium agmen ingenti cursu
 peruolat, clamoreq; edito penè solus in postremos in-
 uehitur. claua ferrea obuios pertudit sternitq;, et totiũ
 agmen perturbat. agnoscitur statim ab hostib; ex ter-
 ribili uoce atq; equo maxime insigni laciniariũq; colo-
 ribus: nec territæ ad eius nomẽ Venetæ turmæ, conspe-
 cto præsertim non procul eius uexillo, consistere au-
 dent, moxq; uehementer urgenti ac acerrimè rem ge-
 renti suorumq; accursu opportunè confirmato terga
 obuertunt, atque diffugiunt. Itaq; paucis interfectis,
 & multis captis, Luzascus eripitur, ducq; turmarum

præfecti, & in his Hercules cognomento Poeta cum
 duobus uexillis, & multis equis in potestatem deue-
 niunt: admirabiliq; hæc gesta Medices cū insigni
 omnium gratulatione ostentato passim Luzasco in ca-
 stris reuertitur. Interea Galli cognito Helueticorum ad-
 uentu, quū eam leuis armaturæ manum quæ à Sebino
 Lacu descendentes exceperat, ex itinere ad Carua-
 gium sudissent, ad Abduam retrocedūt, ut hostes tran-
 situ prohibeant, secundum ripam perpetuas extru-
 unt munitiones, & eas idoneis in locis omni genere
 tormentorum complent, & præsertim contra Ripal-
 tam uicum, ubi paucis ante annis Maximilianus Cæ-
 sar summa felicitate transiuerat. Dum pontes paran-
 tur, & ab aduersa ripa Lotrechius, ne iungi contabu-
 lariq; nauigia possint, tormētis adactis prohibere con-
 tendit. Italicæ cohortes loco superiore septem mi-
 libus passuum à castris pontisq; opere distante, no-
 ctu piscatorium lintrem naclæ, in Bremba amne, qui
 in Abduam influit, duce Frâncisco Marono Insubre ui-
 ro forti Abduam traicere incipiunt, & Vaprio in
 oppido domum ripæ imminentem penè prius occu-
 pant, quàm ab Vgone Pepulo sentiantur, qui cum ala
 Gallica loci præsidio erat præpositus. Tantius erat
 militum ardor, ut summo contentionis studio qui-
 nam primi commeantem continuè lintrem conscen-
 derent, inter se decertarent. At Vgo uigilum incuria
 serò excitatus, tumultuarium in ripa per tenebras
 certamen cum primis contrahit. Sed quum equites
 ex alta profluentis ripa, pedibus rem gerere cog-
 rentur, essentq; animis & numero, ipsoq; armorum
 genere

genere impares facilè repellitur: nuncios tamen ad
 Lotrechium extemplo mittit, rogat ut in summi mo-
 menti negotio ualida subsidia propere transmittan-
 tur. Sed primi nuncij ad cubantem imperatorem, à
 ianitoribus eius quicli blandientibus non admittun-
 tur. Ita inalbescente caelo iam supra quat uordecim
 Itolorum uexilla in hostili ripa constiterat. Prosper
 quo authore id facinus tentatum fuerat cōtinuè tran-
 seuntibus celeritatem adhibebat, & alias atq; alias
 copias à castris euocabat: Piscarius autē in opere pō-
 tis cum tota mole exercitus contra Lotrechium uer-
 sabatur. Re cognita Lotrechius, qui id antea ad se di-
 stinendum auertendumq; ab hoste tētari crediderat,
 Lescutum fratrem & Vandensium Palicia fratrem
 cum equitatu pluribusq; peditum uexillis, & tormē-
 tis Vgoni subsidio mittit. Euolat impiger Lescutus
 cum subitario apparatu ita ut properantia Gallorū
 agmina à Prospero lulioq; Legato de Itolorū salute
 magnopere sollicitis, ad tormenti iactum interceden-
 te Abdua spectarentur. Res autem omnium iudicio
 in una celeritate posita uidebatur: nam si Lescutus
 paucas & infirmas adhuc cohortes, et in unius tantū
 angusti nauigij beneficio, sine spe celeritatis auxilia
 desperantes opprimeret, nulli dubium erat, quin de-
 mum tota ripa transitu hostes esset prohibiturus. Eo
 animaduerso periculo Piscarius cohortem Hispano-
 rum, & perniciosissimum quēq; sclopettarium extra
 ordinem summittit. Eò etiam proficiscitur Teche-
 nus Grisonorū Dux cum duobus uexillis. Porro Le-
 scutus cum tanta summitti auxilia cōspiceret, obid

magis sibi festinandum ratus, adeo citato agmine Vaprium contendit, ut tormenta atq; item cohortes paucis tantū sclopettarijs in clunes equorum maturandi causa susceptis, omnino relinqueret. Eius aduētū atrox præliū exoritur, primò equestre ac demum quū equis parū proficerent, res & pedibus à cataphractis geri cœpta, qui hoc imperante agenteq; Lescuto dimissis equis & decisis ab umblico sagulis, ut expeditiores essent, sese peditū more conglobarant, multis utrinq; interfectis, Gallilatiore uici platea potūtur, domos audacter oppugnant, & ædificium quo Hispanorū cohors se tenebat iniectis facibus succendunt, cū cæta clamoribus & fremitu auxilia implorantiū fumo ignibus & perpetuis sclopettorū bombis cōplentur. Dimicatur acerrime tribus amplius horis: quū iam in summo discrimine Itali uersarentur, Ioannes Medicus ingentis animi iuuenis dolore ne dedecus acciperetur, simul & ferendi auxiliij cupiditate uehementer incitatus, quòd aliter non poterat, cum paucis periculoso ausu flumen tranauit, famaq; sui, & Italos spe cōpleuit, & Gallos haud mediocriter cōterrui, admirantes & impense dubitantes, ne in tumido amne repertis uadis cum ala iutegra transiisset: Ad extremum crescentibus undiq; auxilijs Itatorū uirtute, Hispanorū constantia & Grifonorum impetu Galli arca depelluntur, quo in tumultu ipse Techenus ingenti corpore, oreq; hirsuto, & supra thoracē & galeam ferina pelle in horrendum habitū protectus Lescutum sibi congressum hasta prostermit. Eripitur tamen periculo Lescutus & à suis seruat in columis,
Vande-

Vandenesio pugnati equus cofoditur, cohortes autē
 Vasconū quæ scrius aduenerāt cadente Gratiano Lu
 scio, & uulnerato Sardono, qui mox interijt, amif
 sisq; duobus uexillis, in fugā uertuntur. Non uidetur
 præmittendum Aretini militis cui Stoncinio cogno
 mē fuit egregiū facinus. Is spectatæ proceritatis Gal
 liam, qui in ea dimicatione ingēti gladio quē ambabus
 manibus regebat Caponiū & Serraliū Florentinos
 uiros fortes obrūcarat, decoris & uindictæ cupidine
 accensus petiuit, feliciq; agilitate, elato in caput scu
 to succedens, sub inguine incūbentē gladio trāsfixit,
 & repetito ictu proinus confecit. Nusquā maiore
 cū laude pedites ætate nostra militiæ munus imple
 uere, nemo unquā Lescuto uel Dux uel miles, arden
 tius aut constantius dimicauit, essetq; haud dubiē insi
 gni uictoria potitus, si tormenta in itinere minimē re
 liquisset. At Lotrechius qui in eam unā, ne Piscarius
 pontē construeret, curam incubuerat, cognito fratris
 successu, & abiectis tuendæ ripæ consilijs, Mediola
 nū ut se mœnibus tueretur retrocessit. Eius aduentu
 ad terrendos Insubrū animos Christophorus Pallauicē
 nus summæ nobilitatis & pacati animi Regulus pu
 blicè securi percutitur, quē antea nequaquā capita
 libus quæ maiestātē respicerent, delatū criminibus,
 & nihil tale uerentem, Lescutus uiolatis hospitalis
 mensæ iuribus, direptaq; eius opulentissimæ domo, a
 pud Buxetū ceperat. Interea Piscarius perfectō pon
 te copias traduxit. Lentoq; itinere, propter incredibi
 les conuehendis tormētis uiarum difficultates, ad Me
 diolanum est peruētū, eo ducē consilio, ut si difficilis

oppugnatio nequaquam territis Gallis uideretur, in
 leuam ad Ticinum urbem deflecterent, ut propinqua
 & copiosa urbe ad gerendum bellum potirentur. iam
 enim eò Marius Montanus Ticinensis episcopus cum
 ala equitum aduolarat, & singulari Ticinensium stu-
 dio, urbe atq; arce dudum deserta à Gallis fuerat re-
 ceptus. At Lotrechtus ubi multos ex Heluetijs qui-
 bus iam minus fidebat, quòd apud hostes maior eius
 gentis multitudo militaret, passim dilabi, & se pedi-
 tatu inferiorem esse conspicit, ut minore circuitu ur-
 bem defenderet, suburbana aedificia ignobili et planè
 barbaro consilio succendit, Gritto Veneto Legato id
 maximè comprobante, qui superiore Maximiliani
 Caesaris bello, quò Triuultius atq; Borbonius copijs
 Gallicis præessent, opportunè factū fuisse meminerat.
 Erat res summæ plena crudelitatis lugète populo ea
 aedificia sponte concremare, quæ pulchritudine insi-
 gniq; frequentia, uel ingentis urbis speciem æquarèt.
 A singulis enim ferè urbis portis longè lateq; interce-
 dentibus hortorum delitijs ex porrecta lateriis pro-
 pugnaculis, & magnis undiq; fossis atq; munitio-
 bus cingebantur. Quum à Laudensi uia modico flexu
 ad Ticinensis portæ suburbana exercitus duceretur,
 nemoq; prodiret. summatibus iam tectis ignotus, nec po-
 stea usquã uisus uir agresti uestitu Iulio Legato appa-
 ruit, nunciàs Gallos timore & desperatione præpe-
 ditos, iniectisse domib. ignes et fugã parare, intentosq;
 esse ciues ut iniuriã uindicarent, proinde leto animo
 pergere maturarèt, quãdo omnes indigenæ cuncta Gal-
 lis aduersa, ipsis uerò tanquam patriæ liberatoribus

secunda & prospera precarentur. Itaque Prosper &
 Piscarius Iuliusq; legatus & Cardinalis Sedunensis
 Heluetiorum adhortator, cæteriq; duces circumdu-
 ctis in coronam equis coeunt, eiusq; sententiæ sunt o-
 mnes, ut quid ad munitiones hostium agatur, per equi-
 tes exploretur. Præmissi equites referunt in itinere ne-
 minem occurrisse, segnemq; admodum, quod pluuium
 esset cœlum, sibi uideri hostium stationem. Erat iam se-
 rum dici, & lenta in pluuia, lutulentoq; maximè iti-
 nere, nulla solita alacritas in exercitu cernebatur,
 quod tormenta impactis cano curribus, agrè perducî
 ad munitiones expugnandas, & nisi expugnassent,
 sub diuo, & palustri in solo frigida & longissima bru-
 mali nocte, foret quiescendum. Eo modo lenta spe de-
 liberantibus. Quid opus est uerbis? Piscarius inquit,
 explorabo ego certius quid animi & uirium in defen-
 denda munitione hostibus supersit, ut in eorum cubili-
 bus omnino pernoctemus. Vos date operam, ut Ger-
 mani quibus tum primum agmen cõtigerat, perquam
 maturè subsequantur: Hispani iuxta, Italiq; succedât.
 Heluetij uerò tormentorum custodiæ relinquuntur: le-
 uis armatura equestris quæ pedites primos subleuet,
 et cūcta exploret, mecū antecedit. Hoc dicto, cum Ni-
 colao Valentino & Volagne desumptis sibi non am-
 plius octuaginta sclopettarij; summæ agilitatis atq;
 uirtutis ad munitiones contendit: mirum dictu, Hispani
 per lubricos aggeres in summū munitionis enitun-
 tur: sclopettos repentiè displodunt: lentamq; et raram
 stationem improviso impetu perturbant: resistunt ta-
 men Heluetij tumultuario accursu, sed minimè den-

satos in aciem Hispani facile propellunt: desilit intra
 munitionē ipse Piscarius, præliōq; miscetur, suaq; ma-
 nu confosso duce Heluetio, cæteris in fugam cōiectis,
 Veneta etiam castra capiuntur. iam magnus omnis
 generis militum numerus, audito redditoq; clamore
 sese munitionibus intulerat. Germani ad tuorem uete-
 rem quæ imperatoris dicitur subter fornices aquædu-
 ctus, quum Heluetiorum & Gallorum globus ibi ali-
 quandiu impigrè restitisset, multis acceptis uulneri-
 bus irruerant. Theodorus Triuultius Venetarū co-
 piarum dux, qui inermis & penulatus, ut fugam suo-
 rum sisteret, mula prouectus adcurrerat, & iam uul-
 nus in latere sustulerat, à Piscario capitur, ipse Grit-
 tus è medijs hostibus elapsus, cum ala Epirotarum,
 Laudem transuersis itineribus profugit. Capitur &
 in fuga Mercurius, sed mox dimittitur: adeoq; res
 fuit improuisa, ut Veneti quæstores qui fortè in sti-
 pendium pecuniam militi numerabant, aureæ argen-
 teæq; monetæ cumulos in mensis, rapientibus Hispani-
 nis reliquerint. Nusquam ullæ copię foediorē euentu
 memoria nostra fuisse profligate. Gallicus interim
 equitatus magno capto circuitu, ad arcem se prori-
 piat, reliqui per mediam urbem quadrato agmine ad
 aream arcis nihil se ad arma populo commouente,
 contendere. Parua profectò cædes pro tumultu este-
 dita. Cæterum ingens captiuorum & equorum im-
 pedimentorumq; præda parta. Iam totus sermè exer-
 citus munitiones erat ingressus, Prosperoq; secundissi-
 mo successu lætus, quòd suburbanis tectis ad statuenda
 castra potiretur, contentus esse uidebatur, ut pote
 qui ea

qui ea die, nocte praesertim ingruente, munitiones manu capi posse, tacita cogitatione desperasset: cum multorum nuncijs affertur Piscarium Romana porta ingressum, proximam portae & Triuulianis adibus regionem, cohortium praesidijs firmavisse, Gallos effugisse ad arcem, & Mediolanenses expositis undique luminibus, nihil magis optare quam ut pacato, victor exercitus amicam urbem ingrederetur. Eodem quoque tempore Astor Vicecomes & Pusterlius nonnullique alij exules urbem ingressi, propinquos & Gibellinae factionis principes excitant, ut portas aperirent, uiatoresque reciperent. Itaque de secunda uigilia Prosper, Iuliusque legatus, & Mantuanus, Ticinensi portae succedentes letissimis Mediolanensium animis recipiuntur, coeuntque omnes in Cribelliana domo quae est contra nobile Diocletiani templum, à Christianis diuo Laurentio dicatum, summa quidem securitate, sed magno tamen periculo, si Galli de sua tantum salute cogitantes, re cognita ad eos comprehendendos facillimo ausu conuolassent. Sed res aduersae sicuti animos caeco metu perterreut, ita consilia uel summa facilitatis & rationis eripiunt. Venit in eam domum etiam Piscarius, qui quum alios salutaret, Iulij legati dextram exosculans, & perblandè arridens, nonne mihi, inquit, Legate, pro his quae hodie gesti, aliquando gratiam es relaturus? id uerbum, quasi ipse unus totam uictoriae laudem usurparet, Prosperi animum adeò altè pupugit, ut iracundiã uix sustinens, extenta ceruice, ac ore admo. iũ agresti interrogaret, quidnam id esset quod solus omnino gestisset. Ad id feruida bile concepta,

Piscarius ualde commotus, gladij capulo dextra com-
 prehenso contumaci uultu ironice, nihil se gessisse re-
 spondit: haud dubie atrox facinus editurus, nisi iracun-
 dia puncto temporis inducta ratione resedisset, & le-
 gatus interposita dextra, pacificatoris habitu ambos
 congesta utrinq; laude pacauisset. Ab ea die nunquam
 postea inter eos quanquam militari officio coniunctos,
 adeo sincera fide amicitia constitit, quin alter alte-
 rius gloriae & dignitati haud obscuris inuidiae stimu-
 lis obrectaret. Eadem nocte Lotrechius qui nihil ca-
 rum rerum contempto hoste, accidere posse putauit,
 & tot magnis circum se ducibus cum Italis tum
 Gallis, salutaria sepe monentibus, se cuncta ut res in-
 tuto essent, egregie prouidisse responderat, animo fra-
 ctus Comum profugit: tanta omnium moeroribus, tantaq;
 itineris atq; agminis deformitate, per angustos mun-
 tionis exitus educto equitatu, ut per tenebras foede su-
 gae iter simile, nihil etiam persequente hoste uideret-
 tur. Id ad summam Caesarianorum uictoriam desuit,
 quod non statim fessi equites, qui perpetuam noctem
 in equis uelut in acie stetitissent, ad persequendos Gal-
 los educi potuerunt: ea quidem sorte ut tot Gallorum alae
 in summum adductae discrimen, non ducis consilio, sed
 torpentium hostium secordia seruae uiderentur. Nec
 deerant Galli insignes qui Lotrechium in ea calami-
 tate intemperanter accusarent, quasi nimia superbia
 in suos, & in Insubres crudelitate cuncta penitus euer-
 tisset. Erant hercule in ipso Lotrechio multae uirtutes
 egregiae uel antiquorum ducum moribus pares, ut po-
 te qui in extrema Aquitania ad Pyreneos saltus sum-
 mo loco

mo loco natus, exultantem illum Gallicæ naturæ uigorem solerti Hispanorum grauitate conuiuera: uerum ingenio & spiritu adeò erat elatus, uel longo successu ardentis Fortunæ, uel amicorum adulatione, cui magna pars hominum immodicis capta uotis facile deseruit, ut in re bellica spretis aliorum consilij, errare quàm doceri malle censeretur. Ceterum Comi biduo tantum moratus, ne tantus equitatus Lario lacu & perpetuis montibus inclusus, inutili mora, paucis diebus pabuli inopia conficeretur, Heluetijs domum redeuntibus Leucum contendit, quod est oppidum ad exitum Abduæ amnis, ubi lapideo ponte antiqui operis uniuersas copias in Bergomatem agrum Venetæ ditionis, incolumes traduxit. Comi autem presidio est relictus cum ala equitum & quatuor pedum uexillis Vādenesius uir exiguo corpore, sed singulari animi promptitudine inter Gallos admodum illustris. Dum essent in Bergomati Gallorum copię afflictæ omnibus malis, & à Fortuna desertæ, Lotrechio oblata est occasio recuperandæ Cremonæ. Nam Cremonenses qui dudum uictoriæ cesserant, sibi satis uirium ad reprimendas Gallorum eruptiones, quæ ex arce fiebant, esse putarent, nulla externæ gentis presidia recipere uoluerant. Ingruente inopinato aduentu Lotrechio, frustra quæ petitis è Placentia Heluetiorum cohortibus, portas aperuerunt, quæ paulo antè Varolius & Palauicinus Gibellinæ factionis principes supplicij metu profugissent. Lotrechius opulenta recepta urbe recreatus, dum Cremonensium leuitatem imperata ingenti pecunia ulciscitur, puncto tem

poris illudente Fortuna, Parmam amisit. eodem enim ipso die, Federicus Bozolus desperatis rebus cū praesidio urbe excefferat: relicto ibi Roberto Sansuerino sororis filio, ut iuuenis Mediceae familiae affinitate coniunctus, praecalam deditiōne urbis gratiam apud Leonem mereretur. Sed Robertus successu Lotrechij cognito, ancipiti cura anxius, cui nam Gallo an Pontifici retenta aut addita urbe deseruiret, uehementer haesitabat. iam enim Parmenses ad Iulium legatum oratores miserant, & ipse auunculi fidei, ueluti deposito accepto, iure quodā illigatus esse uidebatur. Eui cisset tamen omnem alium pudorem unus auunculi respectus in eo iuuenē, cuius pater & patruus Gallicae factionis semper extitissent, nisi Vitellius ualde timens ne Parmam Galli è Cremona Pado ponte iuncto peruolarent, è Placentia celeriter accurrisset. Successere ad portam Alexander Vitellius & Hieronymus Columna propitissimi iuuenes cum singulis equitum uexillis ipso seniore Vitellio ad tertium lapidem cum cataphractorum ala subsequente, ambiguis ad huc portae custodibus, nec eos tamen admittentibus: sed duces ut oportuit consilio repente capto, duos equites maxime strenuos loris equos trahentes per speciem soleae ferreae discalciatis equis reponendae, intra portam simulanter insinuant, illi repente gladios distringunt, custodes obruncant, succedunt alij, porta occupatur, inferuntur signa, singulari; demum totius ciuitatis studio, pontificis maximi Leonis nomen inclamatur. Dum haec geruntur, Piscarius ad oppugnandum Comum est profectus: positusq; à meridie ad Peragoniam

tagoniam turrim maiorib. tormentis, moenia præalto
 intus aggere munita ita attriuit & perrupit, ut effra-
 ctis silicib. ingens ruina muri corruētis per decliue in
 defossam eaderetur, quā haud difficilis præberi pote-
 rat ascensus. sed fossa quæ intercedebat profundis ple-
 na aquis, & tormēta quæ propugnaculo turritæ por-
 tæ in dextrū latus emittebātur, milites ne alacriter et
 minore cū periculo subirent, magnopere retardabāt.
 Iam enim Nicolaus Valentinus inusitata fortitudinis
 sclopettariorū præfectus, & Peralta Cēturio tormen-
 tis discerpti, cū audacius ante moenia uersarētur cū
 maximo Piscarij dolore perierāt. Vandenesius quoq;
 uti erat intrepidus, in summis effracti muri ruinis ut-
 naria uasa plena cespite collocarat, extruebatq; ag-
 gerē introrsus, ut dispositi in munitione milites ab ho-
 stium sclopettarijs tegerentur. Erat ante fossam cōtra
 Gallicas munitiones, ubi maximè certabatur, sacrata
 ædes Hospitalis, cuius fastigiū Gallorū aggerib. æqua-
 batur. Itaq; Piscarius sublatis aliquot tegulis, culmen
 adaperit, et introrsus cōscendere sclopettarios iubet,
 præcipit ut cū signū dederit, procellā pilarū inhostes
 effundāt, imperat etiam tormentorū magistris, ut libra-
 tis ictib. munitionis doliā diuerberēt. Tum uerò dato
 signo, cūcta, uti in terræ motu accidit, cū fragore con-
 cuti, Gallos & Heluetios suspensa pilarū grāline per-
 turbari: multi cadere, alij saucij locū sine pudore dese-
 rere. Aderat suis Vandenesius adhortator et propugna-
 tor egregius, Hispani tamē fossā minimè trāscēdebāt,
 quāmobrem locus ea die haud paruo accepto incōmo-
 do, à Gallis præsertim cataphractis est defensus, quī

quanto dolijſ propiores erant, tantò tutiores, ceu po-
 ſteriore acie magis detecta, in opere & loci deſenſio-
 ne uerſabantur. Erat adhuc integra ſpe Vandeneſius,
 cùm nauigia à Leuco, uti Lotrechius ſe tranſmiſſurum
 promiſerat, ſulfureo puluere, pilis, tormentis, & mili-
 te completa ſingulis momentis expectaret. Sed Piſca-
 rius ubi ea didicit aduentare, Guſmanum uirum for-
 tem & rei naualis non ignarum, cum claſſicula Galli-
 cis nauigijs obuia mittit, ita medio Lario in lacu com-
 miſſa nauali pugna, Galli ſuperantur. Verùm Guſma-
 nus iam planè uictor, dum in hoſtilè nauem tranſcen-
 dit, & pede labitur, lacu eſt ſubmerſus. Hæc ubi Comi-
 nunciata ſunt, Vandeneſius conſumpto omni pulue-
 re, & deſperatis auxilijs, Piſcario deditiõnem facit,
 ijs legibus ut ipſe incolumis cum equitatu totoq; reli-
 quo præſidio, impedimentisq; & uexillis ad Lotre-
 chij caſtra deducatur, & nulla Comenſibus infera-
 tur iniuria. Accipit læto animo conditionem Piſca-
 rius, ſolennes tabule cõficiuntur, ipſe Vandeneſius ar-
 matus ex muro deſcendit, & claues portarũ urbis de
 manu, ſpectate exercitu, Piſcario tradit. Eo modo cõ-
 poſitis rebus, Ioan. Dorbinus caſtrorum magiſter per-
 rupti muri cuſtodie imponitur, ut Hiſpanos ab in-
 greſſu urbis arceat. Comenſes ſoluti metu ſpectatũ in
 caſtra exeunt, iurãt in uerba Piſcarij, & fœderatorũ
 nomine ſacramento adiguntur. Erant denique omnia
 quòd Gallos externos grauesq; dominos expuliſſent,
 plena gratulationis atq; letitiæ: ſed dum Galli colle-
 ctis ſarcinis proſectiõni ſeſe accingunt, paſſim totis ca-
 ſtris Hiſpani prædæ auidi in coronis & contubernijs
 ſeditioſis

seditiosis sermanibus conqueruntur, quòd minimè ne-
 cessaria & prorsus inutili compositione, Galli & Co-
 menses in deditioem essent recepti, qui facile expu-
 gnari, iureq; diripi postq̄ tot tormentorū ictus expe-
 ctassent, omnino potuerint: si eo modo bellū geratur,
 ex uictorijs præmia & decus solis ducibus, porrò la-
 bores et uulnera militibus obuenire, quod iam super-
 esse oppidū ex hoste, quod uirtute expugnent, ut ali-
 quado ditentur, & non speratā modò sed promissam
 laborū mercedem ferant, si iam ad extremos Italiæ si-
 nes frustra uincēdo egestate et fame semiuentis in tan-
 ta tenuitate stipēdij absq; ullo prædæ cōmodo sit per-
 uentum? Has uoces Piscarius & cōmouentis se multi-
 tudinis fremitū auribus accipiebat, nec credebat ta-
 men, milites tātum scelus ausuros, cum repenti arma
 capiunt, eo spectante, per transuersum murum qui in-
 tercedebat, usq; ad eò angustū, ut singuli tantūm tran-
 sirent, fossam superant, & per ruinas enituntur. Ioan.
 Dorbinus & Vargas signifer, qui erant cum cohorte
 in summo muro custodiæ præpositi, non modò reptan-
 tes & scandentes non arcent, hastisue retrudunt, sed
 eos porrectis dextris excipiunt, & alacriter introdu-
 cunt: ita incredibili celeritate, si loci difficultatem re-
 putemus, Hispani omnes ac demum ipsi Germani in
 urbem irruerunt. Vrbs tota miserabili cōditione est
 direpta: Patritij pleriq; ætate prægrandes ut maiore
 pecunia salutem redimerent, uulnerati, alij occisi: Lu-
 cia etiam Capellia nobilis & forma etateq; florenti
 matrona sclopetto crudelissimè traiecta est. Non tem-
 pli maximi Sacrario, quin uasa altaribus dicata rapo

ret, non Vestalium uirginum sacris ædibus quin cuncta pollueret, Hispanus miles peperit: tanta auditate ut nunquam impudentius uel atrocius, si uiolatam fidem publicam spectes, urbs ulla direpta fuisse uideatur. Vnum Piscarius qui cum Vastio fratre satis mature irruerat, diligenter cauit, ut Vandenesium & Gallos seruaret inuiolatos, quibus equos, arma, uestes uti potuit, seuera facta conquisitione restituit. tanti etenim regis ducem, summeq; nobilitatis & excelsi animi uirum iratum & frementem cui fidem sefellisse, uel aliena culpa inexpiabile sibi dedecus futurum esse intelligebat, omnibus humanitatis officijs lenire conabatur. Sed Vandenesius ubi ad castra Gallica fuit deductus, eam contumeliam iracundo ingenio minime ferens, per præconem missis & euulgatis epistolis, Piscarium ad singulare certamen prouocauit, tanquam priuatae publicaeq; fidei uiolatorem, quod se et Gallos omnibus uexatos iniurijs foede uiolari, et urbem solemnem deditam pactione, non militum sed latronum more, impune diripi permisisset. Enumerò hæc prorsus indigna Piscario censebantur, qui adeò religiose, uti decoris cupidus in præclaro grauitatis & iustitiæ nomine famam querebat: nam certè hoc admissum scelus, nec ulla doloris testificatione, demum impunitum ingenti cum inuidia onerabat: Hærebã ego eius lateri comes in Iulij legati comitatu castra secutus, & in eo lugubri spectaculo tantaq; rerum acerbitate pereuntis patriæ interitum deprecabar, postulãdo ut ad abolendam ignominiam, saltem in eos militari more animaduertetur, qui uel primi nefario ausu, captis ar-

ptis armis ad murū adcurisēt, uel qui in statione po-
 siti locū illis scandentib. flagitiosē cōsociata perfidia
 prodidissent. Sed Piscarius quōd tanta sibi scelerata
 militum licentia ad grauissimā notam inuidia con-
 flatur, præ dolore se mortem optare, neque tum aliud
 posse præstare respondebat, quā ut eos quos indica-
 bam, & ipse probè notauisset, sceleris authores ad me-
 rita supplicia reseruaret. Audiui ego postea Prospe-
 rum in corona prædicantem, Piscarium famæ sue iu-
 re optimo fuisse consulturum, si totum exercitum, uel
 saltem stationis cohortem seuera lege decunasset. Sic
 ut multi postea crediderint eum præ alii immixū con-
 silijs, in spem ingentis imperij ea uel iniquè militibus
 indulgisse, ut singulorū redimeret uoluntates, & ob id
 eos maxime sibi obstrictos, & ad omnia audenda pa-
 ratos efficeret, uti postea rebus maximis incredibili
 corū uirtute feliciter gestis, eum nō inani iudicio spe-
 rasse manifestè apparuit. Dicere etiā sæpius solebat,
 nihil ijs qui in bello uersarentur, esse difficilius quā Mar-
 tem simul & Christū pari disciplina coluisse, quando
 mos bellicus in hac corruptela militiæ, à iustitia & re-
 ligatione penitus auersus esse uideretur. Ceterū Vade-
 nesij literis rescripsit, nō debere eum dolore animi ue-
 hementius quā æquum esset incitatū, magis de ipso con-
 queri quā de militib. à quibus inopinata seditione fuerit
 circūuentus, ne fidem quā sincera uoluntate deditis
 dedisset, ex acutissimè seruaret, quādo in ea turbulenta
 cōsternatione defectioneq; militū, præclaris operibus
 ostenderit, quantæ sibi curæ esset, ut Galli ante om-
 nia inuiolati seruarentur. Proinde non esse alienum

ab humanis casibus quos plerunq; uis fatalis importa-
 ret, ut rectam conscientiam & egregiam uoluntatem
 æquissimi homines loco uenire uel excusationis æsti-
 marent. quòd uerò ullam omnino ab æquitate, uti ira
 cundia præpeditus excusationem recipere nollet, neq;
 Fortunæ uim reputaret, quæ cuncta remedia impro-
 uiso turbine rapuisset, se id certamè quod offerretur,
 minimè detrectare, oblaturūq; se præstituto in loco ar-
 ma & tela cùm perfecto bello, in quo ad alienū arbi-
 trium militaret, Cæsaris sacramento & publico mu-
 nere foret exolutus. Dum hæc Comi fiunt, Leo ponti-
 fex leui in speciè, sed atroci intus atq; pestifero mor-
 bo nō sine ueneni cōiectura, paucissimis diebus extin-
 guitur, in cuius morte nō modò bonæ artes & literæ,
 sed copia rerū, & publica salus, & deniq; læta omnia
 perierunt. Eo nuntio accepto, Iulius legatus, & cū eo
 Sedunensis Cardinalis magnis itinerib. ad comitia Ro-
 mam contendit. Lotrechius uerò in spem erigitur bel-
 li prosperè renouandi, Veneti quoq; rei Gallicæ mul-
 tò propensius fauent, nec tamen Cæsarianis animus
 concidit. Parantur utrinq; noui exercitus. Franciscus
 Gallorum rex qui Heluetijs mercede conductis Bel-
 gicæ Galliæ fines uastabūdus irruerat, nullaq; re me-
 morabili gesta, cū copias Cæsaris ad Valentianū op-
 pidū opprimere potuisset, domū redierat, omnes uires
 ad Italicū bellum intendebat. Pari quoq; Cæsaris stu-
 dio ex Germania peditum auxilia mittebantur. Inte-
 rim Lotrechius mortuo Leone pontifice, nec adhuc
 in locum eius alio suffecto, Parmam capi posse fa-
 cilè ratus, eò magnam copiarum partem, Federico
 Bozolo

Bozolo, Marco Antonio Columna, & Bonaualle Ducibus transmisit. ii quòd in celeritate inopinatoq; aduentu summã spem reponabant, nequaquã tormentis adductis, tantummodo scalas tulerūt. ea re cognita Parmenses audacter præconibus Gallis respondent, se urbem quo ad vires ferrent, Romano futuro Pontifici fideli constantia, seruaturos. Itaq; tribus in locis diuisis trifariam copijs, Galli uno tempore, appositis scalis, murum inuadunt, sed tribus pontificijs cohortibus, administrante & propugnante Salomnio Siculo, & Parmenses alacriter arma capientes, Guicciardino urbis præside uehementer adhortante, moenia defenduntur, Galli q; omnibus in locis, uario genere telorũ obruti detruduntur: quo accepto detrimento, insequenti nocte Galli discedunt, adeo mœsto trepidantiq; agmine, ut quum falso rumore exorto Prosper atq; Piscarius ad iter cõcidendum Padum transisset dicerentur, se se in nocturno frigore uia maxime luttulenta, obscuroq; admodum cœlo, omnem facile sædimenti metus pudorem exolente: tremendo errandoq; cõficerent, quibus malis opportuno inuento Marcus Antonius, infixis cœno passim per uie margines cereis luminibus feliciter occurebat. Tum uerò manifestè uerum esse apparuit, quòd Fabritius Columna militari proloquio dicere solebat, tormenta maiora pro Vrbiũ & Castellorũ hostilium clauibus haberi, nihilq; tutum uel egregium militiæ posse geri, nisi uel in paruis expeditionibus ipsa tormenta que cuncta protinus aperiant, conuehantur. Nec multò post Renatus Bastardus Sabaudius Francisci Regis auunculus

cum Palicia & delecta Gallorum iuuetute Heluetiorumq; legionibus tribus à Verbano lacu in Italiam descendit, occurrere eis negligenti dissipatoq; agmine Mediolanum iter habentibus Caesariani equites Castriotto & Castalio ducibus, quos Piscarius exploratum miserat, qui Heluetios improvisò adorti circiter ex his ducentos in Carbonario uico cecidere, inde castigata licentia euagandi nequaquam simili temeritate, uerù è disciplina confertis ordinibus Madoetiam est peruentum. Ibi Lotrechius cum suo, Venetoq; exercitu, superata Abdua cum summa omnium laetitia & gratulatione se coniunxit. Erant enim ij duces & tales tantaeq; copiae, tribus in unum cõiunctis exercitibus, ut Mediolanum imperij caput, Gallis praesertim arcetentibus in discrimine positum esse uideretur. Neq; enim tantulis Caesarianorum copijs urbs amplissima facile poterat defendi, nisi è Germania Hieronymus Adurnus duce Georgio Franispergio incredibili celeritate per niuosas Rhaetiae & Vulturenae uallis Alpes quinq; milia delectorum peditum adduxisset. Interea Prossper, atq; Piscarius de hostium consilio haud ambigua coniectura iudicantes, nobili inusitatoq; opere arcem circumuallare statuerunt, ratione ducta ex Cõmentarijs C. Caesaris qui ad Alexiam binis auersis munitionibus extructis, obsessorum, exteriorumq; hostium conatus feliciter elusisset. Nemini enim erat dubium, quin Galli, ut suis opem ferrent, ad arcem essent instructo exercitu peruenturi, atq; ita inromisso comatu renouatoq; praesidio Caesarianis non modò de retinenda urbe, sed de tota uictoria foret desperandum.

Eo opere

Eo opere nullum uel nostra uel patrum memoria, mi-
 litiae maius aut mirabilius fuit. A Vercellensi enim
 uia, inclusis priuatis sacrisq; ædibus ad Comensis por-
 ta extrema suburbia binæ perpetuæ munitiones lu-
 nato ambitu sunt perductæ, ita ut inter eas singulis
 conclusas fossis, latissima uia relinqueretur, qua equi-
 tes armatæq; acies & tormenta currulia faciliè com-
 mearent, utrinque ad capita munitionis ingentia e-
 rant propugnacula, totoq; opere alia minora forinse-
 cus eminebant, cum idoneis fenestellis ut tormentis,
 succendentium latera peterentur. Arx ipsa ab opere
 distabat stadiorum trium interuallo, sic denum, ut
 partim à suburbanis tectis, atq; his, quos diximus per-
 petuis aggeribus, partim quæ urbem despectabat, præ-
 septo regionum exitu, undiq; conclusa teneretur. Inte-
 rim Galli duces producto exercitu, in pratis & uir-
 darijs quæ ab arce latè extenduntur, non longè ab ho-
 stium munitionibus confederunt, qui in arce erant sin-
 gulari affecti letitia & summis turribus suorū ca-
 stræ despectantes, id unum, postquam erumpendi fa-
 cultatem amisissent, intenti expectabant, ut ab ijs ma-
 gno impetu, Cesarianorum munitiones perumpere-
 tur: gerebatur res omnibus horis nūquam serè cessan-
 tibus magnis tormentis, multiq; interibant, sed plures
 ex agrestium fossorum quàm militum numero, ipseq;
 Alfonsus Vastius penè interiit, quum pilæ ictu defra-
 cto quodam pariete cimenti frustulis resilientibus,
 minuta plura uulnera sinistro crure suscepisset. Erat
 apud Gallos Nauarrus, is more ingenij sui cuniculos
 instituerat, quibus in medias hostiū munitiones eruna-

peret, cāuabantur passim fossæ obliquæ, serratis gyris
 ad euitanda tormēta concisæ, quibus ad Cæsarianorū
 opera penetrarent: certabatur etiam quotidie extra
 ordinem ab equitibus, leuisq; armaturæ pedibus a-
 pud castra Gallorum. Non uidetur præmittendum
 Luponi Hispani militis facinus. Is cursu & uiribus tan-
 tum ualebat, ut ariete etiam humeris imposito uelo-
 cissimi cuiusque cursum adæquaret. Hunc Piscarius
 quū certiora de hostium consilijs eorumq; præsertim
 operibus cognoscere maximè cuperet, præposito præ-
 mio impulit, ut ad munitiones Gallorum excurrere,
 & aliquid ipsius ingenio & solertia dignum referre
 uellet, quando pernicipitati pedum confisus id tuto ag-
 gredi posse uideretur: annuit Luponus assumptoq; se-
 cū fideli sclopettario pedite, diluculo ad hostiū muni-
 tiones est profectus, perspectoq; situ, semi sopitū uigilē
 corripuit, procerū sanè Gallum eumq; sublato clamo-
 re frustrare reluctantē, comite in excitos & persequen-
 tes sclopettū displodente, ad Piscariū humeris depor-
 tauit, ut cunctæ sigillatim eo referēte proderētur, ex-
 cepit id facinus cum multo risu uterq; exercitur: Ve-
 rium Piscario haud uanū illius indicium fuit, horaq;
 maximè opportuna, cum delectis cohortibus hostes in
 opere occupatos est adortus, tanto Hispanorū impe-
 tu & perturbatione Gallorum, ut multis in fossa op-
 pressis, & cæteris qui in statione erant cum cæde pro-
 fligatis, tota Gallica castra ad eum tumultū, ut in su-
 bita armorū conclamatione, timore & strepitu com-
 plerētur. Biduo post quum Marcus Antonius Colum-
 na medius inter Pontirenium Gallum, & Camillum
 Triuultij

Triuulij filium adæquitans circumfufis pluribus Hel
 uetijs ducibus, paulo editiore munitionum in parte
 uerfaretur, maioris colubrinæ ictu cum Camillo mife
 rabiler est difcerptus. Vir inter Italos, fi ingenij ad
 omnia grauis & eruditi, et corporis ingentis uirilifq;
 maximè oris dotes cum fortune donis computentur,
 militari laude digniffimus. Prosper uti fratris filiū &
 tanta indolis Romanum ducem decuit, ueriffimis lu
 xit lachrymis, ab hoftibusq; preceptum adhibito fune
 ris honore tumulauit. Ferunt, Proferum confpecto
 illo hoftium globo, armis & criftis maximè cōfpicuo,
 ignarum prorfus cui nam exitum pararet, eam colu
 brinam diu fuis libratam manibus, ut emitteretur præ
 cepiffe, quo casu, reputatione tam iniquæ fortis iufto
 grauior moeftiffimo patruo dolor incidit. Nec mul
 to pōft, Galli duces nequicquā inftituitis & perfectis
 operibus cum munitiones hoftium fe poffe per rumpe
 re desperarent, ad Binafcum Ticinenfi uia castra mo
 uerunt, occupatisq; propinquis uicis, partem copia
 rum cum Memorantio & Federico Bozolo trans Ti
 cinum annem miferunt, ut ad oppugnandam Noua
 riam debili firmatā præfidio conuolaret. At Mantua
 nus & Antonius Leua, qui Ticini erant, cognita Gal
 lorum profectio, eis ad Gambalottā uicum produ
 ctis copijs occurrunt, fed quanquam ad tormenti ia
 ctum collata figna effent, prælio tamen non decertāt.
 Ita Memorantius fuo innixus confilio Nouariam pro
 ficifcitur, ad ductisq; tormentis & figno prælij mili
 tibus dato, fruflra propugnante et defendente Philippo
 Torniello, urbem capit & diripit: in ea irruptione Bo

calius Gallus dux equitū est interfectus. Interea Francis-
 ciscus Sfortia qui paternum in regnum reducebatur, &
 Germania Ticinum uenit, eum Mediolanenses incre-
 dibili cum letitia cunctantem expectabant, testaban-
 turq; apud Prosperū atq; Piscarium se nequaquam in-
 posterum tantam uim pecuniarum in stipendium es-
 se collaturos, nisi principem suum Cæsaris & Leonis
 studio restitutum paterna in sede conspicerent. De-
 erat enim Cæsarianis pecunia, quum sublato Leone
 pontifice, & Hadriano qui erat suffectus in extremis
 Hispaniæ finibus agente, ipsoq; Iulio Medice Floren-
 tiæ inimicorū armis & domesticis insidijs petito, cum
 illa propè ad alendos exercitus defecissent. Cupiebat
 equidem Franciscus Sfortia Mediolanum proficisci,
 sed alienum uidebatur à belli causa salutem in discri-
 men deuocare, & circumfusos hostes fallere conari,
 quando aut euolandum cum paucis, aut si cum ualido
 præsidio ire pergeret, in itinere, nocturno prælio so-
 ret dimicandū: augebant hæc rerum difficultates Ger-
 mani, qui Ticini erant, pecuniam in stipendiū usque-
 adeò acerbè ac insolenter flagitan'es, ut Mantuanus
 & Leua magnopere timerent, ne turbidi & sæpe ue-
 nales animi, occulta fortè Gallorum largitione corru-
 pti ad perfidiā uerterentur. His rebus Mediolani co-
 gnitis, Piscarius Castalium familiarem suum equitum
 præfectum cum pecunia & mandatis Ticinum mit-
 tit. Is euitata militari uia haud magno ad leuam ca-
 pro circuitu, nullo hoste obuiο peruenit: prolataq; pe-
 cunia & pacatis subinde Germanis Sfortiam alloqui-
 tur. Docet exploratā esse uictoriam, si Mediolanum
 ire ma-

ire maturaret: si uerò inani præpeditus metu diutius cunctaretur, cuncta per dita & conclamata uideri: tutissimum esse id iter quo ipse uenisset incolumis. Piscarium præmisso uniuerso equitatu cum legionibus constituta nocte ad se primū lapidem egressurū: exeunt equites, qui Ticini essent, & Germanos latera simul & terga clausuros. Dubitantem adhuc Sfortiam & paterni carceris ærumnas, si caperetur, anxio animo reputantem Hieronymus Adurnius uehementi oratione, qua non modò ignobilem sed funestam fore mortem ostendebat, incendit, atq; ita Frãsciscus salutis ac imperij iura superis cõmendans, insignem equum conscendit, feliciq; temeritate noctu confecto itinere flexuosis tamen tramitibus ad Piscarium peruenit. Tum uerò ab armatis legionibus displosis certo numero:q; ordine minoribus tormentis, ad latitiæ signū dux & princeps est salutatus. Is fragor crepitantium tormentorum Gallos excitauit, et Venetos qui multis criminacionibus publicã omnium incuriam frustra prosequentes uniuersi belli facile cõficiendi exoptatam totiesq; exploratam occasionem amisisse querebantur. At Lotrechius qui in tãtæ rei momento defuerat, ut incuriæ uel imprudentiæ infamiã nobiliore ausu resarciret, ad oppugnandum Ticinum summa celeritate contendit, ratus magnam præsidij partem in comitatu Francisci Sfortiæ Mediolanum tetendisse: nec ob id modicis copijs urbem defendi posse murorum ambitu ingentem, neq; nouis operibus ab Antonio Leua satis egregiè permunitam. Succedente ad moenia Lotrechio atque eam muri partem, quæ à Noua porta ad

arcem pertinet, maioribus tormentis quatiente, ipse Federicus Gonzaga Mantuanus princeps iuuenis non ui decoris audius nequaquam animo deficit: introrsus munitiones parat, adiuuantibus præclare Ticinensibus, strenuè & fortiter repugnando, singularem tuenda. e urbis fiducia suis pariter atq; hostibus ostendit. Cæterum per literas orat Prosperum atq; Piscarium, ut subsidiarias cohortes properè transmittat, ipsiq; promotis castris ad ferendum auxilium appropinquent. Id ni fecerint, se nequaquam impetum hostium diu posse sustinere: proinde nisi maturè subueniant, idq; protinus se præstatorios significant, se non serum & extremæ necessitatis consilium sibi desumpturū, ne diu frustrare repugnans, in medijs captæ urbis ruinis opprimatur. Erat iam propè omnis spes undiq; præcisâ introducendi auxilij: nam Gallica et Veneta castra circa urbem ingenti diffusa latitudine itinera omnia claudabant. non desuere tamen Prospero & Piscario cohortantibus & præsentî pecunia Centuriones inuitantibus, Italicæ duæ & totidē Hispanicæ cohortes, quæ se omnino peruasuras esse profiterentur. Præsertim fuere ante alios insignes Cullius Florentinus & Corberia Hispanus. si non minore nocturni itineris secretitate quàm animi constantia, deceptis uigilib. per media hostium castra transiuerunt, cum Galli eos Italicæ loquentes lingua, Venetos esse putarent, & à Venetis Gallicè respondentes, Vasconum cohortes credere tur. Verum ubi Ticino magis ac magis appropinquarunt in interiores uigilū stationes demum incidere: ibi cum ad falsum tessere nomen proderentur, cunctis

cunctis in eos irruentibus, uix præbita est euadendi facultas: tumultu tamen totis castris exorto Galli equites tergis instando nonnullos cecidere. Biberactus Lotrechij propinquus, alæq; uexillifer feruidiore ingenio iuuenis, dum euadentes intemperantius persequeretur, intra portam quæ Ticino amni coniungitur, signum intulit, atq; ibi priusquàm nosceretur, est interfectus. Interea Lotrechius non uno in loco moenia quassabat: Caesariani nouarum cohortium subsidio adiuti, impigrè resistebant: quotidie equestribus prælijs eruptione facta certabatur. In his longè omnium erat acerrimus Ioan. Medices, qui mortuo Leone liberalius stipendijs inuitatus, ad Gallos transierat. At Mātuanus quanquàm egregiè uim hostium sustineret, multarum tamen rerum inopia premebatur, postulabatq; frequentibus literis à ducibus, ut ad soluendam oppugnationem Mediolano copias educerent: quod cum in summa pecunie difficultate, egrè cunctanterq; fieret, dum cetera parantur, Piscarius ad confirmandum Mantuanum cum delectis cohortibus, & expedito equitatu ad Carthusiæ templum usq; profectus est. Antecedebat cum ala Castalius. Is cum hostibus occurisset, & primis pulsus ulterius processisset, crescentibus undiq; Gallorum auxilijs intercipitur. Tū uerò Piscarius quin opem uel cum periculo ferret, minimè dubitauit, ut qui illum magnopere diligebat, atq; ita equite simul et pedite ad cursum uehementer incitatis, hostes est consecutus. Eius aduentu & conclamatione Piscarij nominis facta Galli perturbantur: Castalius eripitur, commutataq; Fortuna, qui alios ceperant, undiq; profligati

capiuntur. Tantus eius praelij tumultus fuit, ut cum in
 castris Piscarium adesse nuntiaretur. Lotrechius in-
 termissa oppugnatione, & reductis ab opere tormen-
 tis, & instructo deniq; exercitu, tanquam praelio fo-
 ret dimicandum, in hostes aciem conuerterit. Tri-
 duo post Castalius non longè à Binasco tres turmas cata-
 phractorum equitum impedito in loco deprehensas
 fuit. Galeacijq; Sanseuerini, & Theodori Triuulij,
 iteq; Boccalij Galli uexilla retulit. Nō abscedebat ta-
 men incepto Lotrechius, & summa ui, summa cura,
 quod in oppugnatione opus erat, administrabat. Res
 erant in magnum adductæ discrimen: nam tamùm tor-
 mentis Galli profecerant, ut iusto certamine indicto,
 uniuersisq; admisis copijs, perrupta mœnia adoriri
 posse uiderentur. Nec Mantuano eadem uel sui fidu-
 cia, uel auxilij opportunè uenturi spes aderat, quan-
 quam cohortium, & equitum præcellenti uirtute o-
 mnibus in locis feliciter uteretur: quamobrem à duci-
 bus ut maturè opem ferrent, uehementissimè postula-
 bat. Erant enim nonnulli ex numero familiarium, qui
 periculi metu occupati, ut se Placentiam ponte lapi-
 deo cum equitatu proriperet, nullo cum pudere suade-
 bant. Hæc Mediolani singulis prope horis nuntiaban-
 tur. In idq; omnium animi erant intenti, ut ad liberan-
 dum obsidione Mantuanum cum omnib. copijs egre-
 derentur. Sed Prospero pro natura sua consideratius
 & apparatus cuncta agente, Piscarius milites cohortatus
 primus signa eduxit, & alteris castris ad Cartu-
 siæ templum quadratis agminibus est peruentum: suo
 quisq; præcipuo munere sūgebatur. Cataphractis eq-
 uibus.

tibus Prosper pedestrib, copijs ipse Piscarius præerat. Lewis armaturæ equitum cura Hieronymo Adurnio demã data. Is ut idoneũ castris locũ occuparet ad Cartusiæ templũ progredi iussus, Gallos & Epirotas equites quos reperit, impigrè præcurrens fundit, deiectoq; hostiũ præsidio, loco potitur. Prosper atq; Piscarius adueniunt, collaudatoq; Adurnio, intra septa amplissimi tẽpli castrametãtur. Ea re cognita, Lotrechius ne anticipiti prælio dimicare cogatur, nota & rectissima ratione ab oppugnatione discedit, nec tamẽ iniquitate loci deterritus Casarianos adoritur: sed modico uia flexu ad Landrianũ iter intendit, ut Mediolanum uelutĩ præsidio uacuũ præcurrat: uel si id facere nequeat, aliqua nõ iniquo loco dimicãdi facultas, mutãdis saepe castris, & faciundis itinerib, queratur. Verũ Prosper atq; Piscarius, quanq̃ iter magna adhibita celeritate uehementer extendentẽ, cõuersis signis codẽ directo regressi itinere, multis horis antecedunt. Ita Lotrechius præoccupandi Mediolani cõsilio depulsus Modetiam cõtendit, multis de causis, & Gritto præsertim suadente, ut Trãsabuanis cõmeatibus maiore itinere cõmoditate inuaretur: id etiam Heluetij postulabant domũ repetere cupientes, utpote qui iam improspere militia fessi, nihil cæptis aspirante Fortuna, corporib, pariter atq; animis clanguerãt, & subinde insolenti atq; nefaria uoce missionẽ petebant. Sed Bastardus atq; Palicia & Galeacius Sanseuerinus cohortibus eorũ immixti obtestabantur ne se deserere, et infamĩ discessu certã spem paratæ uictoriæ penitus euertere properarent, quando non modò ipsis, uerũ

uxoris etiam et liberis, Franciscus regum libera-
 lissimus, singulari beneficij gratiam esset relaturus.
 Erat cerie præclarū studium, ac eximia fides in duci-
 bus atq; signiferis, sed uulgus militum uti nullis pecu-
 liaribus donis obstrictū, flagitiosè admodū nutabat,
 ita tamen ut uniuersi si properè ducerentur in aciem,
 strenuè operam nauaturi uiderentur. Cognito hostiū
 consilio Prosper, atq; Piscarius nihil ferè Mediolani
 cōmorantes copias omnibus rebus instructas educunt,
 eo animo, ut si detur non iniqua occasio, collatis signis
 cum hoste cōstigent: ad Bicocā uicum castra ponunt,
 loco admodum tuto atq; opportuno, nam ad dextram
 perpetua fossa uiae militaris, ad leuam autem, et in
 tergo duobus emissarijs amniculis cingebatur: in fron-
 te transversam habebat uiam p' austris cōtrarijs per-
 meabilem, atq; ita utrinq; depressam, ut a agrorū mar-
 gines ad umbilicū eminent. Hac uia, quod erat ual-
 de caua Piscarius pro fossa est usus, et ante eam tor-
 menta, et peditatū constituit: in tergo equites cū Pro-
 spero tendebant. uiam militarē occupauit Franciscus
 Sfortia, qui Urbanas cohortes, et totam Insubrū no-
 bilitatem, ut prælio interesset, adduxerat. At Helue-
 tij centuriones rei Galliae singulari studio addicti, et
 ante alios Albertus Petra tot bellis dux insignis, qui
 summā apud legiones obtinebat auctoritatē, ubi re-
 nuntiatur ab equitibus, Caerianos medio inter Me-
 diolanum, et Modocetiam itinere castra posuisse, nec
 eos plus q̄ quinq; milibus passuum loco plano distare,
 ad Gallos duces adcurrunt: loquitur Albertus, docet,
 nullo pacto milites quin demum abeant, posse conti-
 neri,

neri, nisi in aciem educatur, sibi in animo situm esse, ut regi de se benemerito, & Heluetiæ item dignitati satisfaciatur, prælio decertare: neq; dubitare de uictoria si Galli uti deberent, Heluetios ad hostiũ tormentata peruadentes alacribus animis sequerentur. Si qui essent qui scedè cunctari potius quàm egregiè pugnare uellent, eos nequaquã regi fideles, aut Reipublicæ utiles debere existimari. Proinde, se ut fidem & studium erga regem ostendat, uel cum solis Heluetijs aduersus hostes esse progressurũ. Is Alberti uigor nequaquam animo Lotrechij fuit ingratus, utpote qui uel dubio euentu, & iniqua loci conditione dimicare, q̄ ab Heluetijs deserui malebat. Bius enim erat sententiæ ut eorum impetu, postquã adeò flagrantibus animis prælium deposcerent, protinus esset utendum, quando neq; pedite, neq; equite, uel numero uideretur inferior. Ducebat etiam tacitus ignominiæ loco, si tum, uti superiore anno acciderat, nullo iusto contracto certamine, iterũ Cisalpina Gallia pelleretur, quando id unum semper cùm Heluetij tum maximè Galli equites ut uirtutẽ ostenderent, frustra multis precib; poposcissent, quod ei ut in aduersis rebus sæpe accidit, magnam apud Gallos inuidiã cõflauisset. At Palicia cùm Alberti temeritate atq; arrogantia maximè offensus, tum ipsa etiam parum opportuna Lotrechij proclinatione cõmotus, Heluetiorum quidem studiũ prolixè laudabat: sed consiliũ de oppugnandis castris, ut summæ infantæ funestæq; audaciæ plenum, æquis auribus ferre non poterat, sæpe dictitãs se qui in Italia bellando consenuisset, probè agnoscere, & Piscarij iuuenis

uim, qui strenuè pugnare esset solitus, & Prosperi se-
 nis artes qui peritè castrametari cum alieno incom-
 modo, & praeipua sua cum laude didicisset. Non uide-
 ri sibi rem Gallicam eò desperationis esse perductā,
 ut tanquā in extrema necessitate confligere, & supe-
 rari malint, q̄ cunctando animi impetum optima ra-
 tione moderari. Proinde quid tutius, & melius quā
 loco medio inter Mediolanum, & castra hostium se
 insinuare? Ibiq; positis castris, eos urbe et cōneatibus
 interclusos ad id cogere, ut iniqua conditione dimi-
 cent: aut si castra inuadere audeant, aut certè si Me-
 diolanū redire uelint, a quo loco pugnandi faciunt po-
 testatem. Posse equidē Lotrechium, qui ius imperij ha-
 beat, & tum & aliās cum uelit, malè pugnare: cete-
 rūm sani Imperatoris munus esse, nunquā prouocare
 hostem, nisi antè explorato euentu, non dubiā sibi ui-
 floriam firma ratione promiserit. Tum uerò Lotre-
 chius non segni, inquit, cunctatione sedendo, sed uiui-
 da uirtute pugnando opus est, ut amissum decus et im-
 perium omnino recuperetur, quòd hercle fieri non po-
 test, si Heluctios iam abeūtes nullo edito uirtutis ope
 re domum abire permittimus. Igitur parate arma, ut
 hodie bellum alterutro pugnae exitu finiamus. Ad id
 Palicia, Dij inquit, insanis, & audacibus adsint: ego
 certè, ne periculo defugisse uidear, in prima legione
 pedes pugnabo. Vos Galli equites fortiter operā na-
 uate, ut Fortuna uobis potius in re aspera q̄ animus
 defuisse uideatur. Itaq; ante Solis exortū Albertus le-
 giones Heluetias (erant enim circiter quindecim milia
 hominum) cum tormentis educit, adeò uocor di uel cer-
 tē fatali

tè fatali superbia inflatus, ut neq; Lotrechio neq; Paliciæ tantis ducibus ulla in re penitus obtemperaret, sed barbaro fastu polliceretur se recta fronte in Cæsarianos impetum esse facturū. Nec mora, Lotrechius Nauarro atq; Baiardo, qui locum ad castra hostium explorarēt præmissis, ex omni Gallico equitatu duas acies facit, primam Lescuto fratri attribuit in terga hostium magno circuitu deducendam, ipse cum altera subsequitur. Venetis qui ad læuā erant, fuit iniunctum, ut præcuntibus Heluetijs terga omnium ex tuto, aut certè remotiore cum periculo clauderēt. Ioannes porrò Medices cum equitatu suo qui erat ex utraque armatura ualde mirificus, expeditisq; cohortibus Italicis, quæ nomen eius sequebantur, cuncta agmina præcedere iubetur, ut huc & illuc concursando, hostibus prospectum adimat, & nullū hostium antecursoribus explorandi locū relinquat. Ita legiones abscondente Medicis equitatu, nequaquā ab hostibus cōspectæ, magnis passibus appropinquant. Primi tamen Lescuti equites à Cæsarianis ad læuam inter arbores micantibus armis cōspiciuntur. Sed adeò lato uix flexu iter habentes, ut castra prætergredi, & Mediolanū petere uiderentur. Interea Piscarius quo nemo cōstantius in repentinis casibus animi iudicium conseruauit, Castalium cum ala præcurrere iubet: eo prouecto, cū Mediceis equitibus prælium exoritur, modò ij, modò illi pelluntur, interueniunt sclopettarij extra ordinem, seseq; adeò permiscent, ut neque his de Heluetiorum aduentu, neque illis de situ, atque ordine castrorum quicquam certius cognoscendi ulla facultas daretur.

Erāt, ut diximus, ante fossam tormenta opportunè collocata, peditatus in quatuor acies, æqua tamen fronte ita distributus, ut alternis spacijs Hispani, & Germani miscerentur. Præerat Germanis Georgius Franispermus ingenti corporis, & uirū mole conspicuus, sclopettarij ante hastatorū producti ordines totam in longitudine frontem obtinebant, quibus Piscarius tam nouo & solerti, q̄ postea felici instituto præcepit, ut non prius ignem sclopettis immitterent, q̄ Volagnem ad ipsius imperium primò displodentem conspexissent. Præmis autem ordinibus imperat, ut cum sclopettos emiserint, statim in genua se proclinēt, ac eos rursus adimpleāt ut secundo ordini sine anteriorum periculo protinus displodendi facultas detur. Idem ut faciāt secūdis imperat, atq; item tertijs & quartis, scilicet, ut cum ultimi emiserint, rursus primi & secundi ad emittenda que repleuerint, celeriter expediteq; consurgant. Atq; ita incessanter mirabili repetito ordine, ueluti perpetua pilarum grādine, ut priusq̄ manus conseratur, hostium legiones consternantur. Non defuit Piscarij consilio euentus, Heluetij namq; emissis prius maioribus tormentis cum appropinquarent, incitati uehementi cursu nihil de iniquitate loci suspicantes ad fossam peruenerunt, ubi opportunè à Piscario cuncta quietè simul atq; celeriter administrante, emissæ repente sclopettorū procella, adeò fœda strage edita, momento temporis afflicti oppressiq; sunt, ut non modò signa, sed integræ cohortes uno impetu conciderent; ipse tamen Albertus ante alios intrepidè per aggerem connixus, Franispermum sibi cognitum,
 & pro-

& probroso nomine compellatum petit, adactaq; in
 coxam hastæ cuspide, illum uehementi ictu sauciat,
 sed ipse ibi protinus telis undiq; petitus opprimitur.
 Ea quoq; audacium manus, quæ insano impetu suc-
 cesserat, à Germanis pariter, & ab Hispanis ex supe-
 riore loco ingruentibus facillè conciditur, quo incur-
 su uulneratur in brachio Alonsus Vastus, qui quum
 primò cum hastatis in humi stratus, præteruolantes
 pilas euitasset, non procul à Franispergo hostes de-
 mû erecta acie procurerat. Cæteri Heluetij per cu-
 mulos occisorum, & interpositas hastarû strues, diu
 conflictati terga uertunt. Eodem quoq; tempore Le-
 scutus circumducto equitatu in tergo hostes adoritur,
 superatis duabus fossis castra irrumpt. Ambrosius
 Landrianus Sfortianæ ale præfectus funditur, & ca-
 pitur: tabernacula sternuntur: Antonij Leue, & Ter-
 minci reguli tentoria, uasq; argentea lixis & caloni-
 bus cedunt. Fit longè maximus tumultus totis castris:
 pauor, non modò milites, sed ipsos etiam occupat Du-
 ces, recipit tamen celeriter se ipsum ex rei repentinæ
 metu Prosper, & equites instructos Adurnio, & Go-
 lisano impigre adiuuantibus, adcurrenteq; ante alios
 Antonio Leua, turmatim Gallis opponit. iam in pon-
 te Lescutus singulari uirtute pugnabat, quo si esset
 potitus, haud dubie ad latissimã Cesarianorû stragē
 edendam Gallicus equitatus irrupisset, quû Sfortiani
 equites à militari uia promotis signis præliû excepe-
 runt: adcurrit etiã propere subsidio sclopettariorum
 Italica cohors, itemq; In ubres qui loco tutissimo trās
 emissariû minora tormēta cantarijs ligneis imposta

in transfuersos hostes emittebant, aderat eis assiduus cohortator Franciscus Sfortia: uarium & atrox erat praelium, uti in loco, non modo fossis, & praealtis riuis, sed tabernaculorum sinibus, & multis longurijs ad alligandos equos praefixis, undiq; praepedito. Pugnabatur tamen acerrime in ponte, ibi enim ipse Lescutus phaleris, & plumea crista insignis magna uir perirumpere contendebat. Nec deerant emulatione decoris Memorantius atq; Batardus & Pontiremius Dum cum promptissimi, itemq; Federicus Bozulus, qui in militare uiam penetrarat, sed obstabat Gallorum equitum uirtuti loci iniquitas. Nam neq; densatis turmis perirumpere neq; sese tueri poterant, quum nullum pedestre subsidium adduxissent. Itaq; Galli qui in ponte pugnabant, pluribus utring; in profluentem foeda hominum, & equorum strage praecipitatis deturbantur: confoditur Lescutus equus, & mox quum alium sumpsisset, gladio in os per cassidis buculam coniecto uulneratur. Cadit & Baccalaurea Brionij signifer: Vgo ni Pepulo crus pila traiecitur: uexilla Gallica rapiuntur: sclopettarij qui ultra fossam erant, in latus hostium uersi frequentibus sclopettis magnum cataphraetis, & eorum praesertim equis inferunt detrimentum. Interim deleta primum Heluetiorum acie, è pedite uictoria conclamatur: is letissimus clamor per manus defertur ad postremos, Gallis illico animus concidit: Caesarianis augetur: explicat se pugna Lescutus, & singulari constantia, quanquam multis amissis equitibus se recipit ad Lotrechium fratrem, qui conspecta Heluetiorum cede, & fuga, constanter in acie subsisterat.

At Piscarius ubi stratis primis ordinibus perturbatus, & in fugā uersas legiones hostiū uidit, quantis maxime ualuit precibus, & obtestationibus Franissurgū, & Germanos est cohortatus, ut signa protinus inferendo, suscorū terga caderent, de gente Germanico nomini inimicissima uindictam sumerent, & deniq; absq; ullo periculo summa uictoria potireretur. id quē ab eis qui insolenti cōtumacia dicto audientes esse nolebant, & triplex stipendiū incondito fremitu flagitabat, nequaquā impetraret, ut exēplo accenderetur. Hispanorū ires cohortes emisit: eā quōd effuse praecurrerēt, nec Germani sequeretur, amisso Guinea Centurione propē sunt circūuentā, cū ab Heluetijs, qui tormenta retrahebant, tum à Ioāne Medice, qui ex transuerso illatus cum pediū atq; equitum ualida manu, abeuntium Heluetiorum terga protegebat. Caesariani tamen equites Prospero imperante, & Piscario ut maturarent uultu iracundo flagitante, uestigijs institerunt: atq; ita Medice audacter in eos uexilla cōuertente, equestri praelio duabus amplius horis decertatum. Nam & Galli, & Veneti leuis armaturae equites ad Mediceū uexillum undiq; confluebant. Ceterū ab initio praelij stratis Heluetijs, Venetae copiae sermē omnes Theodoro Triuultio Duce, nec tentato quidē certamine se receperūt. In primo cōgressu, aut postea ex uulnerib. circiter tria milia Heluetiorū periire, et in his quatuordecim noti duces, in quibus secūdū Albertū Petrā Arnold. Vnderualdius Strabo auctoritate & uirtute animi plurimum eminebat. è Gallis uerō desiderati sunt Molantius & Ghisca, duosq; no-

bilissimi iuuenes Möfortius atq; Tornonius. Ex Cæsari-
 anis autē Petrus Colifanus regulus ex gente Cardo-
 nia Piscarij auūculus, qui cūm galeæ bucculā subdu-
 ceret, scorpionis sagitta per oculū traiectus interiit:
 ita ut fatali Cardoniæ familiæ potius, in qua tot Du-
 ces Mars immitis abstulerat, quā sua peculiari sor-
 te extinctus esse uideretur, quando unus tantū toto e-
 xercitu scopiosus repertus, quo ignobilis eques eam
 sagittā in incertū ad illius egregij uiri necē emiserat.
 At Piscarius quanquā omnium uoce, & gratulatione,
 cūm singularis industriæ, tum eximie uirtutis parta
 laude fruebatur, uix ullam tamen animo & uultu læ-
 tiam præferbat: nam frēdens, & gemens incōparā-
 bilis gloriæ uictoriam fœda germanorum contumacia
 & consternatione, sibi è manibus ereptam fuisse que-
 rebatur. Postero autem die, quum fufis, atque per-
 territis instandum esse censeret, Gallicæ copiæ omnes
 dissoluuntur: Heluetij amissis Ducibus domum conti-
 nuo per Bergomatem agrum contendunt, ad Tritium
 Abdua traiecitur: Veneti in Brixianorum fines rece-
 dunt: Lescutus, & Ioannes Medices Cremonā, Bozō
 lus cum reliquo equitatu Laudem Pompeiā profici-
 scūtur. Lotrechius, Palicia, & Bastardus trans Alpes
 in Galliam abeunt, ut corā de statuererū & de inse-
 licitate eius prælij Franciscum regē doceāt. Quibus
 rebus cognitis, Cæsariani Mediolanū reuertūtur. Inte-
 rea Franciscus Sfortia pecuniam sedulo conquirat ad
 iuuantibus præclarè ciuibus, militi stipendia persoluit:
 plures donatiui nomine uestibus laneis, & sericis libe-
 raliter exornat: atq; ita exercitus omnibus rebus in-
 struētus,

structus, septima die postquã ad Bicocam tertio cal.
 Maias est pugnatum, ad oppugnandam Laudem sub si-
 gnis educitur. Antecedebat Piscarius more suo cum
 Hispanis & expedito equitatu. Prosper cum Germa-
 nis & graui armatura, maioribusq; tormentis seque-
 batur. quum præcurrerent equites, & in portis tu-
 multuarium prælium cicerent, Baro Castellarius cohор-
 tis præfectus, uir Gallico ingenio, Hispanorum auda-
 ciam minimè ferens, se quin erumperet, cōtinere non
 potuit: eum etiam nõnulli equites sequuntur, illicò mi-
 scetur pugna, superuenit Ioannes Dorbinus cum sclo-
 pettarijs, Galli cedunt, ipse Baro tam fortiter repu-
 gnans, quã temerè fuerat egressus, uulneratur, & ca-
 pitur: ita Hispani compulsis intra portam Gallis, sub-
 urbanis tectis potiuntur. Fit magnus tumultus ad por-
 tam, quum quisq; metu incitatus, per semi adaper-
 tas fores ingredi conaretur. Aduolat eò Piscarius Baro-
 nem uulnus obligantem, bono animo esse iubet, quum
 ridendo percunctaretur, an magnis munitiõibus at-
 que præsidijs mœnia firmassent, ab eo cum dolore uul-
 nerũ, tum eruptionis infelicitate uehementer pertur-
 bato, didicit, nihil intus è disciplina fuisse præparatũ.
 Tum uerò nihil cunctandum ratus, undiq; copias ad-
 mouet, tumultuosissimo pugnae genere propugnacu-
 la, murumq; subeunt, sclopettarij mœnium coronã de-
 fensoribus nudant: scale apponuntur, nonnullis intra
 portam per rimas interfectis, portulae fores reuulsis
 uectibus impelluntur: irruunt cohortes, & urbs un-
 dique capitur. Alfonso Vastius inter primos murum
 conscendit: tum uerò Hispani in forũ conglobati per-

uadunt: undique Galli capiuntur. Bonaualles & Bozulus qui cum mille amplius equitibus eadem hora per aduersam portam aduenerant, inermes & discincti ultra Abduam profugiunt. Eos Castalius in primis & Epirotæ equites duce Constantino effusi, ponte litaneo persequuntur. Sed duces ab ignobili habitu facile neglecti, quum ornatiores tantum equites caperentur, Cremam incolumes sæda fuga perueniunt. Capti sunt quatuor alæ equitum cum uexillis, paucis admodum interfectis, sed magna equorum & armorum præda Hispanis cecidit: multi quoque Laudensium qui Gallico nomini impensius sauebant, pecunia sunt mulctati. Eo incōmodo recepto, reliquæ spes omnes Gallis sunt accisæ: nam ætate nostra nunquam simul ex Gallicâ gente tot equites ullo in bello captos fuisse constat. At Prosper qui graui agmine sensim appropinquabat, utpote qui urbe nisi magnis operibus, admotisque tormentis, expugnari minimè posse iudicabat, ubi moenia manu capta, & tot equites oppressos incredibili celeritate uirtuteque Piscarij didicit, animo haud mediocriter est commotus usque ad eò apertè, ut publicam lætitiã cæco, & ignobili quodam liuore perfrunderet, quasi iam Piscarius qui tricesimū annum uix attigisset, ipsius ueterani diuicis gloriæ maximis operibus æquaretur.

LIBER TERTIVS.



CAPTA Laude Pompeia, Piscal-
 rius ad Pisleonē est profectus: id erat
 oppidū Cremonensi uia in Abduerū
 pa positum, nouo presidio & anti-
 qua munitione firmissimū: eò cū ue-
 nisset, inspecto situ, & tentatis presidij uiribus repe-
 riebatur nō facile posse capi, nisi magno aduecto tormen-
 torum apparatu, neq; item obsideri nisi longissimo La-
 bore, quoniam praefectus trium mensium cibarijs ar-
 cem abundē repleuisset. Relinquebatur ut quantis
 maximē posset artibus & machinationibus hostes ter-
 reret, & uineas agendo, & statuendis maioribus tor-
 mentis subiecta loco repurgando, egregiē simularet,
 se id oppidum uel capturum, ac protinus euersurum, nē
 si priusquam ingentia tormenta cōueherentur, dedi-
 tionem fecissent. Igitur ad eam consilij speciem ut un-
 dique terrorem incuteret, circuibat oppidum: aditus
 omnes succedentibus expeditis sclopettarijs pertenta-
 bat: iubebatq; eos ut ex protectis locis diligenter
 obseruarent, si qui inter murorum pinnas uersaren-
 tur, atq; eos destinatis ictib. ferirent. Sed dum ipse me-
 dius inter Bustiū & Mercadū centuriones ponticulū
 transiret, suūq; prudentiae & agilitati cōsensus, ut qui
 pericula incerti euentus ingenti animo semper con-
 tempisset, pari hostiū diligentia penē est interfectus.
 Tres enim sclopettarij defensorū longē peritissimi, ab
 occulto muri loco intenti obseruabāt, an aliqui ex Hi-
 spanis apparerēt in quos certis ictib. tormēta minora
 cōijcerent: atq; ita accidit, ut cū Bustius et Mercadius

extemplo grauitè icti cecidissent: iam tertius in Piscarium sedulo collimans, ignem immitteret, cum repente Ticinensis centurio cognomento Fraterculus, iniecta manu accensum funiculū auerit, alta uoce in-
clamans, *Dij prohibeant, ut hodie ducum fortissimus atq; idem militum parens, & qui nos uel hostes alit, nostra seuitia concidat: quin potius eum seruemus, ut supersit qui bella ex bellis serat, ne nobis qui stipendia sequimur, segni in pace fame sit pereundum. Erat enim adeò propinquus arci, ut ab toto corporis habitu, et à rutila praesertim barba faciliè nosceretur. Nec multo post hic ipse Centurio cum certam muri partem nequaquam à praefecto, uti oporteret, munità esse quereretur, territusq; imminentis periculi denuntiatione colloquium postularet: Castalius arcem ingressus, tantum minarum Piscarij nomine simulanter effudit, ut praefectus magnopere cōterritus, deditiois tabellas obsignarit. Ita oppidum quod neq; ui, neq; obsidione nisi admodum diuturna capi posse uidebatur, uerbis ac una tantum oppugnantis auctoritate, hosti celeriter est ereptum. Nemo enim Piscario omnis generis hominibus uel alliciendis sermonum benignitate, uel praesenti atrocium uerborū fulgure perterrendis efficacior atq; uehementior fuit. Pisleone amisso, Lescutus qui Cremonae erat, quanq̃ singulari dolore erat affectus, nihilominus operam assidue dabat, ut moenia munirentur: pecuniā quoq; uel summa acerbitate à ciuib. exigebat, ut copias aleret, & sese quādiutissimè tueretur. Ceterū Piscarius tam lato rerū successu ad summam uictoriā utendum ratus, Cremonae moenibus*
copias

copias admouit. Venit & eò Prosper cum reliquis co-
 pijs, & magnus rerum omnium apparatus Francisco
 Sforria subministrante, in castra Mediolano conuehi-
 tur. Erumpebat sepe Ioan. Medices, itēq; equites Gal-
 li et expeditæ cohortes, mutuisq; acceptis et illatis de-
 trimenis quotidie certabatur. Iam proferri tormenta
 cœperant, cū Lescutus suadentibus Gallis de deden-
 da urbe cogitauit. Erat enim omnibus rebus impar, et
 aduerso rerum successu potius quàm animo fractus,
 postquã à Fortuna deserebatur, nullum honestiorem
 afflictis rebus exitum uidebat, quàm ut tot uiros for-
 tes qui secū toties egregiè pugnassent, nō iniqua con-
 ditione conseruaret. Hæc dum agit, missisq; ad Prospe-
 rum atq; Piscarium nuncijs, se daturum obsides impe-
 tratis inducijs pollicetur: eius rei haud uanus rumor
 ad Ioan. Medicem defertur. Is ut erat ingenio ferox,
 & plerunq; uiolentus, eam contumeliam uix ferens,
 quòd non esset in eius rei consilium admissus, ad eò ira
 protinus exarsit, ut palàm ferocibus uerbis se conte-
 mni quereretur, iuraretq; sumpturum sibi consilium,
 ut iniuriam uindicaret, & stipendia debita militibus
 suis soluerentur: merebant enim iam tertium mensem
 sine pecunia cohortes & equites: hoc enim Lescutus
 una tantum propinqua spe eius pecuniæ quæ è Gal-
 lia mitteretur, & per amplis item pollicitationibus su-
 stentabat. Itaq; milites ubi ducem iratum uident, &
 clam à Gallis agi de compositione, & se deserui au-
 diunt, cū meritis stipendijs fraudari magnopere ti-
 merent, uii consternatis mos est, stipendia turbidis cla-
 moribus editis efflagitant. signa conuellunt, & tor-

menta quæ in hostes erant, conuersa à mœnibus redū-
 cunt, tanquam inuasuri Gallos uti hostes, direpturiq;
 urbem, aut portam quam præsidio tenerent, hostibus
 prodituri. Tumultu exorto, prodit in publicū Lescu-
 tus, nec dubitat quin ad seditiosos milites contendat,
 confisus ingenio Medicis, quem uti faciliè irasci soli-
 tum, ita citò placabilem nouerat, eum comiter appel-
 lando, & apprehensa dextra deprecando, lenissimis
 orabat uerbis, ut milites sedaret, sibiq; ignoscere uel-
 let, si quid ipso ignaro cum hostibus tractasset, quan-
 do nihil adhuc rebus integris esset confectum. Debe-
 re eum qui eo sanguine eaq; familia esset genitus, quæ
 nihil de decoris admittere consuesset, ante omnia be-
 neuolentissimi regis causam spectare, cuius liberalita-
 te, non modò stipendia, sed priuata strenui cuiusq; mi-
 litis merita cumulatiè persolui possent, si uel modici
 temporis expectatione patienter uterētur. Ad ea Me-
 dices, se quidē iure iratum esse respondit, sed in hono-
 rem regis eam iniuriā faciliè remitteret, modò militib.
 stipendia soluerentur. Rem enim esse summæ iniqui-
 tatis occultis pactionib. bellum finire, ut extemplo di-
 missi milites debitis stipendijs fraudentur: sibi in ani-
 mo esse quoad uita supersit, militū suorū causam tue-
 ri: neq; eos laceros, egentes, uulnerib. debilitatos de-
 cipi à quoquā & proijci uelle pati: quādo in eo uerū
 decus, uerāq; laudem reponeret, si fortissimos milites
 suū secutos nomē ab iniuria defendisset. Enimuerò se
 Gallorū morem agnoscere (uti satis esset euulgatum)
 qui Italos uel fortes & fideles in summa felicitate de-
 spiciant, et in dubijs belli rebus, cum forti eorū opera
 studioq;

studioq; egeant, humaniter & liberaliter obseruent: cum uerò Fortuna ultimos calamitatis casus attulerit, uti trepidi & sibijpsis tantū consulentes, turpissima quadā obliuione destituant. Hæc cum tumido ore altius proferret, interuētumultorū ducum, arriudenteq; Lescuto colloquiū dirimitur: ad leniendas uerò cohortes Lescutus quantū potuit à quæstore pecuniarū sumpsit: itemq; aliquot argentea uasa ab amicis mutuò accepta in partem stipendij Mediceis cohortib. diuisit, atq; ita pacatis militibus facile Medices ad officiū est reuersus. Sed Lescutus se cū ipse reputans quo in periculo uersaretur, & cohortes seditiosè semel agitata iterum similia cōminari, flagitiosèq; deficere posse conspiceret, perq; maturè de dedenda urbe cum hoste transegit, quādo desperatis auxilijs in summa rei nummarie difficultate constitutus neq; nouas parare copias neq; ueteres alere facillè posset. Ita datis obsidibus, conditionū tabulas obsignat, quoad è Gallia literis regijs comprobentur. Nec multo post cuncta rata habuit rex Frācisus, Cremonaq; dedita est. Lescutū cum tot Gallorū agmine in Galliam transeuntē Prosper atq; Piscarius summa comitate liberalitateq; Ticini susceperunt, ubi per conuiuia & saltationū ludos apud nobiliores matronas aliquot dieb. substitit, atq; inde in Galliā ad regem est profectus. Vnus omnium Gallorū Causentius Vasco Leuci oppidi ad Lariū lacum præfectus, cum ex cōditionib. id reddere iubetur, Lescuto nō paruit: haud digna tamē usa est causa Cæsarianis eò tum uetrices copias conuertendi, quando iam duces post tot partas de hoste uictorias,

maius atq; præclarius bellū aduersus Ligures uehe-
 mentibus consilijs atq; animis agitent. Cremona in
 potestātē redacta, ex templo copijs omnibus Padum
 traductis, bellū aduersus Ligures susceptū. Nam Octa-
 uianus Fregosius ex professo Gallicum nomen tueba-
 tur. Is ab initio belli hostis fuerat iudicatus, quoniā su-
 perioribus annis inopinata defectione Franciscū re-
 gem in Italiam euocasset, quo iniquo uel ingrato con-
 silio sibiq; in primis & patriæ exitiali, inexpiabile
 odium Cæsaris & Leonis maximè pontificis sibi con-
 citarat. Piscarius quoq; qui pulsus Adurnijs Octauiā-
 num in patriam reduxerat, & principem constitue-
 rat in ciuitate, Hieronymo Adurnio uehemētissimè fa-
 uebat: is tum in castris aderat, hortabaturq; Cæsaria-
 nos duces, ut maturè Genuā contenderent, ut oppres-
 sis uel eiectis Fregosijs, nemo demum qui Gallicis par-
 tibus studeret, in Italia relinqueretur. Erant enim Ge-
 nuēses socij ante alios, Gallo ad reparandū bellum re-
 petendāq; Italiam maximè opportuni, per se etiā pe-
 cuniosi, & nauali apparatu adeò potentes, ut Cæsa-
 riani nunimè dubitarent, Gallorum spes omnes ac spi-
 ritus frangi, si omne Ligusticū nomen ab eorum foede-
 re atq; amicitia, aut ui aut passione aliqua discessis-
 set. Itaq; Cæsariani Genuā contendunt: Prosper Colu-
 mna cum quo etiā erat Frāciscus Sfortia, ut ad expri-
 mendam deditiōem bello suscepto maior authoritas
 adderetur, cum Germanis ad eam Portam posuit ca-
 stra, quæ ad Feritorē annem ducit: Piscarius & Hie-
 ronymus Adurnius cum Hispanis atq; Italis per subur-
 bana tecta ad aduersam sancti Thomæ portā incētib.
 successere.

successere. Ante omnia Piscarius per præconē edixit,
 ut Genuensium uillis atq; delitijs parceretur, adeò se
 uera lege, ut spinosam equitem uilissimæ prædæ inten-
 tum, laqueo è fenestra suspenderit. Volebat enim ne-
 quaquam exacerbitatis ciuium animis cuncta experi-
 ri, ut sine sanguine & perturbatione ciuitatis Frego-
 sij pellerentur. Sicuti antea Adurnios singulari equi-
 tate animi patria et principatu ultrò excedentes, in al-
 tera rerū fortuna pepulisset. Id Hieronymus Adur-
 nius diuini uir ingenij sollicito animo ut feliciter eue-
 niret, optabat potius q̄ sperabat. nam Octavianū na-
 tura constantem & impaidū esse nouerat, & Fede-
 ricum fratrem Salernitanū antistitem, uirili potius q̄
 honesto consilio contemptis belli periculis nunquam
 passurū arbitratur, ut ignobili metu & principa-
 tus & patria relinquerentur, nisi prius, cuiusnā hæc
 futura essent, Marte iudice certaretur. Nec decrant è
 Fregosia factione turbidi acerbiq; homines, qui ut e-
 gregium studiū erga principē ostentarent, uires ho-
 stium inanib. eleuarent uerbis, & sese uxores & libe-
 ros pro eius salute ac dignitate, si animū minimè de-
 sponderet, deuoturos testarētur. Erant in præsidio cir-
 citer quinq; milia externorū & maximè Corsorum
 militū præter cohortem prætoriā & ciuium ac mon-
 tanorum Ligurū turbam, quæ arma alacriter cepe-
 rat, quasi ueteris gentis cōsuetudine cum eieclitijs ac
 exulib. aduersæ factionis, nō cum ueterano ac exter-
 no hoste foret dimicandū. Aderat Andreas Auria uir
 acutus et egregiè fortis cū classe aliquot magnarū na-
 uium & triremiū septē. expectabaturq; Nauarrus cū

Gallicis rostratis, qui expugnandarū & muniendarū urbium artificio metuendus euaserat. Quibus de causis nonnulli Fregosiorum clientes sublatis animis seruitutē & catenas ad remos petulanter Hispanis atq; Germanis minabantur, eosq; talem eius belli exitum infelici temeritate laturos prædicabant, qualem patrum memoria Galli & demū Sfortiani sub ipsis Genue mœnibus pertulissent. Cùm is esset ferè tota ciuitate animorum habitus, Piscarius senatum per literas misso caduceatore monuit, ut sicuti superioribus temporibus fecissent, in extremo rerum omnium discrimine sapientes esse uellent: felicitate Cesaris & uirtute inuisi exercitus eas partes esse uictorias quæ documento esse possent sanis hominib. nihil ultra in exitiali contumacia persistendum. Proinde Gallicum iugum excuterent, quòd semel fortiter atq; feliciter excussum, Fregosij cum summa accepti beneficij obliuione, in miseris ciuū ceruices iniquissimè reposuissent. Si Fregosij uti antea Adurnij præclara animi moderatione cessissent, principatu urbeq; cederet, & cum Cesare foedus percuterent, ipsos suis usuros legib. in libertateq; futuros. Quòd si paucorū libidini uel amplitudini seruire uellēt, nec ullo periculo periturae patriæ permouerentur, se daturum operam ut Genueses insanæ peruicaciæ poeniteret. Similibus quoq; literis Hieronymus Adurnius priuatim, & qui ipsius factionis ciues erāt in castris, amicos & propinquos admonebant, ne labantem Gallicarū partium fortunam, cæca animorū obstinatione sustentare ac erigere cõarentur, ut demum impares uiribus, pro aliena salu-

te con-

te conciderent. posse Octavianū uti optimum ciuem deceret, præsenti periculo sese ac patriam eripere, ut alio demum tempore melioreq; fortuna commutatis rebus redeundo incolumi patria potiretur. Verū fatali quodam morbo adeò potentiū aures erant obstructæ, ut qui in consilio uigebant, & diram patriæ calamitatem haud uanis coniecturis ominabantur, libere sententias dicere non auderent. mittuntur nihilo minus in speciem legati, ipsius tamen Fregosij familiares, ut interposita pacis mentione, apparatus expugnandæ urbis aliqua ex parte retardarent. Sed Piscarius cognitis eorum consilijs, adeò intentus & omnis periculi oblitus collocandis tormentis idoneum locum quærebat, ut se bis in uallem demitteret, quæ pro fossa muro iungebatur, & telis tormentisq; hostium erat subiecta. Ab hac ualle quum per accliuem & præruptum locum euadendo, scuto gladioq; contentus enitere retur, ita in eum muri defensores accensis subito minoribus tormentis grandinis modò pilarum procellam effuderunt, ut centuriones duos ex paucissimis quos secum adduxerat, lethaliter uulnerarēt. Eo modo cum summa animi ac uultus securitate sese recipientem præfecti cohortium & centuriones circumstiterent atque suppliciter orare cœperunt, ut quæ militum munia potius quàm ducū essent, militi relinquere uellet, nec se conijcere in id discrimen, quod non modò ipsius sed totius exercitus salutem respiceret, quando ipso pereunte constaret, & præsentis atque præteritis uictorias omnino perituras: ad quos subblādo risu conuersus, quasi eorum ignauiam notaret, qui timore id

munus defugissent. An uos, inquit, in urbem crastina die peruadetis, nisi quæ usui esse possunt, meis oculis explorè? agite igitur fortiter, & nostris humeris in hunc collem maiora tormenta cõportemus, postquã in accessarupe in accliuu, boum uel equorũ iuga nõ admittit. Tum uerò tanta alacritate milites ipso aduente cohortatèq; tormenta sustulerunt, & in aduersum montem momento temporis euolasse uiderentur: ea in loco edito, qui faba Græca dicitur, ab occidente sunt cõstitutata, contra portulã Petræ minutæ cognomine nuncupatã, quæ ab angulo propugnaculi ex muro prominentis in proximos hortos perducit. Dum hæc parantur, Gallica triremes in portũ ab alto Nauarrum intulerunt, cum exiguo tamen præsidio cuius aduētũ Recasentius Cæsariæ classis præfectus tam cautus quã imbellis, qui tormentarias pilas sulfureũq; puluerẽ à Delphini portu cõportare debuerat, in eo portu timore occupatus sese conclusit. Quæ res magnum attulisset cõmodum, nisi Piscarius ea omnia sarcinarijs umentis per asperos & concisis callibus undique præruptos montes summa celeritate contra omnes naturæ iniquitates comportanda præcepisset, egregio studio & singulari diligētia & tum & alias semper usus Othoboni Flisci uiri sacriati & Sinibaldi fratris, qui Fregosiorum hostes erant & magnis opibus impigrè Cæsarianos adiuuabant. Cùm omnia ad expugnandam urbem abundè essent præparata, Octavianus legatos emisit, ne in tanto rerum omnium discrimine à pacis conditionibus abhorreere, & ciuium salutem omnino negligere uideretur: ceterum
 uti ferunt

uti ferunt, per occultam syngrapham Paulum Bulgarum è legatis alterum monuerat, ut egregia simulatione rē extraheret, nec pacis tabulis, à collega Thoma Cataneo, si fortè cum hoste de conditionibus conuenirent, subscribi pateretur, ut ea mora ac interpellatione, munitiones introrsus ad augeri atq; erigi possent, quas Nauarrus animaduerso periculo, propere perficiendas esse curauerat. Hac omnia eodem pertinere Piscarius intelligebat, ut simulatione pacis interposita, in muro ad defensionem maiora præsidia pararentur, prædicabatq; se male opinari de ingenio Octauiani, qui tanquam Philosophie præceptis imbutus, uir egregiè moderatus existimari uellet, nec tamen insana libidine ullam omnino curam remitteret, ut dominatum quo nihil in tota rerum fortuna esset dulcius, cum alieno periculo tueretur. propterea Piscarius abiecta omni spe compositionis ui agendum ac omnino maturandum esse iudicabat, ut illius pernicitiam alienā prorsus ab eo discrimine, quod immineret, & ueterem ingrati perfidiosiq; animi noxam cōprobante fortuna, uindicaret. Verum Hieronymi precib. ab instituta oppugnatione tardabatur, ille enim de patriæ salute sollicitus alias atq; alias moras supplex cum lachrymis impetrabat, ut eo temporis spacio exirèt legatis, & nouæ conditiones de pace referretur. Sed Piscarius quum legatos semper inanibus uerbis illudentes non ad se sed ad Prosperum contempsisset, ueluti ad æquisimum & maximum ducem audiret, iusto contumeliæ dolore exacerbatus, extēplo prælij signū proposuit, quanqua fama esset legatos è

portu ad Piscariana castra circumuehi cupiuisse, sed mari tum maximè commoto ac procelloso nauigationem tentare nequiuisse, atque ita ad Prosperum nihil ab ea parte oppugnantem esse profectos. Igitur Corberie uiro peracuto tormentorum cura demandata, ceteris uerò præfectis atq; centurionibus opportuno in loco constitutis, ipse è monte digressus, ad eam quã diximus portulam contendit, eamq; pice t. e. daq; oblitam proprijs manibus ex aperto periculosoq; loco contectis facibus succedit. uersabatur angustissimo in calle inter mœnia hortorumq; macerias, ita ut ex transuerso è superioribus propugnaculis & in tergo, frequentibus sclopettorum pilis summo cum discrimine peteretur, multiq; circa eum uiri fortes conciderent, & ab ea parte qua tormentis quati murus ceperat, conscendentium cohortium latera minore colubrina ferirentur, cuius uno ictu Hieronymus Segouia & Marra Salernitanus clari centuriones miserè discerpti periissent. Quæ rerum iniquitate pleriq; permotus, duce Ioanne Dorbino, qui inter præfectos summam apud omnes auctoritatem obtinebat, ad Piscariũ adcurrerunt, suppliciter deprecando ne diutius eo in loco moraretur, sed sese sensim subduceret, imperandoq; potius quam præliando, & suum ex tutiore loco impleret manus, & milites singuli cohortibus officia præscribendo ad subeundum hortaretur. Tum uerò ille oculis igneis atq; minacibus conuersus, ait hic, inquit, egregiè cadendũ est, aut omnino per hanc portulam ad uictoriam irrumpendum quando in receptu dedecoris ac ignominia pleno nulla salus ostenditur. Ad

tur. Ad id Ioannem Dorbinū ferunt, qui Hispanorum ducam longē fortissimus omnibus in prælijs exitisset, recessisse paululum, & trans maceriam sese tuto in loco à tormentis protexisse, neq; prius quàm urbe undiq; capta prodidisse. Iam fores adeò uehementem flammam conceperant, ut militaribus securib. & gladijs concrematae tabulae ad magnum hiatum facile foderentur. erat is locus, ut diximus, per angustus, ita ut multis cadentibus ipsa cadauera calcarentur. Nam in tergo ab his propugnaculis quæ in superiore moeniū parte in accliuēs erecta colles defensoribus erat plena, & introrsus per portulā quam duæ prætorie cohortes defendebant, Hispani, Italiq; milites densati in unum portæ ueslibulum, in sine detrimentū accipiebant, quum Piscarius Corberiam monuit, ut tormenta librari, et cū signum ipse dedisset, emitti supra moenia iuberet, ut Genuensiu ordines in ipso prælij committendū momento turbarentur, aliudq; item tormentum ex obliquo introrsus in portulam dirigeret, ac simul in inferiore propugnaculo, quod est haud multo spacio supra sancti Thomæ portam, defensores duobus falconibus crebrò peterentur, ne ea colubrina nisi cum exitio uti possent, qua duos, uti diximus, centuriones ante alios occidissent. Erant enim tormenta in præalto loco adeò libratè collocata, ut moenium altitudinem superarent. Perfregerat etiam murū Corberia maioribus tormentis, lato quidem aditu infra portulam ad teli iactum. His omnibus rebus incredibili cōsilio & singulari celeritate cōstitutis, Piscarius undique ad irrumpendum milites clara uoce concitauit.

Quum promptissimus quisq; non planè perfractis for-
 ribus, angusto & difficili ingressu in urbem peruade-
 re conaretur, Genuenses in eum locum decurrüt, con-
 globati uehementissimè resistunt. Recuperus Areti-
 nus, & Surillia Hispanus inusitatae uirtutis signiferi,
 dum decora contentione, quis nam primus signum in-
 ferret, enitendo decertarent, traieci tormentarijs glan-
 dibus interficiuntur, tanta ui, ut plumbea glans per-
 tuso Surilliae thorace, ad Piscarij scutum usque per-
 ueniret, nec tamen eo periculo terretur: sed instando
 premendoq; primorum terga, aditum occupat, Me-
 trano Hispano & Castalio ante alios intrantibus ir-
 rumpit. Vastius ipse audacter fratrem subsequitur,
 hisq; mox succedunt Hieronymus Adurnius, & Au-
 gustinus Spinula. Interim peropportunè à Corberia
 libratis certissimèque directis tormentis, hostes inopi-
 nato ac miserabili accepto incommodo dissipantur,
 dissolutisq; ordinibus per decliuem locum deturban-
 tur. Eodem quoq; temporis puncto, per ruinas effra-
 cti muri in urbem cohortes transcendunt, & alio etiã
 superiore in loco appositis scalis in murũ Corduben-
 sis signifer uexillum extulit, ita undiq; urbe capta. Si-
 sis Genuensibus, uulnerato & capto Nicolao Frego-
 sio praetoriae cohortis praefecto, ad praedã discurritur.
 Constat Philippinũ Auriã tribus cohortibus, praefe-
 ctũ, qui nuper Caesarianam classẽ casõ Vgone Mõca-
 ta nauali praelio, superauit, laboranti Nicolao Frego-
 sio subsidiarias cohortes ab ipsius quietã statione per-
 nuncios obtulisse, quòd tota Hispanorũ moles in unũ
 illius locum uersa esse nunciaretur. Sed Nicolaurũ
 ob pri-

ob priuatas simultates, ne amuli beneficio hostium impetum sustinere uideretur, opportunum salutareq; subsidium elato, & contumaci animo repudiassē. Quæ res ante alias, sicuti ab utroque eorum accepimus, nobilissimæ eorum patriæ iam fato paratam calamitatem attulerit. At Piscarius cum globo familiarium, & eorum quos fors offerebat, ad Vaccarum portam contendit, ea est duabus munita turribus, uetusti operis, quum urbs antiquitus exigua minore muri circuitu cingebatur, ibi rebatur hostes summum, ut in extremo periculo præsidium habituros, & cathenatis obseptisq; regionibus, reparata pugna, pro aris, liberis, ac uxoribus supremum, & bellicose gentis fama dignum facinus edituros. Sed ubi cuncta incredibili metu percussis omnibus deserta comperit, conuersus ad Hieronymum effuso risu, quænam insulsus inquit, mihi uidetur hic uester Fregosius? qui neq; uti æquus philosophus consilio patriam seruare, neq; uti fortis miles, manu defendere scierit? Inde densata acie ad prætorium est prouectus, ubi clatratis foribus, pauci prætorianorum conclusa area se tenebant, multiq; ex alijs urbis regionibus milites aggregabantur, qui uel è mœnibus pulsī, uel integri, sed timore consternati, quum ubiq; hostibus occurrerent, uarioq; euentu dimicarent, ad prætorium demum conuolabant, ibi uti plerumq; fit, ut semel inclinatis rebus Fortuna uehementer arrideat, paucissimi uictores, ingentem militum, & ciuium armatorum multitudinem minimo periculo ad apertis foribus expulerunt. Piscarius in prætorium ascendit, Octauianumq; Fregosium pedibus ægrum in cubiculo rerum euentum expectantem comprehen-

dit, Federicus eius frater a trirèmes elapsus est, sed portum tenētibus Hispanis, & Trierarchis fuga, & tumultu suorum præpeditis agrēq; sese explicantibus, dum exceptus scapha prosiliret, ad puppim in mare proci-
dit: sed eo periculo quod natare nesciret ita eripitur, ut multa ore hausta marina aqua, pedibus suspensus, ut humorem euomeret, diu in trirēme pependit. Petrus uerò Nauarrus dum scapham in portu quæreret, ab Hispanis capitur deductusq; ad Piscarium propter uentem toties spectat. e uirtutis gloriam, singulari humanitate nequaquam ut hostis excipitur. Eodem tempore à Bisamnis porta Prosper, & Franciscus Sfortia introducti, Germanorum cohortes intulerant, omniaq; plena erant foeminarum eiulatu, & horribili strepitu militum effringentium fores, & domos opulentas truculento impetu immaniq; auaritia diripiētium: & erant qui ommissa præda, in oblatas foeminas seu a libidine grassarentur. Sed Piscarius in equum sublatus foeminarum pudorem atroci, sed præclare admodū facto peregrege defendit, quum enim uir Genuensis aspectu nobilis ab ipso transcunte tanquam à milite insigni auxiliium postularet, quod uxori à duobus Hispanis interlachrymas uis inferretur, extemplo ad eum solus ingressus alterū passis crinibus matronam attractantem gladio trāsfixit, alteri uerò per scalas euadere conanti inmani ictu tēpora discidit. His interfectis et in publicū ē fenestra præcipitatis, et præcone circū emissō, nemo de mūm ullā ingenuā uiolauit. Opportunē quoq; eius ad cursu orante obstantēq; Hieronymo Adurnio Crater ille ex ingenti ac admirabili smaragdo, qui in sacrario
templi ma

tēpli maximi custoditur, depulsis inde militibus est con-
 seruatus. Sed biduo opulentissima ciuitas auaritiæ milit-
 tum cessit, eo minore tamen incōmodo, quòd Adurnius
 antea cum ab ipso maximè Piscario, & Prospero, tum
 à singulis quoq; centurionibus impetrarat, ut nemo ci-
 uis captiui sortem subiret, nec se pretio redimere coge-
 retur: & templa, totiusq; orbis negociatorum merci-
 monia, quæ in publicis uectigaliū essent officinis, inuiol-
 lata seruariantur: ciues itaq; in uniuersum domorū sua-
 rum suppellectilem à militibus uti quisq; limen occupa-
 rat, certa pecunia redemerunt: exeruciati tamen non-
 nulli barbara crudelitate aliquotq; patritij senes ab Hi-
 spanis interfecti, & in his Andreas Cicereius, Thomas
 Pallauicinus, & Antonius Grimaldus: brachium quoq;
 sclopetti glande traiectū est Augustino Iustiniانو Anti-
 stiti Nebiensi uariæ doctrinæ laude clarissimo: inde edē-
 ctum est, ut nemo in alienam domū per uim irrūperet,
 qui dicto audiens non fuisset, laqueo puniretur, atq; ita
 his, qui auidius prædæ hæserant supplicio protinus af-
 fectis, prædantiū feritas est repressa, sed singularem af-
 flictæ ac planè ruenti urbi opē attulit, ne funditus euer-
 teretur, haud ex toto inanis fama de aduentu Gallorū,
 qui transisse Alpes & iam prope adesse nunciabatur,
 quem rumore Hieronymus excitarat, ut miseris ciu-
 bus celerrimè parceretur, & eū Piscarius, & Prosper
 & Franciscus Sfortia simulato metu uehementer auge-
 bāt. His artibus quarto die exercitus cū pretiosiore tan-
 tum præda cohortante cogenteq; Piscario, urbe est edu-
 ctus: quod prope difficilius fuit, si quis licētiā ac auari-
 tiā in uictoria militarem æstimare uelit, quā urbem

cepisse. tanta enim in Piscario authoritas eminebat quam sibi seueritate, solertia, & una præsertim quæ præclare militum animos ducit, rerum gestarum foelicitate parauerat, ut nemo parere eius imperijs, uel oblata præda recusaret. Nauarrus demum iussu Cæsaris Neapoli in carcerem est coniectus. Fregosum in Aenariam Piscarius misit, ubi quum de redemptione summaq; pecuniæ representandæ contentiosius ageretur, primò emissus, sed mox ab Auersa urbe in Aenariam retractus peracri bile corpus podagra tabefactum occupante, haud quaquam senex interijt. Vir profectò præcellenti liberoq; ingenio, ac inter eius ætatis uiros insignes maxime laudando, si nunquã desertis ueteribus amicis & socijs ut sibi ac Italiæ exitium pararet, ad Gallos adeo properè defecisset. At Genuæ cõstitutis magistratibus, lectoq; senatu, Antoniotus Adurnius Hieronymi frater, uir ingenio parum illustri, corporeq; podagris, & intempestiuus uoluptatibus eneruato, quòd esset ætate maior, Dux creatur, ita tamen ut Hieronymus, qui arcem summa cum laude tormētis expugnarat, animi sui magnitudine uirtuteq; fraternam dignitatem sustinere uideretur. Eo modo Genua cum tota Liguria in Adurniorum fidem sub nomine Cæsaris redacta, Piscarius ad Subalpina oppida, quæ ad Cœtias Alpes Padumq; pertinent, exercitum duxit, ut Gallis si forte proximis Alpibus transire uellent, quàm maximum ex propinquo timorem incuteret, ac simul in aliena incertæ fidei regione, milites paratis oppidatim rerum omnium copijs alerentur. Quum esset Cariniano in oppido seueritatem exercuit non modò sibi ac exercitui utilè, sed postea ad

stea ad exemplum cæteris ducibus profuturam. Erat in exercitu onusto præda, & propterea scortis, & lixis unde quaq; plenissimo, equorum incredibilis numerus, & iumentorum, quæ diram uasitatem afferebant agris & oppidis, & ignauū nimioq; luxu disfluentem militem reddebant, tanta licentia corruptelaq; ut penè totus exercitus in agmine, equestris esse cæseretur. Quibus de causis permotus, per præcones edixit, ut singule cohortes quaternos tantum equos alerent, pro præfecto signiferoq; duos, cæteros pro agris, qui tamen à medicis inspecti equos per syngrapham gemma Ducis obsignatam, ad iter impetrarent. Id quum totis castris pronuntiaretur, Vega Barbicus insolentia militari ore sermoneq; turbido in corona militū penè concionari cœpit, professus, si sibi animo iudicioq; similes reperi- ret, se daturum operam, ut milites ea syngrapha non egerent, qui tot bellis atq; uictorijs effuso sanguine debilitati, non equis modò, sed curribus uehi, uirtutis honore mererentur. Id quum resciuisset Piscarius, qui seditiosos milites, etiam uel leuissimæ consternationis aucthores, supra omne criminofum nomē uehementèr ode- rat, inuitaq; semper seditionis fortiter opprimèda esse, inter præcipua disciplinæ præcepta didicerat, ad proximum oppidum ipse antecedēs castra mutauit: quum itaq; armatus exercitus consitisset in foro expectans, ut à magistro castrorum singulis centurijs contuber- nia præberentur, ipse ante prætoriā domum perblan- do uultu molliq; sermone, ut iram biduo ante conce- ptam dissimularret, præfectos appellans, Ioannē impri- mis Dorbinum, Salsedumq; & Corberiam interroga-

uit, an Vega ille, qui petulantibus uerbis cohortes ad se ditionē penē cōcitasset, uideretur esse castigandus: nec mora, ij pari consensu pœnam illum iure mereri fatentur, sed differendam in aliud tempus censent, quòd ueteranum insignē improbis ac audacibus maximè carum & centurionum propè omnium familiarem, spectante armatoq; exercitū, comprehendere nequaquam oporteret, ne perturbatis omnibus tumultus oriretur. Hæc quanquam uerisimilia uiderentur, in consilio tamē persequerantur, ut maiestatis ac imperij nomen nulli esse obnoxium periculo, & seditiosis etiam terribile prorsus ostenderet. igitur Vegam ad se uocari imperat, aduentantem cum globo militum, quibus siquid durius accideret, salutem suam commendarat, percunctatur, an in corona seditiosè perorasset, inaniq; uerborum circuitu sese excusantem, dato licitori signo, transfodi iubet, ipse eodem momento in alios gladiū dstringit, tanto impetu eos adortus, ut non modò, Vegæ satellites cæsi fugatiq; sint, uerum uniuersæ cohortes incredibili metu percussæ, celeri silentiq; agmine toto excedentes foro, ad hospitia nondum designata defugerint. Id factum sicuti plerisq; inopinatum, uehemens, & maximè seuerum apparuit, ita Piscario authoritatē mirū in modum accumulauit, quum eum milites uti in ipsa seueritate iustissimum extra odij nomen omnino metuerent, & contra uti facilem sine cōtemptione plurimū adamarent, quum in summa etiam benigni, & clementis animi tranquillitate grauissimus haberetur. Tantis rebus gestis Piscarius, quum in ore omnium præclara nominis fama frueretur, et aliqua spectata uirtuti præmia tacitus expecta

expectaret, comperit Vincentiū Cossam Prosperi fami-
 liarem castrorumq; magistrum, ex Hispania codicillos
 in amplissimis mēbranis retulisse, quibus Prosper cum
 summa rerum gestarum commendatione, Imperator à
 Cesare fuerat appellatus. Ea res animum eius ab recen-
 ti præsertim gloria ad honores amplissimos anhelan-
 tem uehementer perculit, & iusta quadam ira succen-
 dit: sperabat enim sicuti pari semper potestate, diui-
 sum ex æquo imperium in castris exercuisset, ut nun-
 quam sibi Prosper anteferretur: quando suis, & pedi-
 tum præsertim spectatis operibus strenuè pugnando
 parandoq; insignes uictorias, non æquare modò cum
 authoritate, & florèti laude, sed illo inuicti, & pugna-
 cis animi uigore, plurimū anteire uideretur: propterea
 existimabat obtrectatorū uerbis ac literis, rerum ab se
 gestarū famā malignè eleuari ac imminui apud Cæsa-
 rem, qui uti planè iuuenis neq; ullis adhuc intersuisset
 bellis, neq; unquā Italiā uidisset: in qua propter uarias,
 & inexplicabiles principum uoluntates, & factiones
 ciuitatū, nō modò magnis opibus, sed summis etiam ar-
 tibus ciuilibus, & militaris prudentiæ, singulariq; animi
 magnitudīne fuerat bellandum. Quibus de rebus in Hi-
 spaniā proficisci, & Cæsare corā adire constituit, itaq;
 accitis ad se cohortium omnium præfectis atq; signife-
 ris, qui iam diffusi per Galliam Cisalpinam in hyberna
 concesserant, docuit quā sibi neceffe foret ad reti-
 nendam dignitatem, uel brumali tempestate, in Hispa-
 niam ad Cæsarem nauigare, rogat ut se absente uti Cæ-
 sar iuberet, Prospero pareant, neq; ob priuatam con-
 tumeliam reipublicæ desint. Nec multo post ab Genua

consensu nauigio Tarraconem aduehitur, & in ulte-
 riorem Hispaniam ad Valleoletum ubi tum subsederat
 Cæsar contendit. exceptus est tanto Cæsaribus, & proce-
 rum omnium studijs, ut quum ad euitandam inuidiam,
 ne officij causa prodeuntes molestè distineret, noctu es-
 set ingressus, singuli totius aulæ reguli ad eum salutand-
 um eadem nocte innumerabilibus accensis funalibus
 cõuolarint. Cæsar letissimo uultu eum suscepit, & quod
 paucissimis antè concesserat, honoris causa, propter se
 pari in sella assidere iussit: nec multo post, consumptis
 mollioribus colloquijs, ingressus in grauissimos sermo-
 nes Cæsar, præoccupata excusatione Piscariũ obsecra-
 uit, ut equo animo ferret, quòd primus in exercitu lo-
 cus Prospero fuisset attributus. Quãdo id etati & pri-
 stinæ nobilissimi uiri dignitati, ueteribusq; meritis po-
 tius quàm nouis rebus gestis omnino tribuisset, satis si-
 bi ac omnibus prospectũ esse, eas, quas Diij immortales
 dedissent uictorias, magna ex parte manu atq; uirtute
 Piscarij esse comparatas: diuisa q; gloria utrunq; largè
 atq; feliciter potiri. Ipsum hercle esse iuuenem, & Co-
 lumninæ familiæ affinitate coniunctum, & ob id, à Pro-
 spero filium uocari, proinde nõ esse ducendum ignomi-
 niæ loco, si iuuenis exactæ etatis seni, & parèti filius,
 primum honoris locũ concederet, nõ enim defuturam
 occasionẽ, ut summa dignitate honestaretur, postquam
 eo splẽdore testatæ uirtutis, ante alios duces omnes elu-
 ceret. Piscarius ad ea respondit se nequaquam inuidere
 honori Prosperi, sicuti illè crescenti uirtuti suæ semper
 inuiderit, non libenter tamen se facere honoris existi-
 mationisq; iacturam, pro qua uel extrema quæque
 forti ani

forti animo ferre decreuisset, uerū sibi manifestè cessisse dedecori, quòd ei, qui semper ipsi in imperio fuisset exæquatus, tum demum tot editis ueræ uirtutis operibus, parere cogeretur: proinde se æquo iure postulare uacationem honoris, & præfecturæ totius peditatus quam obtineret, quandiu Prosper esset imperator, paratum tamen se quum opus foret, priuati militis nomine fortissimam operam præstare, ut alienæ ambitioni potius cessisse, quàm uoluntati ac officio militari desuisse uidatur. Mansit demum in Hispania aliquandiu Cæsari maxime carus, singulari uerò in honore ab omnibus regulis habitus: nam regio sumptu atq; apparatu epulantem, & nihil unquam nisi cum illustri grauitate & liberalitate incredibili, cum priuatis tum publicis in rebus admittentem, certatim Hispani & Belgæ studiose colebant. Discedenti uerò id Cæsar indulxit, ut uacatione uteretur, ita tamen ut si periculum urgeret ultro uel extra ordinaria cõditione militaret. Concessit quoque ut Alfonsus Vastius patruelis in hereditate oppidoru ipsi succederet, quando nulla ex uxore Victoria proles susciperetur, ipsumq; Vastium Cæsar alæ cataphractorum equitum quæ M. Serdanijs fuerat, præfecit: prosecutus est etiam abeuntem decem milium aureorum donatio, quanquam Hispania atq; id totū iter ei amplius uiginti milibus statisset. Piscario felici nauigatione Neapolim reuerso, Franciscus Rex Galliæ, renouato uetere equitatu, Heluetijsq; & Germanis mercede conductis, habitisq; tota Gallia peditū delectibus, ingentes copias cõparauit, ut adulta ætate, succisis statim frumentis in Italiam transfret, ratus ducibus suis, aut peritiã, aut for-

tunam omnino defuisse, cū ipse uel solo regio nomine, summas opes, summaq; auctoritatem eo bello ad nō dubiam uictoriam esset allaturus. Sed cū à proposito cœptoq; itinere inopinata defectio Caroli Borbonij deterruit: de quo homine qui Gallia ac Italia dirus & funestus extitit, operæ pretium est, ut strictim aliqua referamus. Is erat Gallia regulorum opulentissimus, sanguine coniunctus regis domui, Magisterq; equitum à Francisco fuerat appellatus: qui honos sicuti militia in Gallia summus habebatur, ita illū uti nimis suspectaq; potentia formidandum, tacita lege, superiores reges aboleuerant. Fuit ei pater Gilbertus Mōpenserius, qui Gallorum imperator uictus ab Aragonijs, apud Baias interijt. Duxerat uxorem ex sorore Caroli Regis genitam unde ei dotali nomine Borbonij principatus accesserat ea morte sublata, & ob id cum socru contracta simultate, ad Helconoram Cesaris sororem oculos adiecit. Interim Ludouica Francisci Regis mater, quod ex eadem Borboniana domo maternam genus duceret, non ambiguo iure ea oppida quibus Carolus Borbonius hereditate creuisset, cōtestata lite repetebat. Tum uerè Borbonius tantam iniuriam deprecari, obsecrari Franciscū ut matrem oppidorum suorum iniqua cupiditate deflagrantem cōpesceret, quādo sibi nihil magis esset absurdum, quā in iudicijs cū ambitiosa, & longè potētissima muliere, atq; eadem Regis matre ad non dubium litis euentum colluctari. Rex eum ut bono animo esset hortabatur: nec de summa eius litis omnino dubitaret: in eo tamen perseuerabat, ut controuersia senatus iudicio finiretur, ne maternum animum ulla prorsus offensione perstrin-

perstringeret, quando quidem inchoata iudicia quæ libera & incorrupta esse uellet, impedire nefas arbitraretur. Cæterum si oppida patri essent adiudicata ingenti liberalitate se ostensurum pollicebatur, quantum uirtuti ipsius ac dignitati egregia animi propensione tribueret: ueluti qui eadem aut certè multo opulentiora oppida post diiudicatam atq; æstimatam litem, benigna cõpensatione esset redditurus. Sed Borbonij animo semel alienato, & cuncta æquo grauius æstimanti alia contumelia accessit: nam ea die qua in finibus Neruiorum ad Valentianum oppidũ Francisco regi cum exiguis Cæsaris copijs ad certissimam spem uictoriæ fuit confligendum, primæ aciei cura quæ magistro equitum debebatur, Alanconio regis sororis marito fuerat attributa: quòd adeo iniquo animo Borbonius tulit, ut iam instructa acie & conspectis hostib. non modò copias suas Scaldam amnè, ponte quo rex antecesserat, nõ traduceret, sed etiam malignè cunctando Ludouicum Narmanniæ Senescalchum cum ala nobilium equitum impigrè trãseuntem in ripa sua importuno consilio retentare conaretur: octo enim milia peditum & per amplam equitum manum ex Aruernis & Bois clientibus suis armauerat. Quibus coactis uiribus elatior factus minimè despicendus uideri posset: nec ideo moderari linguam sciret, quòd insanus & imbellis in honorem foeminae sibi præferretur. Nec desuere demum amici & clientes, magnaq; pars equitum insignium singulari studio eius non nisi dedita, qui sponte commotum & fluctuantem, turbidis sermonibus exagitarent. Erant herclè in Borbonio multe præclaræ uirtutes supra regij sanguinis

nobilitatem, & decora militiæ, perennis nec astuta liberalitas, militaris uigor, & uultus blanda grauitate ad alliciendos homines accommodatus. Ceterum ingenium eius repentinum nulla stabili ratione uel disciplina confirmatum magnopere perturbabat animus immodicus inter uarias spes semper anceps, & nouæ gloriæ appetens, uel si ea turpi facinore pararetur. Ob id in omni consilio æstuosus & præceps euaserat, & quod in sanie proximum fuit, in tota domesticæ disciplinæ ratione atq; ordine usq; adeo intemptiuus & dissipatus ut emulatione regij splendoris propter incõditos sumptus, multo ære alieno premeretur. Quibus moribus facile fiebat, ut primã secundum Regem in regno Gallie fortunam fastidiret, aut certè contemneret: modò uel leues iniurias etiam cum turpi labe nominis ulcisci uideretur. Itaq; nefario suscepto consilio, cum paucis, & ijs quidem leuissimis hominibus coniurat. Cesari & Henricho Britannie regi pollicetur se Gallie regnum cum Franciscus alpes transierit, excitatis ad arma clientibusq; Regulis, qui unã conspirasset, protinus inuasurũ. Erat hoc factu nequaquam difficile, quoniã Franciscus nihil de fide subdubitans, cum Gallie præsidio cum regia potestate relinquebat. Sed cũ esset in itinere Franciscus, indicãte Argutio quodam ex coniuratis, insidiæ deteguntur. Constabat enim, Hadrianum Beurenem Belgam mercatoris habitu per Sequanorum fines in Aruernos ad Borbonium penetrasse, imitissq; consilij Eleonoram Cesaris sororem, quæ Emanuelis Lusitaniæ Regis uxor fuerat, in matrimonium despondisse. Ad eum quoq; è Britannia missus ab Henrico Rege

Rosellus Anglus agresti habitu uenerat, qui in ita con-
 iurationis pacta sanciret. Nec mora, Franciscus magnis
 undiq; contractis praesidijs, ad Molinum quod erat Bor-
 bonij oppidum summæ amoenitatis ad Elauerim annē
 contendit. Eum ex ægritudine animi, corporis morbi
 factitio pallore simulantem alloquitur, docet quibus de
 causis nihil temere de ipsius fide sit suspicandum, quan-
 do eius dignitatem longa beniuolentia & sanguinis ne-
 cessitudine confirmatam, omnibus uel certissimis indi-
 cijs præferret, nec in animo inducere posset in homi-
 ne longè nobilissimo, in Gallia secundum se faciliè pri-
 mo, summis honoribus prædito, fortunis atq; stipendijs
 cumulatè ad aucto perfidie scelus & proditoris nomē
 posse reperiri. quo si eum existimaret tam nefario sce-
 lere contaminatum, non dubitaturum quin protinus in
 eius caput more maiorum animaduerteret. Tum uerò
 Borbonius perfidie conscientia cōmotus, uoce tremu-
 la Regiam manum sepe exosculans apprehendit: sup-
 plex orat, ut nihil temerè de sua fide iudicet, quādo ob-
 tractatorum malignitate esset circumuētus: Agit demū
 gratias Dijs immortalibus, quòd talem sibi regem de-
 derint, qui uel in magnis de salute suspicionibus, nihil
 de naturæ suæ lenitate penitus remittat: parceret tum
 sibi si maiestatem regij nominis asperioribus aliquādo
 sermonibus offendisset: se enim in officio & fide perpe-
 tuò mansurum, neq; Regiæ humanitatis & clementiæ
 magnitudinem ullo unquam tempore memoria dele-
 turum. Discedens ambiguo uultu Franciscus imperat
 ut se in Italiani cuntem subsequatur: sed Borbonius ali-
 quādiu simulato morbo, & mora iudem interiecta, no-

et profugit, cuiusq; tramitibus calonis habitu, comite
 Pomperano cui uitam antea seruauit, in Sequanos &
 Cesaris fines peruenit: atq; inde in Italiã est profectus.
 Igitur Frãciscus in Gallia sibi permanendum existimãs
 ne se absente, aut nouæ, aut nõ adhuc planè detectæ cõ-
 iurationes erumperent, opportunè substitit, nam non-
 nulli illustres, conscij socij q; Borboniani sceleris pro-
 debantur, & ante alios Vraldus Heduorum episcopus
 & Pictauus à Sancto Valerio oppidi Regulus, qui no-
 bilium regie custodie equitum alam ductabat, & He-
 marus Prius uetus equitum præfectus, qui comprehẽ-
 si sunt, quum minores Lorfinius, Aleria, Piscinus, Pelu-
 sius, & Motta Anocius uarijs itineribus Borbonium
 sequuti feliciter effugissent. Guliermum Gofferium
 cognomento Boniuettum subtili ingenio, summa faci-
 dia, pacis & belli artibus abundè instructum in Italiam
 mittit, eum à præfecturæ maritimæ nomine quam obti-
 nebat Ammirantem uocabant. Fuere in eius exercitu
 triginta milia peditum, equitatus ingens, magnusq; tor-
 mentorũ numerus. Enimuerò Veneti totius Italiæ pre-
 cibus expugnati à Gallorum amicitia discesserant, inie-
 rantq; sædus cum Cesare, quo Cisalpinam Galliam
 ab iniuria Gallorũ defendere tenebantur. Siquidẽ Lu-
 lius Medices qui Florẽtinorum rempublicam regebat,
 ipseq; Hadrianus Pontifex firmissimo studio Cesari sa-
 uebant. Federicumq; Gonzagam principem Mantua-
 num pontificijs & Florentinis copijs præfecerat. uide-
 baturq; omnib. defesse tot bellis Italiæ pax reddi, si Frã-
 cisco Sfortia Mediolani cõstituto, Galli qui toties bellũ
 intulissent, ab Italia penitus arcerentur. At Boniuettus
 ab Al-

ab Alpibus descendens, adeo graui celeriq; impetu No-
 uariensium fines inuasit, ut tormenta nauibus imposita
 quæ Sfortiani ex arce Nouariæ detraxerāt, ab antecur-
 sorib. raperentur, & Galli ponte, ratibus, pluribusq; si-
 mul uadis annem transirent, pellerentq; Germanos ac
 Hispanos qui aduersam ripam perpetua custodia se tue-
 ri posse crediderāt. Prosper enim graui atq; mortifero
 cōcepto morbo, lectica uectus, eò usq; castra promoue-
 rat, ita ut mox consilio locoq; depulsus dum signa con-
 uertit, tardeq; gestatur, instantibus Gallis, haud medio-
 cre periculū subiret. Constat, Ioannē Medicem qui Iulij
 cardinalis precibus expugnatus ad Sfortianos superio-
 re anno redierat, cū duabus tantū alis equitū prima
 Gallorū agmina sustinuisse, pugnādoq; incredibili uir-
 tute, & uehemēti impetu sæpe hac & illac intercurren-
 do, spatij Prospero pedestribusq; copijs quò se recipe-
 rent, summa cum laude præbuisse. Prospero intra ur-
 bem Mediolanū coniecto, eoq; magis munitionib. mœ-
 nia præcingente, Boniuettus ad Ticinensē, & Romanā
 portā castra promouit. Interim & eo fortè die, quo Gal-
 li Ticinū traiecerant, Hadrianus pontifex moritur: gra-
 ta eius mors Boniuetto extitit, quoniā summæ autori-
 tatis socius & fautor amplissimus Casari morte subtra-
 ctus esse uidebatur. Iāq; ipse Prosper adeo pertinaci ua-
 litudine uexatus extabescebat, ut iudicio sensuq; defice-
 ret, & per Termineū regulum & Alarconem bellum
 administrare cogeretur. Cardinales quoq; in factiones
 diuisi, cū Iulium Medicē, qui candidatus ante alios illu-
 stris pontificatū petebat, tanquā Cæsarianū repudiarēt
 seditiosè comitia in multos dies extrahebant. Cunctabā

turq; subinde Veneti, neq; auxilia suppeditabant, quum
 expectarent cui nam Cæsarianæ an Gallicæ factionis
 Cardinali Pontificatus fortuna deferretur. Quibus de
 causis, Carolus Lanoius Belga, qui erat Neapoli pro-
 rex cū reliquo omni exercitu, Mediolanū euocatur. Is
 Piscariū obsecrat, ut secum proficisci uelit, causaq; Cæ-
 saris, contumeliarum & contentionum omnium obliui
 scendum putet, cum ipso iura imperij se liberæ animo
 diuisurū, effecturūq; apud Cæsarem, ut perquā maturè
 nouis honoribus potiretur. Piscarius qui nequaquam
 alienum ab ipsius existimatione fore iudicabat, si Prore-
 gi pareret, facile Lanoio id obnixè petenti atq; impe-
 ranti est obsecutus, ob id maxime quòd Didacus Figa-
 rola ab Hispania missus, id ut faceret, nomine Cæsaris
 postulabat. Sed nihil animo belli & gloriæ maxime cu-
 pido grauius accidere poterat, quam si id bellum tātis
 undiq; opibus excitatū, ociosus in segni militiæ uacatio-
 ne despectaret. Rebat̄ etiā uirtuti suæ militariq; pru-
 dentiā confisus cum imperito externoq; homine se nō
 modò consortem imperij, sed rerum bellicarū consilio
 rumq; omnium moderatorem futurum, Prospero que
 demum quem sensim ex morbo deficere didicerat, cum
 uita excessisset, militari arrepto imperio successurum,
 quando sibi omnino is honos cū suo pte merito, tū iu-
 dicio Cæsaris Lanoijq; præsentis grauiſſimo suffragio
 deberetur. Interea Boniuettus qui Mediolanum obside-
 bat, diuiso exercitu Baiardum & Bozolum ad oppu-
 gnandam Cremonam misit. At quum arcem introrsus e-
 gregiè circumuallatā fuisse reperissent, maiora tormē-
 ta moenibus admouerunt ab ea parte quæ arcis turribus
 erat su-

erat subiecta. Sed Cremonenses administrate & repugnante Salamonio Siculo, qui Parmam superiore anno defenderat, subitariam munitione contra arcem noturnis operibus extruxerunt, tanta altitudine ut facile tormenta Gallica uitarentur, intromiserat alam equitum & cohortes Mantuanus, duce Ludouico Firmiano, quibus auxilijs confirmati adeo profecerunt, ut Galli desperata prius quam tentata oppugnatione discesserint. Iam Boniuettus circiter duos menses in obsidione lutulentissimis in locis haeserat, sicq; omnia frustra tentauerat, ut iam plane spe decepta decideret. nam is erat amplissimae urbis circuitus, ut non facile uno atq; altero exercitu posset obsideri. Nec intra urbem mirificus deerat equitatus, qui saepius diuersis portis erumperet, frumentatores exciperet, & late ad recipiendos comeatus, tinera tueretur: uniusq; ante alios opera Ioannis Medicis eminebat, qui saepe Gallorum alas frumentatoribus praesidio longius a castris prouectas ex insidijs fuderat. Hispani quoq; pedites, quibus tum Piscarij loco praerant Alarco, saepe interdum noctuq; Gallorum castra inuadebant. Adulta demum hyeme, supra assiduos imbres coenosaq; itinera, tanta uis densissimae niuis castra operuit, ut non modo iumenta, sed homines foeda illuue deformati frigore & rerum omnium inopia conficerentur. Quibus de causis adductus Boniuettus silentio castris egressus ab obsidione discessit, tanta festinatione, ut tabernacula, & magna pars castrensis apparatus aegreq; multi calones & pedites in lubricis uis linquerentur. Summotis hostibus Prosper columna uti supremo affectus gaudio migra-

uit è uita, uir ab innata cunctatione firmitatè que iudicij & perpetua semper authoritate grauisissimi ducis nomen affecutus : eo autem quòd terræ Patriæ fuisset amantissimus celeberrimis exequijs & multis in-
 subrum lachrymis funerato. Carolus Lanouius atq; Piscarius qui expirantem nec aduertes hebebatis sensibus agnoscentem uiderant, exercitum accipiunt, de bello gerendo in consilijs deliberatur. Veneti etiã qui cum Etatio Cæsarianos adiuuabant, Franciscum Feltrium Vrbinatem cum isto exercitu, ut Gallos bello persequatur, in Mediolanensem agrũ mittunt. Hisdem enim diebus, Iulius Medices Clementis Septimi nomine assumpto, Pontifex fuerat creatus, qui Cæsari magnopere fauebat, neq; tum à foedere, quod Hadrianus inierrat multis de causis discedendum arbitrabatur. Omnibus igitur aduersus Gallos intentis, Piscarius non multos dies per brumale frigus in rerum ac tempestatum obseruatione uersatus, memorabile facinus aggre-
 ditur. Erat in Rabeca Vico iuxta emissarium ex Ticino amne Baiardus inter Gallos duces pugnacissimus cum equitibus utriusq; armaturæ circiter mille, & tribus peditum uexillis, quatuor ferè miliarium interuallo, à maioribus disiunctus castris, nam Boniuettus Abiatio in oppido confederat. Qua fretus propinquitate castrorũ Baiardus per se uir impiger & elatus ualidoq; innixus præsidio, ut plerunq; strenuus accidit, negligentiùs excubabat. Hunc cum opprimere statuisset, tria milia Hispanorum delecta Mediolano de prima uigilia educit. ijs imperat, ut tunicas linteas thoracibus superinduant, ut eo candore per tenebras, ab hostibus dignoscantur

dignoscantur. Ioannem Medicem uirtuti hominis cō-
 fesus sibi adiungit. Porrò Carolum Lanoium monet, ut
 instructa acie cum reliquis copijs ad sextum usq; lapi-
 dem diluculo subsequatur, ut si Boniuettus Baiardo
 auxilium ferre uelit, Hispanis ad integram aciem de-
 tur receptus, & iusto demum praelio cum summa spe
 uictorie dimicetur. Itaq; Piscarius noctu confecto iti-
 nere, paulò ante lucem Rabeccam peruenit, Ioannem
 Medicem cum equitatu uias egressusq; omnes ita obfi-
 dere iubet, ut silentio equites ad Abiatum excurrant,
 ne Boniuettus si quid fortasse senserit, ad ferendam o-
 pè improuisus adueniat. Ipse ante alios scuto gladioq;
 contentus stationem adoritur; Galli semisomnes arma
 capiunt; ad portam tumultuarie munitionis, Egidius
 Cortonensis cum uexillo Corsorum impigrè resistit.
 Sed dum frenantur equi, dum è stratis tuba exciti sese
 equites eijciunt, & in omnes uici partes discurrunt,
 irrumpente Piscario, Egidius interficitur, cæduntur
 Corsi, Galli inermes foeda fuga undique dilabentes
 capiuntur Baiardus uti erat distinctus relictis signis
 militaribus euasit, reliqui ferme omnes equites, aut in-
 uico capti sunt, aut in Medices turmas dum profu-
 gerent, inciderunt. nunquam tantum equitum ex
 alis ueteranis minore contentione uel cæde ullo in
 bello ætate nostra fuit oppressum. Tanta re, sine suo-
 rum uulnere patrata, Piscarius ingenti captiuorū ag-
 mine perducto, Mediolanum triumphanti similis est
 inuectus. Per eos quoq; dies Ioannes Medices circiter
 trecentos Heluetios, cū uina cadis exportarent, in uil-
 la deprehensos & nequicquam salutē deprecātes, quo

niam treis insignes ipsius equites interfecissent, seruidiore occupatus ira trucidauit. Oppugnata est etiam infelici euentu, magna cum impensa & caede multorum & inter ceteros Pomerio tormentorū præfecti Arona oppidum, quod est ad angustias Verbari lacus. Quum eò missus esset Rentius Ceres, & contra Michaele Corso impigre defenderetur. Quibus acceptis detrimētis Boniuettus noua auxilia, ut bellum maiore uirenouaret à Francisco postulauit. Iamq; aliæ atq; aliæ cum Heluetiorum tum Rhetorum legiones in Italianam regia pecunia conductæ ab Eporedia atq; item à Sebinolacu descendebant, quum Cæsariani suadente Piscario Ticinum amnem transire statuerunt. Differebat enim in consilio Piscarius, cunctis adscitis ducibus, esse expeditam atq; rectissimam conficiendi belli rationem, quando hostis tot attritus incommodis, spe atq; animo debilitatus aut prælio configere aut omni exitus dignitate relictis impedimentis sese ad Alpes recipere cogeretur. Quòd si Abiato in oppido opperiri auxilia uellet, ipsos traducto exercitu, Nouariam atq; Viglebanum & amissa quæq; oppida recuperaturos, Neq; debere existimari Gallis adeo scædè repulsis tantum animi superesse, ut Cæsarianis Ticinum transeuntibus, Mediolanum, uti præsidio nudatum regredi uelint. Quid enim stultius aut miserius illis futurum quam protinus premi in tergis, & demum intercipi si ad portas populosissimæ ac insensissimæ urbis redirent? Erant in consilio duo Caroli Lanioius atque Borbonius, ad quos imperij summa respiciebat. Sed Fræcisco Feltrio Urbinati, Venetorum Duci propter eximiam rei bellicæ peri-

lice peritiam singularis consilij exactæq; prudentiæ
 authoritas inerat. Is quum Piscarij sententiam omni
 cum uerborum honore laudasset, Mediolani relicto
 præsidio, ad Ticinum amnem est peruētum, loco quin
 que milibus passuum à Gallorum ponte distante, fir
 missimis nauibus biduo pontem efficiunt, eius capita
 lunatis præalto aggere propugnaculis cingunt, præsi
 dioq; militum & tormentis dispositis egregiè commu
 niunt. Id ubi Boniuettus certius cognoscit, Abiatum &
 ipse cohortiū quatuor præsidio firmat, transgressusq;
 amnem in Nouariensem agrum copias reducit, com
 meatus in munitiora oppida conuehi iubet, eaq; præ
 sidijs impositis egregiè communit, omniq; ratione bel
 lum extrahere & Heluetiorum auxilia expectare cō
 stituit. Enimuero fama erat, Heluetios ut propinquis
 & ciuibus suis, quos difficili implicitos bello audiebāt,
 opem celeriter afferrent, magnis itineribus aduētare,
 quibus receptis auxilijs, Galli prælio demum conflige
 re minimè dubitarent. At Cesariani ubi sese in hostilē
 agrum effudere, contraria ratione bellum gerere cœ
 perunt, equestribus etiam prælijs sæpe laceffendo, a
 uertēdo commeatu, infesta populatione longè lateq;
 euagando magna detrimenta Gallis inferebant. Acci
 dit enim ut Piscarius turmas duas cataphractorum e
 quitum, fortissima Ioannis Medicis Pauliq; Luzaschi
 opera usus, mirabili arte compulsas iniquum in locum
 funderet, & ex his supra quadraginta nobiles equites
 caperet, Nec multò post, ea oppida quæ Gallorū præ
 sidijs tenebantur, diuisis copijs sunt adorti. Piscarius
 Vaglebanū manu cepit. quo oppido antea in præmiū

uirtutis à Francisco Sfortia fuerat donatus. Sartira-
 nam quoque Ioannes Dorbinus expugnauit. Garla-
 scum uero profunda fossa & ualido præcinctum mu-
 ro Corsorum cohortibus Duce Baptista Leca inter
 Corsos nobili regulo, Hieronymoq; Matthæo Roma-
 no egregiè se tuentibus, quod maioris molis erat ipse
 Feltrius cum Veneto exercitu sumpsit oppugnandum:
 accessit & in partem laboris & laudis Ioannes Medi-
 ces, summaq; ui & tormentis oppugnatum est, & sin-
 gulari militum audacia captum, maiore tamen cum
 laude Veneti Ducis, quàm Letitia. Nam ibi supra Du-
 centos milites, & in his aliquot nobiles, qui equis de-
 scenderant, amisit. Quum enim Feltrius concionabun-
 dus unum quenque nominatim, ut strenuè subiret pro-
 positis præmijs accenderet, cunctis certatim adniten-
 tibus, postremæ cohortes adeo primos ordines in tergo
 irrumpendi studio premebant, ut promptiores qui in
 fronte erant, desperato receptu, uehementer impuls-
 i & præcipitati in fossas inæqualibus & profundis
 gurgitibus mergerentur: in his fuere Scipio Pallauici-
 nus, Balthasar Signorellus è Perusia & Hieronymus
 Angelius à Patauio alæ Medicæ uexillifer, & qui
 Feltrianis cohortibus præerant Carolus Eugubius &
 Sebastus à Narnia honoribus militiæ insignes. Ea res
 Gallorum animos contudit: nam neque circumfessis
 oppugnatisq; ab hoste præsidijs suis opem ferre, nisi
 quod erat maximè deuitandum, prælio decertarent,
 neque tot amissis oppidis re frumentaria, quæ indies
 erat angustior, satis abundare poterant, ut tantam ale-
 rent multitudinem, quæ uel tum erat in castris uel ab
 Alpi-

Alpibus statim aduētura nūciaretur. Igitur Boniuettus
 iā planē nō modō uiribus sed Fortuna etiā inferior No
 uariā se recepit, ut milites urbanis copijs recrearet, do
 nec Heluetiæ legiones aduentarent: nam uulgus mili
 tum calones lixasq; præsertim morbus adeo sæuus, &
 pestilentie similis, à fœda corporum illuuiē, contagio
 sus inuaserat, ut nihil iam Duces solite alacritatis in
 milite conspicerent. Publicæ quoq; & priuatæ pecu
 niæ magna erat inopia, deerant cōmeatus, & ut sæpe
 accidit, dum Fortuna belli uertitur, Guelforum etiā
 studia refrixerant, quorum fideli fortiq; opera Galli
 ab initio letis belli successibus utebantur. Gallis intra
 Nouariæ mœnia compulsis, Piscarius cum esset in con
 cilio, tenemus inquit Duces, ut sæpe eis euenit, in ca
 uera Gallos, sed nobis maturè cauendum est, ne proti
 nus euolent, quod certè ab his cōmodè fieri non pote
 rit, si inter Nouariam & Vercellas positis castris, su
 gienti hosti frontē, & terga Alpibus obuertamus. Nec
 mora, omniū suffragijs probato consilio, Piscarius ad
 Arcum Marianū medio inter duas urbes itinere con
 tendit. Is est locus in lata planitie C. Marij uictoria de
 Cimbris parta, seruato adhuc uetusto nomine insignis,
 ita ex opportuno loco quicquid frumētū & reliqui cō
 meatus ad subleuādā inopiā ex agro Vercellensi im
 portari porterat, perpetuis equitū stationibus obsessis
 uijs est interceptū. Interea Heluetij auxiliares ab Alpi
 bus delapsi trās Sesithē annē in Gattinaria uico conse
 derūt, eo tamen consilio, ut annē nequaquā transirēt,
 utpote qui suos tantū ciues excipere, & toto eius belli
 periculo liberare uellēt, neq; sibi tutū fore putarēt, ad

Boniuetum proficisci, sine equitatu & sine maioribus tormentis. Quibus de causis postulabant, ut Boniuetus propius accederet: quod si faceret, tum demum coniunctis copijs, omnes in unum de belli ratione consulturos. Galli auxiliorum aduentu cognito qui iam inopia commeatus, & planè uulgatis morbis pestilentia laborabant, cundum ad Heluetios censeant. paret Boniuetus necessitati, quæ mortalibus leges imponit: quantis tamen potest ingenij artibus, consilium & tempus profectiois tegit, ne in itinere præoccupante hoste, sibi sit necesse iniquissimo tempore dimicare. Nam recentes Gallorum equitum alas, quæ Duce Rotelino nobili Regulo per Alpes iam ad Sebusium oppidum peruenerant, expectandas esse censebat. Sperabatq; simul Rentium Ceritem, quem ad Grisonos cum pecunia miserat, eius gentis auxilia per Bergomatem agrum Laudem Pompeiam esse perducturum. coniunctisq; uiribus cum Federico Bozzolo, Mediolanensibus terrorem adeo latum incussurum, ut Cæsariani à tergo imperij caput respicere, & Sfortie opem ferre cogerentur. Sed tarditate equitum Alpinam glaciem, & præaltas niues ægrè superantium, & Grisonorum longiore mora, factum est, ut Boniuetus sua deiectus spe, secus ac putarat, hostium celeritate uinceretur. Itaque præmissa impedimentorum parte, diuersis Subalpinis itineribus, noctu silentio egreditur, ut Romagnanum pergat, quod est oppidum in citeriori Sesithis amnis ripa, contra Gattinariam, ubi pontem faciendum curauerat, quo Heluetij maturè reciperentur, aut si id ab his minimè impetraret, ad eos ipse continuo traiceret

Vix dum

Vix dum egressis Gallis, primus omnium Piscarius per speculatore, quē diu in hostiū castris aluerat, de eorū profectioe cognoscit. Duces statim in consiliū aduocātur, docet eos, tametsi hostes abeāt urbemq; deserāt, nihil ad uictoriam omnino profecisse, nisi illos celerri mē persequantur: ut priusquam nouis auxilijs coniungi possint, dignum eius diei occasione euadentibus inferant detrimentum, quando nihil magis esset alienum à negotio conficiendi belli, quā peruulgatæ insistere rationi, quæ uetere ignobiliq; proloquio suaderet, fugienti hosti pontes argento atq; auro consternendos. Non deerant enim qui nequaquam totis uiribus hostes laceffendos putarent, uerū eos iniquitati Fortunæ tantum permittendos, postquam tot aduersis minutis attriti prælijs & rerū omnium inopia subacti, uel sola itinerum asperitate conficerentur. Sed consensu militari Piscarij sententia probabatur. Itaq; per Bioniam uicum, primū exercitus agmen eduxit, ut rectiore itinere Romagnanum, quō se tenebat hostis, perueniret. Boniuettus enim maiore uie flexu ad dextram Fontanettum perrexerat. Sed oppido atq; arce exclusus & dum ientaret, tormento petitus, inde prope discedens, altiore uia Romagnanum contendērat. Fontanettani etenim Vicecomites amicitia Piscario coniuncti paucorum Hispanorum præsidium facile receperant. Hæc autem illata Gallis iniuria, ut casu accidere sæpe uidemus, summi beneficij locum impleuit. Nam Boniuettus, qui reficiendo militi, & recreandis equis aliquot horis conquiescere statuerat, imposita demum festinandi necessitate, Romagna-

num prius peruenit, quàm Piscarius ad Ghemium accederet, quod erat oppidulum Romagnano tribus ferme passum milibus propinquum. Alfonsus quoque Vastius Piscarij iussu cum duobus expeditis peditum milibus, & trecentis equitibus cataphractis, Fontanetana uia abeuntes hostes subsecutus, ut nouissimos inuaderet, & inito cum postremis acri certamine, tormentis eorū potiretur, reperit eos paulò ante discessisse. Ita nequicquam emenso itinere, alia uia, incolis ducibus, ad castra reuertitur. Eo fortè tempore, quum iam aduesperasset, & castra ponerentur, Piscarius Mercadum cum expeditis cohortibus trans colles exploratum misit: pertinent ij arboribus, & uinetis confiti perpetuo dorso à Nouaria ad Sesithem usque amnem eamque planiciem ita interscindunt, ut quum hinc Casariani, illinc uerò Galli iter haberent, utraque agmina ab ijs, qui in summis erant collibus, spectarentur. Igitur tràscenso colle, Casariani Gallos latecessunt; tumultuarium prælium exoritur. Boniuettus peditum atque equitum subsidia summittit. Pelluntur Hispani. Ioannes Dorbinus cum septem uexillis Mercado fert opem magna undique concursatione pedites atque equites miscetur; Galli impigrè tamen resistunt; Dorbino utrunque femur glande traicitur: eo uulnerato Piscarius in primam aciem ita processit, ut gregarij militis habitu suis tamen omnibus noto, quam acerrime dimicaret. Superuenit & Vastius cum ea manu quam diximus, à Fontanetto rediens, cuius aduentu adeo certamen exarsit, ut tum, si grauis armatura uelutibus & expeditis peditibus accessisset, u-
niuerso

niuerso praelio dimicari facile posse uideretur. Sed Bo-
 niuettus non prius Hispanorum impetum reprimere
 potuit, quam productis tormentis ex superiore colle
 eos impetere, coeperit: eo modo pari euentu nec ma-
 gno utrinque accepto incommodo, dirempta pugna
 Galli Romagnanum concessere, & Piscarius suos ad
 Ghemium in castra reduxit. Erant ea adeo collibus,
 quos diximus subiecta, ut si Galli receptis auxilijs, pro-
 ductisque tormentis eos occuparent, Caesarianos faci-
 le ex praealto loco tormenta dirigendo, magnis de-
 trimentis afficere, posse uiderentur. Erat enim opinio
 edita in uulgus, Boniuettum coniunctis sibi nouis Hel-
 uetijs, ut collatis signis dimicaret, protinus esse regres-
 surum. Quamobrem Piscarius statim animaduerso ui-
 cio castrorum eos colles praemisissis uiginti peditum ue-
 xillis occupauit: iniunxitque Mercado, ut si Galli pu-
 gnandi consilio ad occupandos colles retro uerterentur,
 tam diu eorum sustineret impetum, donec ipse &
 ceteri Duces cum omnibus copijs instructa acie sub-
 uenirent. Ea res Vrbinati mire placuit: qui uti erat ca-
 strametandi peritissimus, eum locum ab eminenti collium
 supercilio, tormentorum iniurie ualde opportunum, ne-
 quaquam probabat admirabaturque: Piscarium, qui non mo-
 do sublato periculo castra summa securitate compleuisset,
 sed contraria etiam consilij ratione, praecipue occupatis colli-
 bus hosti aequissimam ad confligendum, si accideret, condi-
 tionem praeripuisse censeretur. Ceterum Boniuettus fru-
 stra precatus Helueticos, qui erant ad Gattinariam, ut ad-
 se transiret, secumque postquam esset explorata uictoria,
 bellum uno praelio conficere uellent, ad eos ipse transire

constituit, præmissisque aliquot tormentis, & toto ser-
 mē equitatu, à mediâ nocte peditatum transmittere
 cœpit, tanta adhibita festinandi diligentia, ut cum se-
 misomnes Heluetij dicto non parerent, teclis subijci
 faces, & latè flammam excitari iuberet. Ea re per ex-
 ploratores equites nunciata, qui tota nocte per uices,
 ad Romagnanum excurrerāt, Piscarius, quin ad pon-
 tem contenderet, minimè dubitauit, ratus postrema
 hostium agmina, citra amnem, ut accidit, se deprehen-
 surum, disiunctaq; à suis medio amne facillè deletu-
 rum. Itaq; cum tribus circiter milibus delectorum pe-
 ditum, assumpto secum Vastio cum trecētis equitibus,
 profectus, quum secunda diei hora peruenisset, quan-
 quam serius quàm optarat, nequaquam tamen omnes
 transisse reperit: cuius aduentu tantus illico timor hosti-
 bus est illatus, ut quum cæsi fugatique ad primum e-
 quitum & sclopettariorum incursum terga uertif-
 sent, amentibus similes abiectis armis sese in amnem
 conijcerent, & uorticibus absorpti, foedissimo mortis
 genere mergerentur: alij tormenta desererent, quæ
 per amnis alueum funibus in aduersam ripam extra-
 hebant. Cæsariani enim mirum dictu, non modò flu-
 men præaltis aquæ gurgitibus, sed inæquali etiam al-
 uo ac ingentibus petris, quas torrentis impetus pro-
 uoluit, impeditum, ut euadentes sectarentur, minimè
 formidabant: ad augendum quoque Gallorum cladem
 fugientium & sese prementium iniusto pondere fati-
 scentibus nauigijs, pons est interruptus, quo perfra-
 cto tanta iumentorum, & militum in præceps effusa
 est multitudo, ut totus fluminis alueus percuntium ac
 enatan-

enatantium, turba compleretur, Interim Casariani equites repertis uadis, acceptisq; in equorum terga confessoribus sclopettarijs transibant: ipseq; Piscarius & Vastius in alteram ripam euaserant, quum alij atque alij equites extra ordinarij; pedites è castris superuenerunt, adeo ut iam firmis planè uiribus, & aspirante Fortuna, pauidos ac in fugam uersos, ex toto persequi, & cominus adoriri minimè dubitarèt. Direxerat in margine secundum fluminis ripam aliquot tormenta Boniuettus, hisq; præsidio imposuerat Corsorum & Gallorum cohortes, ut dum ipse agmina componeret, ab his crebro pilas emittendo hostes ab ingressu amnis terrerètur. Sed Corsi rebus inclinatis, & planè perditis, enatantium, & undique incumbentium Casarianorum impetum non tulerunt, cadentèque Tristano Duce, desertis tormentis, refugere cœperunt. Tum uerò Boniuettus ne tantum dedecus in oculis totius exercitus admitteretur, conuersus ad Duces Gallos, sequimini me inquit, mei equites, qui semper egregiè dimicastis, & mecum irrumpite, ne tormentis Gallicis pauci hostium cum summo nostro dedecore potiantur: ad id Vandenesius Palicia frater, qui erat inter alarum præfectos longè promptissimus, Emoriar ego potius respondit, cum alarijs meis, quam ea hodie ab hoste capi conspiciam: atq; ita densatis alis ex templo procurrerūt, occisisq;, & protritit nonnullis ad tormenta peruenerunt. Sed expediti equites leuis armaturæ, Hispanique agiles, sicuti repente cadendo, & sese retro diffundendo, grauissimi equitatus impetum cuitabant, ita demum redeuntes in prælium ad-

uentante cohortantēque Piscario sese turmis hostium
 circumfuderunt: Sclopettisque rem gerendo adeo pro
 fecerunt, ut Galli pluribus equis cadentibus, quum à
 proximis Heluetijs opem impetrare nequiuissent, si-
 gna retro conuerterent. Eo congressu ipse Boniuettus
 imperator, dum præclarè tormenta defendit, Leuo bra-
 chio pila traiecto grauissimum accepit uulnus. Simi-
 liter & Vandenesius paulò infra humerum crassio-
 ris sclopetti plūbea glande ictus est, quo lethali uulne-
 re aliquot postdies interiit. Piscarius eius uiri interi-
 tum ægrius quàm quisquam crederet, tulit. Quoniam
 is hostis sibi priuatim inimicus, peculiari suo trium-
 pho, & speratæ gloriæ præceptus esse uideretur: ut-
 pote qui antea prouocatus, singulari certamine cum
 eo congredi magnoperè cuperet, ut de direptione Co-
 mensium, designato iam loco, & delectis equestribus
 armis, in arena uallata pulcherrimo spectaculo con-
 trouersia finiretur. At Piscarius quū iam Sol in uespe-
 rā uergeret, & Galli conferto postremo agmine iustis
 passibus anteirent, nō putauit cum ea manu, quæ erat
 exigua, & cōtinenti totius dici labore fatigata, hostes
 longius esse persequendos. Etenim satis magna uide-
 bātur, quæ milites gesserāt. Ipse uerò plures horas uā-
 rijs in locis, ut in extraordinaria pugna accidit, egre-
 giè dimicando, summā fortitudinis, & iudicij militaris
 laudem cū alieno dedecore, & tacita multorū inuidia
 cōpararat. Itaq; reuocatis militibus & superato iterū
 Sesthe anue, cum spolijs & septē Gallicis tormentis
 in castra est reuersus. Quum à Lanoio atq; Borbonio
 ipsoq; Vrbinatē cumulatā cum laude reciperetur, pau-
 ca uti

ca uti solebat de se locutus, eximio cum uerborum honore ante alios commendauit Ioannem Geuarram Potentianū Regulum Dauale familie sanguine coniunctum: Itemq; Paulum Luzascum, & Philippū Cerbationem cohortis præfectū, qui primi omnium in flumine tormenta hostium occupassent. Ceterum cocentibus in unum Ducibus docuit, quantum spei ad summā uictoriam in celeritate esset reponendum. Gallos timore occupatos, quòd duobus iam tumultuarijs prælijs uicti essent, quòd segni Heluetiorum opera uterentur, quòd grauius ictus esset imperator, facile posse deleri, si ipsi motis properè castris, & superato amne sequerentur. Neque eos omnium rerum affectos incommodis, tormenta trahentes, & per se graui semper impedimentorum, & inutilis turbæ agmine retardatos, tantum uia posse conficere, ut sequenti die leuis armatura consequi facile nequeat: & demorari abeuntes, donec reliquæ omnes copie sub signis in hostium conspectum adducantur. Nec mora, quum omnes Piscarij consilium uti decoris, & bellicæ rationis undequaq; plenissimum magnoperè laudarent, Borbonius alacri motu exurgens sublata uoce, te auspice inquit, fortissime Piscari, dimidiam de hoste uictoriā tenemus, & cras, si tibi hodie paremus, reliquam omnino consequemur. Vnus Urbinas uictoriam morari tardareque poterat, si Sesithem inconsulto senatu Veneto, transire recusasset, quando is annis Mediolanensis imperij finis esset, neque ultra copias traducere fas esse uideretur. Sed is uti æquus, & grauis imperator, quū id è re publica, & suæ item dignitatis esse existimaret, in tãta

rerum momento fidem atq; animum senatus respicere maluit, quam nimis cautè ea uerba interpretari, quæ in præscriptis mandatis in consultè senatus apposuisse, atq; ita reiectis malignis, uel importunis monitoribus, utamur inquit uictoria Duces, quam nobis diuina ratione Piscarius ostendit: & castra antequam Sol occidat ad amnem moueamus, ut inalbescente cælo traiectis copijs, maturè tergis hostium incumbere possimus. Ita cum summa alacritate militum conclamatis uasis, quinque inde passuum milibus ad amnem castra proferuntur, ut æquioribus ripis, & certiore quodam uado pertransirent. Sed Piscarius coniectura iudicans, hostes maximè extentis itineribus ad Eporediam esse progressuros ut magis ac magis eos distineret, & laceffendo iter moraretur, eadem nocte persequi cõstituit. Erat enim impræcipienda uictoria, ad quã flagranti cupiditate semper anhelabat, adeo occupatus, ut uix exiguum cibum, & modicam quietem uel fesso corpori concederet, & militum corpora ipsa tantum certa spe uictoriæ egregiè sustentari posse arbitraretur, eo modò alacribus uerbis singulos ad prædam cohortando, coactis in unum circiter ducentis equitibus tertio flumen transit, & hisdem uestigijs hostes persequitur. Dum iter faceret, multi equites atque item leuis armaturæ pedites, qui dispersi in uarias manus hostium impedimentis imminendo atque aberrando ultra amnem remanserant modicas ab initio Piscarij uires plurimum auxerunt. Media autem nocte nouissimum hostium agmen est consecutus. Heluetij in duo tantum agmina diuisi equitatus

tatum Gallicum, & tormenta in medium receperant, Veterani erant in tergo, noui auxiliares antecedeant, tanto ordine tatoq; silentio ac disciplina, ut nihil præter equorum hinnitus, & aurigarum flagella uel in proximo sentiretur. Nec quisquam omnino ordine pedem efferret, aut se plus æquo ad iter incitaret: Quamquam Piscarius admotis equitibus, qui carperent, magoq; edito clamore, & in tergo & lateribus incurserent eos perturbare niteretur. Tympana etenim ac tubas, præter unam, omnes compresserant, ut equites uniuersi unius tantum tubæ cantu, Heluetij uerò ingenti buccina regerentur. Quum frustra lacescenti Piscario in herbida ualle circiter duas horas cõquieuisent, diluculo demum iter intendere cœperunt. Nec deerat Piscarius, qui continuo instaret & premeret, iam tum nouorum militum accessione firmior factus, atq; ob id etiam audacior, quoniam in Heluetijs legionibus rari erant sclopettarij, & ij quidem inepti & rudes: equites uerò Galli adeo fatigatis & macie consumptis equis uehebantur, ut neque procurrere alacriter, neq; dignum more gentis impetum facere penitus audent. Interea Borbonius à Piscario de itinere atq; ordine hostium certior factus sub auroram totum exercitum traduxit. Sed nõ eam celeritatem quam optabat, requirebatq; Piscarius, Duces adhibebant. Videbantur enim hostes elabi è manibus, nimia subsequenti exercitus tarditate, adeoq; ipse inuentus ardenti ingenio subitarum rerum consilia celeriter agitabat, ut ea uel incredibili momento temporis expediri & perfici posse existimaret, ut pote qui naturæ difficultates di-

ligentia, & celeritate sæpiſſimè ſuperaffet. Per hunc
 modum, quum Cæſariani Heluctijs, & Gallis inſulta-
 rent, & irrequieto quodam laceſſendi genere, undiq;
 circumfuſi abeuntes probroſis nominibus cõpellarèt,
 res eò erat perducta, ut Galli penè ſubſiſtere, & tueri
 tormenta cogerentur. Tum uerò Boniuettus, quoniã
 ex dolore uulneris lectica uectus munia ducis imple-
 re non poterat, Baiardo ſummam imperij tradit, eun-
 que ſupremis precibus per Gallici nominis decus ue-
 hementer obteſtatur, ut tormenta ſignaque eius fidei,
 & uirtuti commendata tueri uellet, poſtquam toto e-
 xercitu, nemo eo uel manu uel conſilio melior habere
 tur. Ad id ille, uellem inquit Imperator, ut hunc hono-
 rem in æquiore noſtra Fortuna tribuiſſes: utcunq; ta-
 men caſus feret, ea hercle nauiter tuebor: nec me uiuò
 in hoſtium uenient poteſtatem. Nec multò poſt, eius
 promiſſi fidem fortiter impleuit. Nam cum inſultantiũ
 inſolentiam repentina eruptione reprimendam arbi-
 traretur, ut longè ſummotis hoſtibus ſeſe demum pu-
 gna explicaret, & pedestribus copijs antecedenti ſpa-
 tium præberet, conglobatis turmis in aduerſos uehe-
 menter eſt inuectus. Sed Hiſpani conſuetudine ſua, re-
 tro celeriter ſe diffuderunt, & mox imperãte dirigen-
 teq; Piſcario, qui cum paucis huc, & illuc diſcurren-
 do uolitabat, in hoſtem redierunt, ita ut non pluſquam
 ad ſcopetti ictum equitibus appropinquarent. In co-
 recurſu Baiardus dum alas, ut ſenſim redeat, in gyrum
 circumſectit, ſub latere pila traijeitur, cadit etiã Beo-
 boſius ale cataphraſtorum præfectus, & plures equi
 conſternũtur. Labentem ex equo Baiardum proximi
 equites

equites excepere, ut in mediam peditum aciem referrent. Sed ille ubi uitæ finē adesse disruptis præcordijs intellexit, eos est obtestatus, ut se in eo quo pugnasset campo relinquerent, ut sicut militari uiro dignū foret atq; antea semper optauisset, armatus occūberet; nec eos, pio certè sed inutili tamen occupatos officio, dum cūctis esset properandum, diutius moraretur, atq; ita præmissis tubicine Piscario se dedit: admirantibus cūctis eius uiri iudiciū, qui quū suprema militaris imperij iura præclare sciret esse penes Lanoiū atq; Borboniū, Piscario potius quàm illis se dedere uoluerit, quasi militiæ nomē, uera uirtute, & factis illustribus quæsitū, multo nobilius atq; præclarior esset, quàm id quod aridentis Fortunæ ludo, uel superba Regū cōmendatione pararetur. Porro Piscarius Baiardò recepto, at tributisq; ei custodibus, qui expiranti sedulo ministrarent, darentq; operā ne à quoquam auaro aut ignaro milite uiolaretur: nec momentū quidem tēporis intermittebat, quin hostes persequeretur, nūtijsq; pluribus ad Duces missis eos ad maturandum uehemēter accenderet. Iam Gallicus equitatus sensim pugna excedendo, in medias acies se receperat, & Casarian per cateruas rarosq; manipulos undiq; circūfusi Heluetios insolenti & crebra procurfatione fatigabant, quū postrema eorū cohors quòd neq; iter facere, neq; repugnare facillè poterat, abrupta omni disciplinæ patientia, uti furore percita à nouissimo agmine se proripuit, & magno impetu sclopettarios simul & equites inuasit. In eo concursu Piscariū acerrimè dimicantē insignis & ferox Heluetius ex transuerso ante alios procurrens

elata in caput alabarda penè mactauit, sed lorica qua
 iugulum tantum atq; humeros muniret in tumultua-
 rijs expeditionibus utebatur, nec sine ea somnum cape-
 re erat solitus, tantæ molis ictum in humero facile su-
 stinuit. Isq; Heluetius adcurrente in auxilium Vastio,
 ualida prægrauiq; eius dextra, protinus est interfe-
 ctus, ea sorte ut Vastius uno tam felici ictu hostili rabie
 uindictata, non cuius modò, sed fratris & ducis seruati,
 decus meruerit. At Heluetij primis facile pulsis, dum
 neque animi uim, neque cursus impetum remittūt, &
 hostes ad multum spatium temere persequuntur, adeo
 longe à suis pleno gradu euadentibus se disiungunt, ut
 tribus amplius stadijs à postremo eorum agmine dista-
 rent: id conspicati Piscarius & Vastius qui se retro ab
 eo tumultu celeriter explicarāt, paucis & his quidem
 ex familia, strenuis equitibus in unan aciem densatis,
 tanto impetu in Heluetios irruerunt, ut dissipatos &
 & perturbatos admirabili uirtute dimicando ad unū
 omnes semihoræ spatio trucidarint; adeo ut ex qua-
 dringentis nemo superesset, nec spectante eam cædem
 ex propinquo ipsorum postrema acie, quisquam uel
 Gallus eques uel pedes Heluetius opem ferre auderet,
 sed quisq; plenis passibus omnino festinandum arbitra-
 retur. Accidit enim sæpiissime in aduersis rebus, & in
 fuga præsertim, ut inusitatus pavor omnem misericor-
 diam ex hominum animis penitus reuellet; nemo fere
 tamen fuit ex equitibus, qui non grauius uulneratus
 in ea contentione discesserit. Constat Heluetios si ma-
 turè ad ferendam opem accurrere uoluissent, facile
 eam cohortem fortissimiorū hominū seruare potuisse,
 quum

quum amplius duodecim stadiorum spacio Lanouius atq; Borbonius cum reliquis statarijs copijs abessent. Eius etenim praelij mora exercitu etiam propter grauitatem tormetorū, quæ nemo sanus Imperator post se unquam reliquit, serius quàm oportebat appropinquante, Gallis ad Eporediam euadendi spatium dedit. Porrò Heluetij Graïs alpibus in Veragros contendentes tormeta circiter uiginti aenea in oppido Celandio propter asperitates itinerum reliquerūt, quæ omnia Alarco per ualles Augustæ prætoriae cum expedita manu abeuntes subsecutus eo in oppido cepit, & in castra exornatis festa fronde curribus reduxit. Hunc exitum habuit id bellum quod antè septē menses Boniuetus Amiras dux infelix tantis opibus intulerat, nulla hercle iusta pugna, sed tumultuarijs tantū leuis armaturæ praelijs cū præcipua Piscarij laude confectum. In his enim ipse antè alios semper enituit, quū ardua & aspera quæq; facinora, nō ingenio tantum admirabili, sed fortissima etiam dextra omnium opinione peregisset. Hisdem quoq; diebus Grisonorū auxilia, quæ Duce Techano adducenteq; Rentio Cerite in Bergomatem agrum descenderant, Ioannes Medices ad Caprinum uicum improuisò adortus, nonnullis caesis, reliquis perturbatis in patriam ita repressit, ut Grisoni Rentium captiuum tanquam pecuniæ debitæ uadem intra eorum fines retraherent. Nec diu quoq; post Medices cum iuuentute Insubrum & ueteranis suis cohortibus admotis tormētis Abiatum ualido defensum praesidio, magna ui, memorabiliq; celeritate interfectis defensoribus expugnauit, uno ferè hostiū duce Fe-

derico Carafa propter generis nobilitatem conseruato. Quibum rebus adductus Federicus Bozulus qui cum praesidio Laude Pompeie se tenebat, & Grisonorum auxilia opperiebatur, certis conditionibus deditio nem fecit. Piscario demum Alexandria oppugnanda munus est iniunctum. Sed Galli sub Boisseio adolefcente, cui Boniuettus erat patruus, nihil expectatis auxilijs, nec tetata quidem defensione, ut integri milites seruatis priuatim rebus in Galliam abirent, ualidam urbem pari Caesarianorum felicitate diderunt.

LIBER QVARTVS.



IRIBVS bellis, nec ulla quidem iusta acie deuictis Gallis, Caesariani tantos sibi spiritus desumpserunt, ut uictricia arma superatis Alpibus, Galliae ueluti metu subactae inferenda proterius existimarent. Addebat animos ipse Borbonius, praecipuus noui belli concitator, tam caeca libidine impotenter exardens, quam inanis spe uehementer inflatus inuadendi eius regni, quo antea scelesti temeritate semel affectato, non modo patriam & natale solum, sed regalis etiam opulentiae patrimoniū amisisset. Is per se natura praeproperus & more exulum, omnis cunctationis impatiens, Caesarem & Henricum Britanniae Regem frequentibus nuntijs sollicitabat,

licitabat, ut undique commotis armis bellum ostentarent, cum à Pyrenæis, tum ab Oceano Belgico, & à Sequanis atque Burgundis. Se enim ab Italia terra marique Prouinciam inuasurum; aduentante uerò exercitu toties uictore, non modò Prouinciam, sed ulterio-rem quoque Galliam audito Borbonij nomine defectu-ram: orare demum Reges atq; obtestari per fidem datam & acceptam, per consilia toties inita, perq; eam occasionem, quam Fortuna secundior longè pulcher-ram offerret, ne se ingenti ipsorum beneficio fa-ctum extorrem, & atroci edicto hostem iudicatum, desererent; tantis præsertim innixum studijs & clien-telis, desideratum à nobilissimo quoq; equitum, & in-spem regni totius frè Gallie uotis & præcibus euo-catum: non magna ui, non cædibus, non urbium expu-gnationibus opus fore, si repëtino transitu prima præ-sidia pellerentur, quæ essent exigua, aut ex tironum equitû alis, aut ex ueteranis toties in Italia omni pro-pe bellico apparatu spoliatis & uictis. Igitur Cæsar & Henricus aduenisse tempus rati, quo facile Franci-sci Regis spiritus contunderent, bellum decernüt. Vi-debant enim propter amplitudinem opum, Regem à rediuiua potentia semper indomitum, & recupe-randæ Cisalpinæ Gallie cupiditate desflagrantem, singulis annis bellum renouare: neque tantis acce-ptis detrimentis, pacem petere, utpote qui speraret continenter bella gerendo, & hostium atterendo facultates, non modò præterita incommoda facillè resarcire, sed una denum uictoria uindicatis iniu-rijs cum sua recipere, tum alienis etiam imperijs

latè potiri. Antè omnia Cæsar æquo animo ferre non poterat, quòd Galli consternatis ad arma Hispaniæ populis ipso procul in Belgis agente, ad Hiberum usque annum arma promouissent. Decreto bello, exercitui Piscarius præficitur, Vgo Mõcata parandæ classis negotiũ suscipit. Ita tamen ut ambo cuncta ad Borbonij nutum ac imperiũ administrarent. Cæsar & Henricus Borbonio, quum in prouincia bellum secundo euentu gerere cœperit, undiq; se Gallis illaturos arma pollicentur. At Piscarius quanquam Borbonio cuncta fore facilia pollicenti, multis in rebus minimè credendum esse iudicabat, quoniam probè sciret, eam esse exulum naturam, ut uel exigua spe inuitati difficultates omnes facile subeant, nec in ipsis rerum initijs ulla pericula ratione metiantur: tamen uirtuti militum confusus & bellum & iter summa sua spe & alacritate militũ suscepit. Fuere in exercitu septem milia Germanorũ, Hispanorum sex, itẽmque Italiciæ triceniariæ cohortes septem, leuis armaturæ equites sexcenti. Sed Lanioius qui in Italia remanserat mille equites cataphractos cõtinuò se modicis itineribus summissurũ pronũttebat. Vgo Moncata quas adducere onerarias naues putarat, obtinere non potuit, quamobrem aliquanto minore cum numero nauium quàm oportebat, cum sexdecim tamen rostratis triremibus, quibus omnem tormẽtorum apparatus imposuerat, è Genua est profectus, eumq; tenuit cur um ut terrestres copias maritimis Alpibus transeuntes, comitante classe, & nusquam ea temere à littoribus abscedente intenta cura sequeretur. Non deerant pleriq; principes usu rerũ periti, qui nequaquam

quaquam eius belli causam probarent, summæq; audaciæ consilium, quod insaniam uel temeritati proximum uideretur, damnarent, uel irriderent. Quid enim stultius uideri, quàm exiguis cum copijs, duce exule, atq; eo qui perfidiæ nomine, publico iudicio esset damnatus, opulentissimum Regnum inuadere in quo Galli homines regio nomini non amore modò naturali, sed serui li propè obsequio dediti, non modò fideles esse, sed regia ora tanquam ab occultò numine augustiora uenerari & prorsus adorare consueuissent? Proditoris nomen maximè horrerent, nec à legitimis Regibus unquam ab ulla memoria defecissent? Quid demum esse periculosius, quàm Regem ingentis spiritus & maximarum opum etateq; florentem domi exagitare, qui nec foris procul à domo pacè pati quiuerit? Non enim defutura suo Regi Galliam; non iam pro Insubrum imperio, sed pro aris & focis, pro uxoribus & liberis sit dimicandum: quando nihil acerbius atq; funestius foret quàm ferocium Germanorum & Hispanorum auaritiam atq; libidinem experiri. Ob eas res Clemens Pontifex & Veneti & Franciscus Sfortia, quanquam Gallos uti nimis infestos hostes oderant, & arctissimo foedere Cæsari erant coniuncti, uereri tamen ne bellum temere intempestiuèque susceptum, aliquam Italiae cladem importaret, uerum Borbonij transitu tacitè omnes letari, quòd Italia superior, discessu exercitus, grauisimo legionum onere leuaretur. Quando non tantum ab hoste Gallo, quàm ab Hispanis gente imperij auida amoenitateq; & copijs Cisalpinæ Galliae iam pridem capta, timendum esse iudicarent: uti postea rerum

docuit euentus: nam id bellum fatali quodam consilio,
 potius quàm bellica ratione susceptū, sicuti maximis
 Hispanos periculis inuoluit, ita eos demum cuncta uer-
 tente Fortuna, inusitatae uictoriae compotes fecit. At
 Caesarianis postquam ad Varum flumen qui prouin-
 ciam ab Italia diuidit, terra, mariq; pari cursu perue-
 nere, Andreas Auria Gallicae praefectus classis ab alto
 in conspectum se dedit: secundoq; usus uento, cum uali-
 da classe, Vgonem tormenta in terram exponere pro-
 perantem est adortus, quo ille animaduerso discrimi-
 ne, quanta potuit celeritate retro iter auertit. nam o-
 nerarijs uti diximus multo erat inferior; tres tamen e-
 ius triremes, quae retandante euro promotoriū supera-
 re nequiuerant, ultro in lītus sese intulerunt. Nec du-
 bitauit Auria eas persequi; iamq; occupatas suo milite
 & rudentib. iniectis alligatas spectante exercitu, re-
 mulco in altum captiuas pertraherat: quum id elato
 perturbatoq; animo minimè ferens Piscarius, aduoca-
 to promptissimo quoq; militum in mare se coniecit, ita
 ut umbilico tenus per mare peruaderet, cōtempta om-
 ni tormentorū procella, quae è Gallicis triremibus ef-
 fundebatur: atque ita felici ausu interfectis & eiectis
 Gallis; praecisisq; funibus, unam atq; alteram triremē
 seruaui: quas demum uacuas omni militari instrumen-
 to uti iam debiscentes, ne hostis earum materia potire-
 tur, concremauit. Audiui ego à pluribus qui interfue-
 runt, nunquam Piscarium uehementiore impetu, uel
 maiore cum periculo, uti in re quanquam exigua, ual-
 de tamen aspera, improuisa, atq; ancipiti dimicasse. Ac-
 cessit & aliud incommodum quanquam leue, in ipsis
 tamen

tamen rerum gerendarum in it ijs importunum. Filibertus enim Aurantius natione Sequanus, qui ad id bellum in Prouinciã ab Hispania nauigabat, quum à Cæsarianis latè maria, conspecta classe, teneri crederet, imprudenter in Aurianas incidit triremes: & ab his circumuento myoparone, est interceptus. Hic est ille Aurantius qui Borbonio ad Romana mcenia tormenti ictu occiso in uastanda Vrbe capiēdoq; Pötifice Cæsarianis copijs præfuit, & nuper cōmisso cum Florentinis ad Pistorium prælio, dum militis potius, quàm ducis munus implere contenderet, penè corrupta uictoria, fuit interfectus. Nec multo post, decidentibus aduersis uentis, Vgo triremes totis litoribus admouit, & tormenta magnamq; armorū & cōmeatus uim, uti oportebat in terram exposuit; atq; inde duplici itinere, diuiso exercitu ad aquas Sextias est peruētū. Quū satis letis Sextiēsū animis Borbonius esset receptus multaque castella aut leuitate aut metu, quòd præsidij essent nudata, deditiōē facerent, nonnulliq; equites & ueteres Borbonij clientes in castra uenirent; cupido incessit introyfus ad Auinionem atq; Lugdunū penetrandi: ut priusquam Franciscus ex Germano Heluetioq; pedite iustas uires compararet, aliqua opulenta & ad ducendum bellum opportuna urbe potirentur. Sed Borbonij consilij unus omnium obstabat Piscarius diuina quadam prudentia inductus, qui nequaquã à mari temere discedendum esse differebat, quando nihil magis à ratione belli censeretur alienū, quàm classis usu sponte priuari: quæ in utroq; rerū successu ad omnes casus terrestribus copijs singulari adiuuētō

futura uideretur, proinde tentandam atq; oppugnan-
 dam omnino esse Masiliam, & Rhodanus statim ea oc-
 cupata, superandus, ut Caesar summa facultate uti pos-
 set ad suppeditanda terra mariq; auxilia, uti à Perpen-
 niano, & Salsulis per agrum Narbonensem se missu-
 rum ad prima coepti belli initia promississet. Non esse
 periti Imperatoris, summi momēti consilia quæ uictori-
 am, uel exercitus salutem respicerēt, in dubijs & se-
 pe inanibus populorum studijs collocare, relictāq; in
 tergo maritima urbe atque ea portu insigni, in medi-
 terraneas Gallia regiones penetrare, cum exiguo
 præsertim equitatu, qua parte uirium Galli domi
 & foris maximè ualere consueuissent. Proinde tum-
 alacriter esse procedendum, quum Caesar à Pyre-
 naeis incumberet, quum Britanni cum exercitu in
 Morimos traiecissent, quum equitatus, cuius ope-
 ra plurimum indigerēt, à Lanoio Carolo mitteretur.
 Quod si in interiora Gallia peruaderent, & fortè stu-
 dia Gallorum uti incertæ ferūt hominum uoluntates,
 spe sua minora aut lentiora reperirent, & instante Re-
 ge qui totius regni uires exciuerit tantulis copijs ali-
 quis durior casus incideret; Quod demum ipsos mari
 atq; alpibus interclusos consiliū pro salute capturos?
 Quod porrò maius aut optatius Gallo Regi beneficiū
 posse conferri, quàm illum toties de Gallis uictorem
 exercitū in manifesta pericula hac planè exitiali con-
 silij temeritate deuocare? ut quod Dij auertāt, inquit,
 eo circumuento de tot iniurijs, & cladibus acceptis
 grauissimam Gallorū omnium oculis Rex superbus uin-
 dictam sumat: & subinde tota Italia, uti nudata præsi-
 dijs, sine

dijs, sine uulnere potiatur? Nihil harum rerum Borbo-
 num magis permouit, quàm ea quæ de Lanoij uolun-
 tate nunciabantur. Is enim siue quòd Borbonij, Pisco-
 rijq; gloriæ obtreftando maglignitate quadam inuide-
 bat, siue quòd Italiæ præsidio maioribus cum uiribus
 omnino sibi remanendum arbitrabatur, nequaquam
 cataphratos uti fuerat pollicitus, summittebat, conti-
 nuisq; literis id obnixè flagitantes Duces adeo parum
 prolixè uel impudenter frustrabatur, ut Ricardus Pa-
 ceus Britanni Regis Legatus, qui erat in castris pecu-
 niamq; attulerat, acerbissimis epistolis eum apud Re-
 gem suum & Cesarem proditionis nomine postula-
 ret. Igitur relicto ad Aquas Sextias equitū & pauca-
 rum cohortium præsidio, quæ rem frumentariam ex-
 pedirent, ad oppugnandam Masiliam est peruentum.
 Ex itinere ad Taurentium portum, Tolonæ, arx par-
 ua, quæ turrem habet insignem, terra mariq; expu-
 gnata est, in qua aliquot ingentis magnitudinis tormē-
 ta fuerè capta, & in his eximie temperaturæ mirabi-
 lisq; uiolentiæ colubrina, Pisano bello celebrata, cui
 lacertæ cognomen fuit. Hanc iure belli partam Pisco-
 rius, in arce Iselana postea constituit, ut hostium nauigi-
 a ab accessu uel in triginta stadiorum distantia deter-
 reret. Cingitur Masilia ferè undiq; mari, & præaltis
 montibus, ab ea parte qua mare per angustas fauces
 se insinuat, portumq; efficit: is duabus utrinque turri-
 bus interiecta cathena permunitur: intrantibus occur-
 runt naualia, quæ mœnibus cohærent, pari modò su-
 pra ea, urbis murus extenditur, siue fossa uetusto ope-
 re fabricatus. Imminet urbi mons editus diui Victoris

templo insignis: quæ Galli præsidio imposito propter
 aditus asperitatem facile defendebant, ab occidente ue
 rò moenia aliquanto minore diligentiâ munita uideban
 tur: ad eam præsertim portam, quæ ad sancti Lazari
 fanum perducit: ab eo loco quum Piscarius murû qua
 tere statuisset, & in ponēdis castris milites essent occu
 pati, paruoq; propterea cum præsidio tormenta equo
 rû & boum iugis ad sanctum Lazarum traherentur;
 id conspicati milites Itali & Galli, qui in muro erant,
 repente è portu conscensis triremibus in eam partem
 litoris descenderunt, facileq; fuso & dissipato præsi
 dio, præcisîs funibus, interceptisq; iumentis tormēta
 occuparunt. Res erat subiti pauoris, & inconditi tu
 multus plena, utpote quæ nõ minore cum ignominia,
 quàm incommodo Casarianorum audacissimè à Gal
 lis edebatur. eius fugæ deformitate cõspecta, Piscarius
 cum tribus cohortibus ad litus descendit, commissaq;
 uehementissima pugna, recuperatisq; tormentis, ho
 stes ad mare usq; tanto impetu est persecutus, ut quum
 ad triremes se reciperent, & illæ suborta fortè tempe
 state, quod iniquissima sorte illis accidit, in portum re
 fugere essent coactæ, desperata fuga trepidi in mare se
 se demergerent, adeo ut nemo serè, præter ducem Leo
 natû genere Neapolitanû, qui erat trās fuga & ad sup
 pliciu seruat, fuerat, ex quadringētis circiter Italis &
 Gallis euaserit. Erat in præsidio Masilia Philip. Bri
 nius uirtute bellica, & gratia Regis maximè insignis:
 adueneratq; secūdo amne Rhodano Rencius Ceres cū
 Itatorû & Corsorum cohortibus, magnoq; apparatis
 tormentorû; nec deerant alæ equitum, & magna uis
 comeda-

commeatus, maræque & Stecades insulas, quæ sunt
 contra portum ualida classe certis stationibus obtine-
 bante. Anderæq; Auriæ in re nauali singulari diligẽ-
 tia, & promptitudine expediendis omnibus rebus in-
 pugnandisq; hostibus utebantur; nam ubi milites per-
 litus inconspicuum se dabant, aut aliqua in castris eme-
 nebant tentoria, tum ab alto circumducta per litus
 classe maioribus tormentis petebantur. Exurgebat e-
 tiam ab ipsa media urbe præaltus collis, unde erat a-
 pertissimus in omnes partes prospectus, quem ingenti-
 bus colubrinis instruxerant: nullaq; erat pars, uel
 propugnaculorum, uel mœnium, quæ nouis operibus
 non esset resecta, ac abundè munita omnium genere tor-
 mentorum, & telorum, ob id interdum noctuq; uel ad
 incertos ictus, quum nullis uel inanibus pilarum, &
 sulphurei pulueris impendijs parcendum putarent,
 castra ab omnibus ferè partibus infestabant, tanta qui-
 dem pilarum frequentia, ut in tabernaculis noctu, ne
 conspici notarique possent, lumina passim extingue-
 rentur. Piscarius tamen unus omnium uel deprecanti-
 bus amicis, incredibili constantia, contemptioneque
 periculi, in mensis lumina semper retinuit, quanquam
 non semel crassiores pilæ cum exitio metuque fami-
 liæ tentorij linteæ deterfissent. Existimabat enim non
 esse uiri fortis ea sollicitè pertimere, quæ ab incertis
 casibus omnem uel exactæ prudentiæ diligentiam antei-
 rêt; neq; eum ducem uel præfectum rectè situs castrorum pos-
 se speculari, & motus hostium diligenter explorare, qui
 ad fortuitos tormentorum ictus & strepitus meticolosa
 capitis declinatione terreretur. Quum obliquas fossas

concidi excuariq; præciperet, per quas subuectis tor-
 mentis sensim moenibus appropinquaret, qui in opere
 uersabatur, soli malignitate maximè laborabant. La-
 pidosus enim, & fere sine gleba saxeus ager omnem
 uim fodientium militum, singulari contumacia respue-
 bat, neq; uimine caueæ, quæ collocatis tormentis an-
 teponuntur, uti disciplina requirebat, simplici terre-
 no, uel cespite repleri poterant, quæ res multis & præ-
 sertim libratoribus exitium afferebat: quoniam ad ma-
 gnos tormentorum hostilium ictus caueis sæpe disru-
 ptis frequëntia undiq; lapidum frustra in obiectos spar-
 gebantur. Dum hæc agrè fierent, Masilienses occulta
 militari portula repente egressi, Hispanos in opere oc-
 cupatos inuaserunt, paucisq; occisis & multis uulne-
 ratis, priusquàm à proximis subueniri posset, fossa pro-
 tinus expulerunt, usque adeo audacter, ut Gallis non
 modò ferramenta, sed uestes & arma, uti erant sine
 cura metuq; deposita, deserere cogentur, erant in-
 milites ex cohorte Philippi Cerebellionis, quos Pisco-
 rius asperioribus uerbis castigauit, quòd non tantum
 sibi ipsis, sed præfecto summæ uirtutis insigne dedecus
 attulissent: uerùm aliquanto uehementius in Rodoricum
 Corium Ioannis Dorbini signiferum est inuectus, qui
 ueluti metu præpeditus è proxima statione nequaquàm
 maturè ad ferendam opem accurrisset. Tum Rodoricus,
 qui elato animo ignominiam sustinere non poterat, fa-
 ciam, inquit imperator, si hostes iterum eruperint, ut
 me uiuum, aut certe nobili fato functum magnopere
 cõmendes, neq; promissi fidem fefellit. Nam Piscarius
 quum hostes, utpote secundo eius diei successu inuita-
 tos ea

tos eadem porta erupturos iudicaret, Alfonso vastium cum delecta ueteranorum manu abdito, & opportuno in sinu, circa ædificia collocauit: ut si hostes erumperent, præciso itinere interclusos in tergo caderet. Nec multò post, Massilienses duce Vincetio Tibaldo Romano iuvene longè promptissimo audacter eruperunt. progressiq; audacius ad munitiones peruerunt. Tum uerò à fronte, & in tergo Hispani consurgunt; Rodoricus antè alios fortissimè pugnat; resistit impigrè Vincentius. sed eo cadente ceteri in fugã uertuntur. Fit magna cædes pro numero pugnantium, nõ nulli tamen erupunt, & ad moenia cursum intendunt; hos quum Rodoricus intemperanter persequeretur, in ipsa porta traiectus concidit. Vastius autem suos protinus recepit, ut tormenta quæ è muro displodebantur, euitaret. Nec multo post, Rentius Vincentij cadauer per præconem ad exequias requisit: pariq; pietate receptus est à Piscario Rodoricus, oculis & toto oris habitu, exoluti promissi non sine letitia ferociam adhuc spirans, quasi honestissima morte totam hesterni flagitij ignominiam egregiè consumpsisset. At Piscarius, ut hostium eruptiones reprimeret, perpetuam munitionem ad mare usq; perduxit: et altiore propugnaculo in quo præsidium posuerat, communiuit. Tum uerò tanta ui murus tormentis quati cæptus, ut duo ante alia tormenta maiora ad irrequietam dislosionem, hebetato metallo frangerentur: quibus disruptis, ea quæ ad Tolonem ceperant, in supplementum sunt perducta. Dum hæc ad Massiliam geruntur, Franciscus ingenti cura anxius, coacta undique pecunia,

ab Heluetijs atq; Germanis auxilia conduxit, equitum octo milia instruxit, partim ex ueteribus equitibus, partim ex euocatis & beneficiarijs, tormenta itens curulia ex arcibus, & totius Gallie armamentarijs educta, subiectis innumerabilibus equorum iugis ad Auemionem conuenire iussit, quò Palicianum cum parte copiarum paulò antè præmiserat. Nemo erat è tota Gallia, qui non libens pecuniã, arma, equos, commeatus, contra Borbonium conferret. Quoniam ad dignitatem Gallie pertinere uidebatur in præclara fide persistere, antiquam inexhaustarum opum & copiarũ opinionem tueri, & Regis iniurias defendere, quæ nõ tam ab hoste, quàm à proditore, & transfuga inferri dicerentur. Iam enim illa uetus inuidia magna ex parte decesserat, qua Franciscus acerbissima pecunie conquisitione cum quotannis bella renouaret, nec sacris etiam parceret, antea flagrauisset. Nam quisq; procerum, & eorum qui sacerdotijs, & opibus ualebant, quò nobilior erat, & ditior, eò præclarius ergè Regem studium ostendebat, ut nihil de Borbonij consilijs sibi communicatum fuisse declararet: quanquam summa clementia Franciscus neminem ex coniu-ratis percussisset, & ante alios Pietauium à sancto Valerio regulum alæ nobiliũ regie custodie præfectũ, ingrati-tudinis atq; perfidie crimine conuictũ, & iam à triuuiris rerũ capitaliũ ad locũ supplicij perductũ, eius filie & liberorũ lachrymis cõdonasset. Tantis copijs Rhodanũ traiectis, Galli Casarianis qui erant ad Aquas Sextias negociũ facere, castella quæ defecissent, recipere

recipere; ex opportunis locis intercipere cōmeatus; studia hominum, si qui rerum nouarū cupidi Borbonio fauebant, restringere; & ijs qui frustra in oppugnatione Massiliae diutius hærerent, supplicia & compedes comminari. At Piscarius, quum muri partē multis ictibus ad satis latum aditum diruisset, repperit introrsus præalto aggere, ad altitudinem septem cubitorum moenia antiquo opere permunita, nouasq; tū ab hoste additas munitiones; ut non peruadere in urbem nisi ingenti saltu, & incredibili cum periculo milites posse uiderentur. Præterea tanta uis tormentorū erat in urbe, ut uix tutum fore putaret cogere in unum milites, & eas acies instruere, quas ad murum esset producturus: multos enim insignes uiros tormenta discerpserant, & in his clari nominis Franciscum Cantelmū Italum, atq; itē Gusmanū & Aloisiū Calecū Hispanos: præterea milites omnis generis sirenuos circiter ducentos; ob quorū interitum, tamesi uiris fortibus nihil erat timendum, respectabant tamē omnes Italiā, & ueterani ante alios, qui aduentante Rege, nisi inde sese nihil ulterius laceßita Fortuna, integri celeriter explicarent, fame & ferro cūctis percundum esse iudicabant. Sed urgebat Borbonius, & uehementer à Piscario postulabat, ut postquā satis muri tormentis esset dirutū, aggredi locū uellet, & uires atq; animos hostium periclitari. Quid enim esse foedius, quā ausos oppugnare, quū demū summo labore murū aperuerint, cūctari ulterius, nec parata uictoriae fructū uelle percipere? Non debere eū, qui primis, & certissimis cōsilijs innētū noluerit, in secundis demū, quæ ipse suscepisset, adeo

caute si dubitare, ut quæ nihil agendū, sed turpi fuga
 consulendum putet, reliqua consilia Cæsaris & Henri
 ci penitus euertat, se quidem eo esse animo ut honestè
 cadere quàm turpiter effugere malit. Tum uerò reli-
 qui Galli exules idem uociferari, ipseq; Ricardus Pa-
 ceus Britannus, & Hadrianus Beurenus Belga quem
 Cæsar miserat, uti rei bellicæ parum gnari, cõtumelio-
 sis propè uocibus petebant, ut pugne signum daretur.
 Erat in magno aestu consilij Piscarius, sed cuncta quæ
 illi loquerentur, summa iudicij patientia perferenda
 existimabat, ne salus exercitus imperitorum aut despe-
 ratorum hominum temeritate proderetur. Dicebat e-
 nim non sine ingenti militū clade in urbem posse per-
 rumpi; quòd si præsidium atq; urbem expugnarent,
 uti inusitato casu potius quàm certa ratione esset spe-
 randum, non ne extemplo aduēturum Regem cum in-
 gentibus copijs, ac hærentes prædæ milites in urbe ca-
 pta protinus obsessurum? Postquam Cæsar & Henri-
 cus secus ac ipsi sperauissent non modò arma non in-
 ferrent ad distinendum Regem Gallum, & eum diuer-
 sis implicandum bellis, sed nec ulla quidem infinibus
 præsidia parauisset: Quòd si uti ualde æquum esset, te-
 mere subeuntes milites cum insigni detrimento pelle-
 rentur, quis demum sauciatis & uictis, atq; ipsa de-
 niq; tota spe deiectis, amissa parte uirium, animus fu-
 turus ad receptum? cum Rex uindictæ auidus tota mo-
 le exercitus incumberet, qui iam Rhodanum transisse
 nutiaretur, proinde omnem spem salutis in celeri rece-
 ptu esse reponendam. Daturum enim se operam, ut
 non modò tuto expeditoq; itinere, sed summa etiam cū
 laude,

laude, postquã uana spe auxiliorum essent decepti, in
 Italiam regrederetur. Quũ Borbonius in sententia per
 seueraret, cui erat parendum, Piscarius ut periculum,
 quod erat ualde manifestum, etiã clarius Gallorũ exu
 lũ oculis repræsenteret, omnes præfectos, & insignes
 centuriones è Germanis ac Hispanis & Italis, itemque
 Gallos qui Borbonij authoritatẽ sequebantur, aduoca
 uit, præsentẽq; Borbonio, si repudiatis inquit, cæteris
 consilijs nobis omnino tentanda est Fortuna expugnã
 da Massiliæ uti Borbonio uidetur, necesse est, ut ali
 quos ex numero uelocium atq; audacium militum ad
 mœnia præmittamus, qui in munitionem per effracti
 muri ruinas euolent, quid parauerint hostes, quæ natu
 ra mœnium sit introrsus, celeriter speculentur, & quã
 impetũ facere nos oporteat certissimè doceant. id quũ
 Borbonius & reliqui omnes probarẽt, propositis præ
 mijs, septem Hispani prodire, qui se alacriter ituros
 profiteretur. Erat id summæ temeritatis, & certi pro
 pè exitij munus; sed exigua erat iactura, quum totius
 exercitus salus paucorum periculo uel interitu redimi
 posse uideretur. Sed Hispani dum incitati sinuoso cur
 su ad murum se proripiunt, & opera hostium despe
 ctant, excitata tormetorum procella protinus obruitur.
 Quatuor interfectis, reliqui foeliciter sed isti ta
 men euadunt; renuntiant Gallos pedites, & equites in
 acie post munitiones consistere, in eum locum tormen
 ta conuertisse; aditum perrupti muri ualidissimis tra
 bibus esse præseptum, cæcasq; ibidem subesse fossas,
 quas sulfureo puluere, & leui materia ad corripiendã
 flammã multo oleo delibuta diligentissimè repleuerint.

tantamq; demum esse eius loci iniquitatem, ut prius
 prima inuadentium acies tormentis, ferro, & flammis
 sit peritura, quam ad manus, hastasq; hostium perue-
 niat. Tum uero Piscarius, uidistis inquit, & audistis
 commilitones, quas nobis Massilienses tam bellè inui-
 tatis epulas appararint: proinde si qui sunt quib. uita
 sit oneri, & obiter apud inferos coenare uelint, sine
 signo, sineq; timpano murum inuadant: qui uero salui
 esse cupiunt, & Cesari fortem operam prestare tue-
 riq; Italiam uolunt, me sequantur. Quo dicto cuncti
 ferme milites mouenda castra, & signa in Italiam re-
 ferenda censent. Borbonius quanquam ultimam eius
 consilij necessitatem agnosceret, uehementi tamen do-
 lore percitus discedit, nec aperto ingenio rerum sua-
 rum desperatione probe dissimulat; sepe gemens, se
 deceptum & proditum queritur. nihil propterea animo
 se demittit: sed qui cunctis antea imperabat, sponte
 Piscario paret. Prospera siquidem Fortuna sicuti mor-
 tales sepe facit insolentes, ita aduersa subactis equita-
 tem moderationemq; restituit. Tanta enim Piscarij cõ-
 silijs & dictis fides inerat, ut nemo uel militum uel mi-
 norum Ducum, eo auspice, & Duce, quicquam in-
 commodi recipi posse existimaret. Diuinus etenim
 semper uates extiterat, quã ea quæ euenerant de Ce-
 saris diligentia, Henriciq; Regis uoluntate, & de La-
 noij fide, constanti omnium opinione cum ab initio
 prædixisse perspiceret. Antè alios autem Piscario ma-
 gnopere fauebant Germanorũ Duces Azornius atq;
 Lodronius. Igitur cū quadraginta dies in oppugnatione
 e frustra cõsumpsissent, circa finem Septembris cū esset
 meridies

meridies castra mouet, tormēta aliquot maiora onerario nauigio imponūtur, atq; eadē uia Nicēā uersus iter intendit: quoniā Vgo Moncata, nauib. impar, Gallicæ classis metu Monœci portu se tenebat. Is erat agminis ordo, ut leuis armaturæ equitatus cum Italicis cohortib. antiret: deinde tormēta ac impedimēta & demū Germani sequerētur: postremi omnium Hispani atq; Itali uti magis expediti atq; agiles in tergo essent. Discedētes Casarianos Auriana triremes obuersis ad litus proris, ac emissis identidē tormētis subsequebantur. Nec Masilienses erūpere ac instare postremis audebant, quāuis ad septem milia externorū militum in præsidio essēt. Ex itinere autem receptæ sunt in castræ copię, quæ ad Aquas Sextias in præsidijs substitissent. Iam Franciscus ad Auenionem peruenerat, & proximi quiq; equites ita sese ad iter effuderant, ut Casariani magis ac magis propter inopiam commeatus atq; hostium aduentantiū propinquitatē properare cogerentur, cū grauiora tormenta festinātes maximè retardarent & rotæ curruum sæpiissimæ frangerētur. Piscarius in agro maximum tormentū, ne eo potiretur hostis, apud sancti Maximini oppidum defodit, eiusq; rotas alijs curribus supposuit. Vbi uerò ad Lucii oppidulum peruenit, Ogulias Gallus cum trecentis leuis armaturæ equitibus nouissimos est adortus. accessit & Sala Vasco cum duabus cohortib. atq; ita lacessendo premēdoq; magnū tumultū in postremò agmine miscebāt, adeo ut Beurenus qui leuis armaturæ equitib. præerat, agrè sustineret, et ab Alfonso Vastio qui nō lōgè aberat, opē postularet. Erat in ea planicie

tumultus terrenus, quem iam cuncta Cæsarianorū agmina transuerāt. Vastius in insidijs duas turmas et cohortes quatuor collocat, monetq; Beurenem, ut se cōsimulatione timoris citra collem recipiat, se porro si intēperantius Galli persequantur, erupturū repente ex insidijs, et impetū in interclusos undiq; facturum. Nec consilio defuit euentus: Ogulius enim et Sala Galloꝝ more alacriter et cupide fugientes persecuti, in insidias inciderunt. Itaq; Vastius præteruectos adoritur; conuertit sese Beurenus consurgentibus undique Hispanis; Galli equites Ogulio duce metu territi magna ex parte profugiūt; Pedites uerò deserti ab equitatu ac in medio circumuenti, capto Sala, ad unū omnes conciduntur. Dum hæc fierent, Memorantius cui Rex persequendi hostis curam attribuerat cum ingenti equitatu in conspectum se dedit, ueluti Ogulio dimicanti auxilio futurus. Is biduo ante Cæsarianos consequi potuerat, atq; eorum agmen perpetua uexatione demorari, si præsentis opera earum alarū quæ Longauiæ Reguli erāt et iam in Sextiësem agrū peruenerāt, uti uoluisset. Sed turmas proprias et sibi notas longius à Cabillono euocare expectareq; maluerat, qua mora opportunè interiecta, Cæsariani expeditius iter nacti, præter patētiora loca nullis affecti incōmodis euaserūt. Erant cū Memoratio clarissimi duces Obegninus, Federicus Bozolus, Clietta, Floranges, quos ubi Borbonius est conspicatus, inferri signa, et retro peditū agmina conuerti iussit: tātus enim ei uiro ad conferendas manus ardor inerat, ut uel temere modò ad manus perueniret, ad multū spatiū esset secuturus: iamq; Gallis modico

modico passu, reflexo agmine abeuntibus, aliquantulum temporis ad inanē spem consequendi esset insumptū, nisi Piscarius seuerissimè reclamasset. Conuersus enim ad Borbonium, quid à nobis inquit, magis hostes deposcunt, & exoptant, quàm ut peditum agmina ab instituto itinere conuertamus? & in ipsos summa stoliditate deferamur? an non ipsi equites omnem peditum nostrorum celeritatem, uel modicis passibus eludent? scilicet ut paululum distinendo, nostrum iter demorètur, & crastina die adductis regijs copijs, quas obliquis itineribus, ut saltus præoccupent, appropinquare audistis, nos demum interclusos & obsessos deleant? aut quod morte ipsa durius foret, exutos armis, ingenti ludibrio sub iugum transmittat? Hæc ubi palam est prolocutus, signo dato, cunctos qui acie exceßerat & contra hostes ire pergebāt, ad agmina reuocauit, tãta festinandi adhibita celeritate, ut tormenta quæ deferre nō poterant, multò subiecto igne conflaret atq; perumperet, & metalli frustra sarcinarijs iumentis imponeret. Quum ad Losarcum esset peruentum, Piscarius sit certior Germanorum manum in uilla subsedisse, neq; coactoribus agminum monentibus, ut cæteros assequerentur, parere uelle, idcirco ad eos regreditur, hortatur ut se celeriter ad iter expediant: at quum illi oscitantes se uix labore ac aestu fatigatos simularent, nec dicto audientes esse uellent, eorum segnitiam seuerè castigandam existimauit: multi enim ad Gallos transire certiore cum præmio & minore cum labore cupiebant; ad quos iam magnus Germanorum numerus confluxerat, itaque ædificijs ignes subiecit, repentèque

multis combustis, reliquis iter capientibus, uel ignauiam eorum uel perfidiam opportunè uindicauit. Eo modò paucis diebus ad Nicæam est peruentum, neq; quisquam Gallorum Casariani agminis terga latecessiuit, à Nicæa Piscarius ut itinera expedirent, comitatus pararent, alpinos tramittes temporarijs operibus sedulò munirent, Mercadum præmisit, & cum eo Villaturellum cum sclopettaris, tantaq; diligentia & patientia militū iter est factū, ut cum omnibus ferè calcei deessent, ex recentibus iumentorum corijs attritos pedes communirent. Interea Franciscus ad Aquas usq; Sextias promotis castris, Casarianos itinera infesta atque aspera incredibili celeritate emetiētes nūnimè persequendos ratus, In italiā magnis itineribus per Coctias & Poeninas alpes transire cōstituit, scilicet ut eos difficultate itinerum per concisos calles, nullo præsertim instante hoste retardatos, præcurrēdo celeritate superare: præoccupataq; Cisalpina Gallia, quæ esset nuda præsijs, fessos demū è Liguria redeūtes Padi trāsitu prohiberet. Ferunt, Franciscū, quū id consiliū sibi & toti Galliaæ fatale susciperet, nequaquā uti consuesset de re præsertim tanta singulos duces consuluisse, sed decreto statim in animum inducto, tantum rogasse, ut expeditioni susceptæ impigrè fauerent, cunctisque industriæ militaris cogitationibus & adiuuentis darent operam, ut propositas difficultates nauiter entendendo superarent) quando pulcherrima omnium uictoria, non multis opibus) non ualida ui armorum, sed una tantum celeritatè peteretur. Edicta profectioe, tantus fuit Gallorum ardor in apparandis ac
expe-

expediendis ad iter rebus omnibus, ut insigni studio incitati Regis cupiditatem adæquarent, primaq; agmina penè prius in Italiam transfirent, quàm quicquam de Regis consilio motuq; uel à magnis principibus omnino sentiretur. Primus omniũ Nicolaus Campanus antistes, qui componendæ controuersie causa ad Reges missus, à Cæsare redibat, in Gallia fuerat retētus, pernici tabellario de Francisci transitu Clementem mouit. Cæterum Piscarius qui eadem de Regis profectio ne petendæq; Italiae consilio fuerat suspicatus, die noctuq; per aspera saxa nihil intermissis itineribus in Albingaunos Ligures peruenit: atq; inde per Finarium & Carnissarium saltum, diuiso exercitu ad aquas Statiellas est peruētum. Inde ipse ut de bello consultaret, mutatis ad celeritatem iumentis, ad Lanoium (is enim ab Asta Alexandriam atq; inde mox Ticinum se receperat) cōtendit. Alonsus uerò Vastius, qui Massiliensi bello peditatus Imperium Cæsaris uoluntate iudicioque ceperat, cum exercitu à Statiellis profectus, tantam peditibus uel perpetuo uiginti trium dierum itinere defessis, maturandi necessitatem imposuit, ut fluminibus uado superatis & sublatis ferè omnibus naturæ desiderijs, quæ uel exiguam quietem requirerent, eodem die superato Pado in spatio quadraginta quinque miliarum ad urbem Ticinum peruenerit, singulari hercle totius exercitus felicitate: ut cum supra duodecim milia sarcinariorum iumentorum traheret nullum omnino militis impedimentum in tam longo infestoque itinere reliquerit. Hic est ille receptus nequaquam fugæ persimilis, supra omnem militarium

operum laudem, maximorum ducum iudicio celebratus, quo uno facinore uti summa admirationis, Piscarium gloriari solitum serunt, quum alioquin de se loquendi parcissimus, quæ laudem adferrent, singulari modestia reticeret: quasi eo tantum gloriæ fructu foret contentus, qui præclare conscientia esset insitus, nec in proprijs, sed alienis in labris feliciter effloret.

LIBER QVINTVS.



FRANCISCVS ab Alpibus Taurinorūq; digressus ad Ticinū amnem tanta celeritate contendit, ut tormenta quæ Sfortiani ex arce Nouariæ detracta nauigijs imposuerant, à Gallis in amne deprehensa raperentur; misitq; caduceatorem antiquorum scialium more cū liliata prætexta, qui Mediolanenses ad ditionē hortaretur, et cum eo Michaelē Salassium Regulum cū ala equitū, itemq; Ludouicum Balbianū cum Insubriū exulum manu, qui urbis portas occuparent. Iam enim Franciscus Sfortia Casarianorum diligentie diffusus, communita arce, relictoq; Mediolano trans Abduam ad Pisleonē se receperat. Hieronymusq; Moronus qui consiliorum omnium erat arbiter ad Populum cōcionatus, sacramēto ciues exoluerat, et ut perquam maturè se dederent Gallo Regi, ne frustra cūctando patriā in di-

in discrimē adducerēt, ueluti desperata defensione sua
 debat. Insuabres enim ad paucos redacti erant, quod nu-
 per uastante urbem atroci pestilentia, per agrū in uil-
 las ex summo uitæ periculo confugissent: nam paucis-
 simis mensibus ad centū milia hominum ea lue absum-
 pta ferebantur. Propterea neq; possessionum fructus,
 uinaq; præsertim non uno in loco, etiam tum penden-
 te uindemia, in urbem conuehi, neq; agricolæ disipa-
 ti ac sibi undiq; timentes ad opus muniendæ urbis cogi
 poterant; & quod maximè intererat, imperandæ exi-
 gendæq; pecuniæ facultatem inopinatus tanti hostis
 aduentus celeritate præripere uidebatur. Erant ob id
 multorum animi metu consternati: sed uigebant tamē
 præclara studia quorundam optimatum pariter ac in-
 firmæ plebis erga Sfortianum nomen, uociferariq; iam
 cœperāt noti ignotiq; homines nō esse desperandum;
 sed Casarianos ad urbis præsidium Ticino protinus
 euocandos, ne Galli saui regnatores urbe reciperen-
 tur, qui toties uicti, & à mœnibus repulsi, tum demū,
 nequaquam ab iniusta ira cunētis, & Gibellinis præ-
 sertim extrema supplicia denunciarent. Itaq; duces qu-
 um Ticini esēt in consilio frequentibus nuncijs Medio-
 lanum accersuntur; ob eamq; rem, ne populi studio &
 tantis optimatiū obtestationibus deesse uideantur, eun-
 dum esse decernunt. Euocat etiam Franciscum Sfortiā
 Piscarius, oratq; uehementer, ut neq; suæ neq; publicæ
 causæ deesse uelit; res fore incolumes demonstrat, si se
 Mediolanensibus ostendet. Sed is quum faciliè obtempe-
 raret & Mediolanū esset profecturus, in itinere didi-
 cit supra Binascum Gallicas turmas ex Casæ Auratæ

uico excurrētes militarem uiam occupasse, quo periculo admonitus substitit, & mox adeo properè nauigio Cremonam est deuectus, ut Casariani Lanoiusq; præsertim non metu, sed occulto nutantis in fide animi consilio secessisse suspicarentur. Caterum relinquitur Ticini præsidio Antonius Leua, uir egregiè fortis & impiger. Is quum Hispanos secū quàm Germanos mallet, & contra Piscarius differeret Hispanorum cohortes per præsidia nequaquam esse diducendas, sed coniunctas in unum inuictæ legionis corp usad incertos belli exitus omnino retinendas, Antonius facile assensit: Germanosq; omnes cum quingentis Hispanis, duabusq; equitum alis Garcia Manrico duce retinuit. Præmittitur Mediolanum cum expedita manu equitum Alarco, qui ciuium animos confirmet. Ipsidemum duo Caroli Lanoius atque Borbonius cum Piscario subsequuntur. Quorum aduentu nunciato Araldi atque tubicines Galli urbe profugiunt. Salassus quoque cum suo atque exulum equicatu ab urbe retro conuertitur. Quibus de causis Franciscus de Salassi atque exulum salute sollicitus, Paliciam quens Heluetijs præfecerat cum uiginti cohortibus, atque item Ioannem Stuardum Albanie Regulum cum tredecim equitibus cataphractis subsidio mittit. Sed ij cum diuersa uia noctu iter facerent ad lucem usque pererrando nec se coniungere, nec maturè Mediolanum petere potuerunt, Albanus tamen ad portā peruenit. At Casariani duces qui singulari ciuium uoluntate fuerant recepti; quum signa tantum tulissent, eaque rari milites tantis fatigati laboribus sequerentur, adesseq;

hostis

hostis cum ingenti exercitu, ad Laudem Pompeiam se recipere statuerunt. Quum Romana porta exirēt, per Ticinensem & Vercellensem deiectis custodibus prima Gallorum agmina in urbem se intulerūt. Tum uerò milites rubra cruce signati cum Gallis qui candida notabantur, media in urbe contendere, deferri per Regionēs, ipsi Mediolanenses suspensi, nihil se cōmouere: porro Cæsariani recipere sese iussi ad Romanam portam uerti, Piscarius omnium postremus in tergo uersari, temerè inuictos Gallos sæpe reprimere; eoq; modo frustra persequentibus Gallis Laudem Pompeiam est peruentum. Ibi Piscarius reliquos milites quos pridie monuerat, ut à Ticino atq; ea militari uia quæ Binascum perducit, Laudem maturè deslecterent, incolumes recepit; quanquā eos Galli à Rosato uico progressi multis iumentis uctere præda onustis exuissent. Mediolano in potestatem redacto, & ciuibus benignè in fidem receptis, Franciscus ad Casinum quinto ab urbe lapide castra ponit; Mediolanensibus per literas magnam spem certè clementiæ atq; humanitatis præbet; duces in consilium aduocat; omnium sententias exquirat, an præstet Ticinum oppugnare quàm Laudem. Disputatur in utranque partem, sed Franciscus ad Ticinum urgente fato defertur, Boniuetti & quorundam opinionem secutus, qui Germanos longæ & inutilis militiæ tædio affectos, oblata pecunia corrumpi facillè posse dictitabant; aut certè si obstinatè persisterent, eos demum grauissimi belli necessitate imposita, uti in summa auxiliorum & rerum omnium desperatione, deditiōnem esse facturos. Quibus Cæsari detractis,

Hispanum leui armaturæ assuetum, suo certo statarij militis robore nudatum iri, proinde eum libenter accepta conditione, Neapolim esse rediturū. Quòd si Laudem oppugnent, non esse dubitandum, quin urbs exigua bis à Francisco Sfortia Bozoloq; munita egregiè atq; fortissimè ab acerrimis ac ingeniosissimis ueteranis defendatur. Sed in eo Boniuettus & ceteri uehementer erant decepti: nam Piscarius Laudem repererat à deo ineptè munitam & commeatu apparatusq; rerum omnium egentem, ut confecto statim ponte pedites noctu Abduam transirent, & Castriotum tantum cum ala equitū in specie presidij, qui motus hostium exploraret, relinquendum arbitretur. Itaq; Franciscus Albanium, omnino hostiū duces & Hispanos præsertim ad Laudem persequendos & tota mole exercitus oppugnandos esse prædicantem, misso Memorantio qui decreta deferret, ad se in castra Mediolano reuocat. At ubi Piscarius didicit, Regem ad Ticinum oppugnandum couolasse, ut pote qui cuncta diuino iudicio longissimè prouidebat, Vicimus, inquit, milites, qui uicti eramus, postquam hostiū præpostero innixus consilio, nos omittit, & Germanos oppugnat; Galli hercle quo maximè ualent, impetum amittent, & in longa atque hyberna obsidione uires hebetabunt, dum cum fortissima & peruicacissima gente nequicquam luctantur. porro è Germania nobis interim noui auxiliares aduentent; nec erit dubitandum, quin si bellum trahatur, illud mox cū sūma spe nobilissima uictoria finiamus, Hæc ab ipso tanquā uero uate dicta sæpius fuisse, ab ijs qui cōsilijs interfuerāt, cū sūma fide didicimus. Nec multo post Lanoio

post Lanoio trans Abduam ad Soncinum cum equitatu cōcedente, Borbonius in Germaniam ut à Ferdinando Cæsaris fratre auxilia peteret, profectus est. Ipse Piscarius Laudi Pompeiæ cum peditatu substitit, intentus in omnes occasiones, quibus Antonio Leuæ obfesso ad esse posset, & Gallo Regi, Tramulioq; item, qui Mediolano præerat, maximè noceret. Posita est urbs Papiæ, ita à Longobardis Regibus tanquam admirabilis appellata, quum Ticinum de nomine profluentis antiquitus uocaretur, in decliui ripa Ticini amnis, qui à meridie mœnia alluit, diductusq; paulò supra urbem, ne tota aquarum mole mœnibus incumbat, & mox haud magno circuitu ad alueum reductus, insulam efficit, hortorum fertilitate pernobilem, hanc urbi coniungit pons lapideus eximij operis perpetua contignatione aduersus omnes cœli iniurias elegantissimè protectus: à Septentrionibus arcem habet insigni structura, & picturæ iucunditate celeberrimam, quæ septa ferarum et regiæ uoluptatis uiridaria latè prospicit, ea in spacio sexdecim miliarium ingentes syluas continent, opacaq; nemora, & campos multis anniculis irriguos ad omnem culturæ uarietatem, & ferarum passionum pulcherrimè distinctos. Ab occidente sunt templa Saluatoris & diui Lanfranchi, inter quæ Franciscus castra posuit. Ad eam uerò partem quæ orientem Solem excipit perpetuus tumulus iuxta septorum murum extenditur, in quo tria eminent templa, sub leuam est uia militaris ad cauæ uallis similitudinem depressa, quæ Laudem perducit. hoc in loco Palicia castrametatus est. In insulam uerò Memorantius traiecit, ut egressus à pōte præ

cideret primo die in eum munitiones ad caput pontis promouentem Antonius Leua repentinus erupit. Sed commissa acriter tumultuaria pugna, & cadente eius signifero dum regrederetur, consilium sumpsit abrupendi pōtis, atq; ita extremo fornice præciso, hinc Antoniani atq; illinc Galli, ad teli coniectū oppositas munitiones extraxerunt, & perpetuis stationibus confirmarunt. Memorantius annē molas frumentarias, quæ erant secundum amnem robustioribus nauigijs impositæ, & tota ulteriore ripa cathenis ferreis alligatæ, directis tormentis perfregit, atq; demersit, turremq; lateritiam in sua ripa in qua Hispani excubabant positam contra naualia cum exitio defensorum expugnauit. quo incommodo accepto, Antonius molas trusatiles uicacim parare, & in nobilissimo Gymnasio sapiētiae studijs dicato pistrina instituire coactus est. Memorantius quoq; paulo infra eam quam diximus turrē extra tormenti iactum alterum Ticino pontem imposuit, ut ad mutuas ferendæ opis opportunitates Palicianus castris iungeretur, sicuti supra urbem aboccasu priore ponte Galli milites ad Regia castra pari commoditate permeabant. At Franciscus ubi cuncta latè prospexit & diligenter explorauit undiq; terrorem Ticinensibus propius aduouendum ratus, producto tormentorum apparatu, & à suis & à Paliciæ castris murum quaterere cœpit. Antonius uti erat ingenio peracri, diligenti, inuictō, militibus non deerat, ut omnibus laboris & patientiæ exemplis ad urbis defensionem accenderentur. neque Antonio deerant Papienses, per se Sfortiano nomini maximè dediti, & priuatis de causis, etiam

sis, etiam Gallis infensi. Vniusq; omnium Matthæi Bec-
 carie excellens studium eminebat. is regnantibus Gal-
 lis, uti Gibellinæ factionis princeps, per aliquot annos
 exul fuerat, ob id publicis priuatisq; opibus non par-
 cebat, hortabatur ciues, ut cætera omnia contemne-
 rent, modò sese & coniuges ac liberos à supplicijs &
 contumelijs tuerentur: quando nulla salus uictis esset
 speranda, & nulla deditis spes salutis relinqueretur
 apud seuisimam gentem, quæ uel data fide suis com-
 militonibus tot prælijs, & casibus in Italia cæsis, uno
 maximè Papiensium sanguine parentare percuperet.
 Quibus de causis non modò quisq; hospites suos Ger-
 manos pecunia egentes, liberaliter alebat, sed alacriter
 in muri defensione atq; opere uersabatur. Ita Antonius
 singulari Papiensium studio usus, Germanis incredibi-
 li perseuerantia, die noctuq; in opere & statione uer-
 santibus tantas introrsus munitiones erexit, ut Galli
 quanquam prostrata ingenti moenium parte, totis co-
 pijs murum inuadere non auderent: sed tentata tan-
 tum propugnaculi expugnatione, quod erat infra Per-
 ticariam portam cum cæde multorū, et in primis Ama-
 bilij Centurionis reiecti pellerentur. A castris uerò Re-
 gijs eodem puncto temporis uehementissimè quassata
 est quadrata turris, cui Mediæ barbæ nomen erat. ea
 utrinque adactis tormētis summa ui ab ima parte quas-
 sata, & ad lineam excisa est. Sed dum corruit, incredi-
 bili casu adeo apte in frōtem prolapsa decubuit, ut quæ
 ingenti ruina patefacto aditu ingressuris Gallis nuda-
 re locum debebat, tanta opportunitate præseperit, ut
 cuncti nouam ac insperatam munitionem nō sine tute

larium numinum præfenti ope repente enatam, & ap-
 positam mirarentur. Ita Franciscus ubi uno atq; altero
 conatu nihil se tormētis proficere posse animaduertit,
 & fortè Longauilla Regulus regij sanguinis adolescēs,
 dum incautè ad uineas uersaretur, minore tormento es-
 set interfectus, aliud magnæ molis & perdifficile confi-
 lium desumpsit, Ticini annis scilicet à mœnibus auer-
 tendi, ut eo supra insule caput, ubi ueluti rostro diffin-
 ditur, in Graualonem deriuato, per siccatum demum
 alueum, promotis tormentis & copijs urbem aggrede-
 retur. Erat enim ab ea parte murus ad ingentem tra-
 ctum per se debilis & simplex uetusti operis, & ob id
 etiam maximè neglectus, quòd urbs ipsa præterfluente
 anne, nullo alio quàm eo loco munitior esse uidebatur
 Sed magna ad opus conducta hominum multitudine,
 quum sublicis & phalāgis in uado defixis, atq; his per-
 petua cratium serie intertextis, nō aduersa sed obliqua
 fronte aquam à Ticino sensim intercipere, & directis
 linteis telis, quas ab imo insutum plūbum distendebat,
 in depressiorem Graualonis alueum deriuare conten-
 derent, annis autumnalibus pluuijs inflatus facilè discie-
 ctis operibus hominum ingenia superauit: Ita ut Libra-
 tores & Aquileges dum mirificæ artis instrumenta pi-
 cturis & modulis ostentando, ingeniosi Regis animum
 oblectant, omnem spem consilij militaris eluserint. Fue-
 re qui existimarent, Franciscum nequaquam operis dif-
 ficultate deterritum, quam magnis hercle opibus, &
 pertinaci consilio planè peruicisset, sed euidenti peri-
 culo adductum ab incepto destitisse, ne Antoniani ubi
 siccatum alueum statim uidissent, totis copijs eruptio-
 ne facta

ne facta ad opprimendas Memorantij copias peruolarent, quibus difficillima ratione nec mature quidē succurri poterat, quum à Regijs & à Palicianis castris singulis tantum in multa distantia pontibus insula peteretur. Interea Clemens pontifex & Veneti cum Frācisco, certo fœdere coniunguntur. siquidem magnopere metuebant, ne ingentis animi Rex tantis innixus opibus, si Ticino potiretur, infesto demum exercitu ueteres iniurias opportunè uindicaret. Ex aduerso etiam in Cæsarem multorum studia refrixerant. cunctatius enim Cæsar quàm oporteret, ad promerendas omnium uoluntates, cum Francisco Sfortia agere uidebatur, quippe qui nondum codicillos tot legationibus efflagitatos ei tradiderat, quibus augustali potestate, adiudicati Mediolanensis imperij iura petebantur. Quamobrem in suspiciosorum animos cæca, nec aliena ab usu rerum opinio, non inanibus coniecturis irrepisse uidebatur, Cæsarem quum undiq; uictor foret, eiecto Sfortia, Cisalpinæ Galliæ principatum protinus arrepturum, ut inde duorum demum Regnorum opibus fretus, totius Italiæ imperio potiretur: Id etiam Itali principes iniquo animo maxime ferebant, quòd Cæsariani Duces post exactos Gallos pace parta, impotenti demum cupiditate, & planè superba insolentiq; audacia inducti, tantulis copijs Galliæ regnum inuadere ausi fuissent, ut exagitationis domi Gallis, atq; his pro salute ad arma excitis, & in Italiam pertractis, constitutæ pacis ocium perturbarent. Non enim eos pro socijs, & fœderatis haberi coliq; debere dictitabant, qui bella ex bellis sererēt, pacem pati non possent, nec ulla conditione quieti esse

uellent: ut prætextu belli, prouinciarum populationibus alerentur. Si externos dominos fatali Insubrum miseria pati necesse foret, præstare Gallos recipi quam Hispanos, quando illi Cisalpinam Galliam uti suam regionem, ac alteram ueluti patriam tueri, & foecundam maximeq; florentem efficere consueuissent, secus ac Hispani, qui tanquam alienam terram, quam essent relicturi, omnibus auaritiæ & crudelitatis exemplis uexarent, atq; diriperent. Postulabat Rex Gallus à Pontifice, Venetoq; Senatu, ut neutri parti adesse uellent: spectatores tantum essent: nec tamen commeatus impedirent, ipsam per se daturum operã ut nullius ope ad superandos hostes indigeret, si illi pariter à nemine ulla in re iuuarentur. quæ conditio sicuti in præsens pulcherrima tanquam specie maxime utilis & tuta Põtifici & Venetis mirè placebat, ita demum diiudicata belli Fortuna, in eo tristi rerum exitu, damnosa & exitialis fuit. Miserat Clemens ad Franciscum, & ad Casarianos duces, Gibertum Veronensem Antistitem, qui summorum consiliorum erat arbiter, atq; item Nicolau Antistitem Campanum, qui ab Hispania Galliaq; redierat; ille Galis impensè fauere, hic Casarianis operam præstare dicebantur, quanquam ambo summæ fidei summæq; uirtutis homines, nullil magis quam Clementis nutus, relictissima uoluntate sequerentur. Existimabat enim Clemens pacem cum utraque parte per idoneos ac amicissimos oratores esse pertractandam, ut ipse tanquam ex æquo arbiter, quæ petebat, mollius atque facilius impetraret. Instabat itaque ut induciæ fierent, interim eas urbes uterque teneret, quas ab initio belli cepisset, aut

set, aut antea possedisset. Id Franciscus Sfortia minimè probabat. Nec etiam de Ticino urbe conuenire poterant, quum Cesariani, qui auxilia propediem expectabant, nihil concedendū arbitrarentur; nec Franciscus suæ dignitatis esse putaret, ab ea urbe discedere, qua se omnino potiturum speraret. Ita abrupta spe cōcordiæ Gibertus Romam redit. Franciscus uerò postquā aperta uis minimè processerat, & inopia tormētarij pulueris pilarumq; maximè laborabat, ad obsidendā urbem conuertitur, ratus Germanos rerum omnium, in dies, crescente penuria, quin honesta accepta conditione domum discederent, nequaquam diutius obsidionem esse toleraturos. neque enim deerant, qui occultè Gallis fauendo Centuriones pecunia corrumpere conarentur. duosq; milites Hispanum alterum, & alterum Germanum, qui perfidiæ scelus de prodenda loci custodia conceperant, deprehensos Antonius Leua supplicio affecerat, & pœna proditorum in frustra discerpserat. Fuere etiam qui dicerent Azornium Regulum Germanorum Ducem prodendæ urbis consiliū animo agitasse, pellectum scilicet magnis muneribus à Rege ut id perficeret. Sed cum ab Antonio fuisse præuentum, qui quum non obscuris indicijs eius rei uestigia deprehendisset, hominem summæ authoritatis ad epulas inuitatū ueneno sustulerit. Azornio certè uel insonti ea Antonij cœna omniū fuit suprema; uerū de ea re, uti falsa uel turpi, Antonius nullam unquam postea laudē quesuit, sed repentinæ mortis causam in uinum liberalius haustum reiecit. Erat Antonius ad magnas rei numariæ difficultates redactus. & quoniam subueniendum

erat egeno militi, postquam ciues firmè omnes, tantis etiam affectos detrimentis pecunia penitus exhausisset ex templis donaria detraxerat: amplioraq; ex usu uictoriæ Dijs pollicitus, ea conflata, monetæ rudis demum nota percusserat: emisisq; crebro nuntijs pecuniam à Piscario uehemētissimè flagitabat. Intronittendæ uerò pecuniæ quum nulla omnino uia, portis ab hostium custodia præseptis, ostenderetur, modū Piscarius inuenit, quo militum animos Antonius uel inclinatos ad deditonem opportunè confirmaret. Transfugerant ad Regem ueterani duo milites Hispani Cisnerius atque Romerius supplicium ueriti, quoniam inimicum notum militem in castris interfecissent. hos Piscarius per idoneos homines perpulit, ut eius homicidij noxam insigni facinore ad certum nauatæ operæ præmium expiarent: credebat transfugis Rex Gallus quos liberaliter susceperat, quum ex captiuis eos perpetrata cæde supplicium effugisse didicisset. ergo illi accepta fide, Piscario operam pollicentur: & ex nocturna excursionẽ ad præstitutum locum à Piscarianis aurum accipiunt, id tunicis insutū occultant: & postridie, quū à Ticinensibus porta egressis cotidiana exercitatione certaretur, ad pugnæ locum procurrunt, sese signo dato Ticinensibus permiscunt, & intra portam cum mutua læticia recipiuntur. Horū beneficio Antonius singulos aureos numos singulis Germanis militibus diuisit. addiditq; per æplis promissis, auxilia breui ex Germania in Italiam peruentura; quibus nūtijs quum falsa ueris abundè permisceret, milites solito alacriores ad ferenda obsidionis incommoda reddebantur. Per eos dies

Piscarius,

Piscarius, quum adesset Gibertus qui de inducijs mandato detulerat, didicit per exploratores Hieronymum Triuultium cum ala Gallica, qui ex Circumabduanis locis rem frumentariam expediret, Meltio in oppido cōsidere: confisumq; loci munitioni, & studio oppidanorum nihil ab hoste uereri, itaq; occasione utendum ratus, ut præsente legato Hispanis militibus, neq; manus, neq; animos obtorpuisse ad præclare audendū ostenderet: urbis portas cōcludi, & intēta custodia ne quis omnino rē efferre possit, obseruari iubet, cōmunicatoq; cū paucis consilio de prima uigilia linteatas cohortes uti noctu consueuerat, educit. brumaliq; nocte confecto quindecim milium itinere, ante auroram ad oppidi fossas peruenit. Vigiles qui in muro erant, quum crebros igniculos ex sclopettariorum funiculis scintillantes à longè cōspicerent, primò rati esse uolātia insecta quæ cicindele uocantur, Hieronymo rem serius significant. Verum ubi continens agmen apparuit, id renunciant, & toto muro ad arma conclamatur. Tum uerò Piscarius ad Vastium cōuersus, postquā aduenimus (inquit) omnino nobis uel resistente hoste in oppidum est euolandum; Superate fossam, & per scalas hastasq; conscendite: ego ab aduersa porta, ne unus quidem effugiat, uias obsidebo. Nec mora, in fossas præalta plenas aqua se demittunt: sclopettarij muri coronam crebris ictibus infestam reddunt, ne defensores in ea consistant. Quum Vastius ipse corpore ingens uix summo pectore ab aquis extaret, confertæ cohortes certatim se demittūt & enatant, pauci scalis, plures fraxineis innixi hastis, & subleuati succedentiū humeris in murum euadunt. cū

uigilibus deiectis in forum esset peruentum, Hierony-
 mus cum paucis è porticu sine galea erūpit. cum eo Va-
 stius uti erat ante primos singulari ceramine congre-
 ditur, adactaq; in frontem lancca, ab equo deturbat. in
 eoq; tumultu serò nomen profitenti dextra manus deci-
 ditur, quibus affectis uulneribus, paulò pòst interijt.
 ceteri equites paucis uulneratiscapiuntur, oppidumq;
 singulari festinatione diripitur. Nec plusquã sesquihor-
 ram Piscarius quietis & moræ militi concedit: atq; ita
 quum à propinquis Gallis, qui erant in præsijs oppi-
 dorum, cauendum putaret, adhibita celeritate Lau-
 dem reuertitur. Ea res tam breui spatio brumalis diei,
 per lutulenta itinera à pedite confecta, Gallos uti in pa-
 ri discrimine per uicina oppida dispersos, ut uigilātius
 agerent admonuit uehementerq; conterruit. At Fran-
 ciscus ubi Cæsarianos duces ab inducijs atq; concordia
 penitus abhorrere, & è Germania legiones expectare
 comperisset, simulq; in dies certior fieret, obsessos non
 modò frumento uinoq; abundare, sed sepe ad omnem
 uel profundæ pacis, ciborum copiam atq; luxuriam e-
 pulari, cum ualida exercitus parte Albanio duce Nea-
 politanum regum inuadere constituit, ratus Hispanos
 ad defendendum Italici imperij caput, ubi plerique eo-
 rum liberos, uxores, domos, prædiaq; haberent, con-
 tinuò relicta Gallia Cisalpina, Neapolim esse reuersu-
 ros. Placebat hoc Pontifici & Venetis, ut eo timore in-
 iecto Cæsarianos ad inducias compellerent. Sed nequa
 quam is erat Italici animus, ut Gallus Neapolitano re-
 gno potiretur, utpote qui opes Italie libramento quo-
 dam exæquare percuperent, summam in uno rege po-
 tentiam

tentiam magnoperè formidantes. Nam sicuti Hispanis
 Mediolanense imperium arripientibus, totius Italiae li-
 bertas omnium iudicio conclamata uidebatur: ita si Gal-
 li nudatum omni praesidio regnum, Andegauensibus re-
 gulis id maximè optantibus, intrarent: nemini dubium
 erat, quin mox, uti paucis ante annis acciderat, immo-
 dica & superba genti foret seruiendum. Itaq; pontifex
 hisdem de pace consilijs incumbens, Albanum, qui cū
 Gallico exercitu per Calphurnianos saltus à Rhegio
 Lepidi in Hetruriam descenderat, Lucensibusq; & Se-
 nensibus pecuniam commicatus, tormentaq; & eorum
 uecturas passim imperarat, Romæ recepit: ita tamen ut
 eius impetum quantis maximè posset in Casarem offi-
 cijs nequaquam offensa Galli regis amicitia retardaret
 scilicet, ut Casariani imminenti periculo adducti ad eas
 quas antea repudiassent, induciarum & pacis condi-
 ciones recurrere cogerentur. Interea Borbonius quem
 in Germaniam profectum diximus, paucis diebus ma-
 gni roboris auxilia coegit. Neq; enim liberae ciuitates,
 quæ Augusto nomini parent, Casari deerant, neq; quis
 quam Regulorum Ferdinando Caesaris fratre in delecti-
 bus habendis ornandisq; militibus alacrior & sumptuo-
 sior erat. à liberis autem foederatisq; populis missus est
 Georgius Franisbergus cum uiginti cohortibus. Ferdi-
 nandi uerò copijs praesuit Marcus Sithius clari nomi-
 nis dux & Italiae praesertim bellis assuetus. Nicolaus
 quoque Salma è Norico excellenti uirtute regulus,
 duorum ferè milium equitum alas adduxit, non robore
 modò uirorū, sed equorum & armorū specie insignes.
 Veneti qui ijs legibus cum Gallo Rege in amicitiam

redierant, ut Cæsari nihil nocerent, Germanis transeuntibus expedita itinera & comœatus abundè præbuerunt atq; ita Borbonius media hyeme, maxima omnium cum letitia Laudè Pompeiam peruenit. Nec segniter à Frâncisco postquam desperatis inducijs rem ad uim spectare prouidebat, maiora in dies præsidia parabantur, partim ex Heluetijs atq; Grisonis, partim ex Sedunis atq; Valesijs, qui ad Graias alpes pertinent: suppleri etiam Italicas cohortes, atq; alas refici iubebat: conduxeratq; item Ludouicum Palaucinum, qui Circumpadanos comœatus interciperet, qui à Francisco Sfortia ad Cæsaria nos mittebantur. Sed eum temerè transgressum annè ad Casale oppidum Sfortiani duce Alexandro Bentiuolo, suis eius copijs uiuum ceperunt. contra uerò bellicis casibus illudente Fortuna par uulnus, & nobilitate ducis aliquanto grauius in Liguria Cæsarianis est inflictum. Gerebant Galli bellum duce Salasio regulo aduersus Genuenses, Sauonamq; ualida classe & firmis præsijs obtinebant. præfecti classium Vgo Moncata & Andreas Auria intenti in omnes occasiones aderat. fortè per exploratores ad Vgonem defertur, Gallicas cohortes in Varagio oppido soluta statione desiderare, id est oppidum citra Sauonam ad mare positum debili cinctum muro, eas cohortes Vgo se facile opprimere posse existimans, ut erat consilio repentinus noctu triremes Hispanicis cohortibus silentio complet, è Genuæ portu de secūda uigilia educit, & ad Varagium adhibita celeritate, oriente Sole, peruenit. Sed dum milites in terram exponuntur, & arduo ascensu oppidum circum-eunt, Varagiani ad arma conclamāt. Interim aduersus
subo-

Suboritur uentus, Trierarchi triremes expediunt, Vgo
 cum cohortibus in littore deseritur. erant in presidio
 Simon Tibaldus Romanus, & Gigantes Corsus eximia
 fortitudinis cohortium praefecti, ij capto repente con-
 silio, haud longa oratione milites cohortati, ad aperta
 porta sub signis erumpunt, nec Caesariani eorum impe-
 tum sustinent, ut pote quibus abrepta in altum classe,
 & erepta spe fugae, animi repente conciderant. Ita Vgo
 inops consilij dum suis dissipatisq; militibus frustra re-
 pugnare contendit, sine uulnere capitur. Superuenere
 etiam Aurianae triremes, quae fortuna terra mariq; feli-
 citer aspirante, Caesarianam classem in fugam dederunt.
 Ea uictoria Fraciscus singulari letitia est affectus, quo-
 niam in spem ueniebat Ligustici belli mature confici-
 di, ut inde mox Salassum cum delectis cohortibus ad se
 Ticinum in castra reuocaret. Germanorum etenim ad-
 uentus fama ingens dispersa per Italiam, de obtinenda
 Vrbe, spes atq; animos Gallis sensim minuebat, quum ex
 aduerso Caesarianis uehementer augetet. Per eos quoq;
 dies Antonius Leua Sedunos, qui ab Occidente in sub-
 urbanis aedificijs nequaquam militari diligentia statione
 habebant, eruptione facta, fuerat adortus: multisq; cae-
 sis & captis, caeteris fugatis, Paulum Syluam eorum du-
 cem inde pepulerat. Quibus de causis Clemes pontifex
 de belli euetu maxime timere cogebatur, existimabatq;
 metum Caesarianis propius admouendum, ut de indu-
 cijs impetraret, quod antea postulasset. Ad ipsius ete-
 nim dignitatem, qui ad aequitatis & pietatis nomen Sa-
 cro sanctae authoritati innitebatur, maxime pertinebat
 ut utriq; ab armis discederent, ipso desceptatore atque

arbitro controuersiam componerent, ut ea arma quibus adeo funeste inter se desceuerent, aduersus Christiani nominis hostes uerterentur. Sed ante omnia pulchrum erat atq; magnificum solo consilio nulla impensa, Italo rum omnium libertati precauisse: ne si bellum Marte iudice uictoria finiretur, qui superior euaderet uictoribus innixus copijs, uictoria & Fortuna utendum arbitraretur ad perdomandos reliquos hostes, subigendamq; Italiam, quæ affecta uiribus, & dissociatis principum animis, haud dubiè in præmium laboris atq; periculi uictoribus cessura uideretur. Sed Clemès alioqui ab inueterata prudètia circumspectus, dum fatali quodam errore inductus neutri parti nocere uelle uult uideri, utrunq; tacito sensu uehementer offendens, sibi ac toti Italiæ graue & plane funestum bellum peperit. Erant pleriq; ex amicorum & familiarium numero qui recta quadam ingenij libertate suadebant, ut Placentiæ iustum exercitum pararet, consilia & uires cum Veneto ad id maximè parato, opportunè cõmiseret, ut qui inermis, dum pacis cõditiones armatis proponit, esset dispectus, uim demũ haberet ad compellendum, si Cæsariani uel rex ipse ab inducijs atq; cõcordia pertinacius atq; insolentius abhorrerent. Quid enim Italo principe, atq; eo præsertim qui summæ pietatis atq; prudentiæ personam sustineret, tutius ac honestius esse poterat quam parato exercitu firmissima uti autoritate: & de nunciato utriq; periculo, in eum qui pacem abnueret, diuinis ac humanis armis deferri: atq; inde præclarissimo factò, in Italia pacem atq; ocium parare? sed fata obstabãt, ne pontifex ea consilia plena securitatis & laudis

laudis protinus expediret, ut ab his mox peccatis ac er-
 roribus nostro merito divina humanaq; omnia perde-
 rentur. bellici namq; sumptus qui exhausto erario im-
 penderent, à conscribendis copijs pontificem maximè
 deterrebant natura tenacem, & pecuniæ nūquam pro-
 fusum, temperantia & cunctatione gaudentem, & ex
 alienis rerum successibus consilia sua expendere solitū.
 Quæ artes sicuti dignæ erant sancto moderatoq; pon-
 tifice, qui peculiari studio ueterū more sacra procura-
 ret, ita ei importunæ ac exitiales esse uidebātur, qui ge-
 nerofo fortiq; consilio ad salutē omniū excubare uellet
 ut Italia ualidissimarum gentium pertinacib. armis ue-
 xata, ab imminente interitu incolumis & libera serua-
 retur. Igitur Clemēs cū pro Cæsare animus esset in offi-
 cio, & Francisci, Gallorumq; item res saluas & flores-
 tes esse cuperet, ut medium se gerere uideretur, Alba-
 nium monuit, ut ex Romano agro per Sabinos in regni
 fines maturaret: scilicet ut eo metu territi Neapolitani
 qui omni militari præsidio nudati erant, ad defenden-
 dam omnium salutem, è castris copiarum partem euo-
 carent. Iam Albanus ad Eretū, exercitu Tiberim pōte
 traducto, sese in Aquilanorū fines insinuare cœperat,
 & Rentiū Ceres ex his oppidis, quæ Gallis fauebāt, co-
 hortēs cōscripserat, totiusq; Vrsinæ factionis clientelas
 ad arma ex Spoletinis agris cōmouebat. Quo timore
 adductus Senatus Neapolitanus ducib. & Carolo Lano-
 io in primis, in castra p̄scripsit, Albanū cū iustu exer-
 citu regni finib. appropinquare: excitari passim in pro-
 uincia Præcutina, Aquilæq; præsertim, uetera Andega-
 uensū studia, defecturos esse populos, ipsaq; Neapolim

hosti cessuram, ni maturè subueniāt, quando omnia ho-
 sti aperta & exposita uideantur. Non esse cur præ-
 postera belli ratione uti uelint, & prius aliena quærere
 quàm propria tueri contendant: quid enim peruersius
 & stultius, quàm procul à domo contra totius Italie
 consensum de alieno imperio dimicare? ut interim ab
 insana animorum obstinatione id regnum quod uerè i-
 psorum sit, & Cesaris proprium, celeriter amittatur?
 falli ipsos, aperteq; decipi, si sperarent post partem de
 de Gallo Rege uictoriam, quæ esset incerta & in lubri-
 ca Fortune manu posita in tempore perditis propè re-
 bus opem ferre: proinde desinerent cunctari, unumq;
 succurrendi, maturandiq; consilium susciperèt, si saluā
 Cesari Neapolim esse uellent. His literis Lanoius ma-
 gnoperè commotus sibi in regnum omnino properan-
 dum esse censebat, cum equitatu præsertim Neapolita-
 no & expeditis Hispanorum Germanorumq; cohorti-
 bus. Erat enim de salute regni, quod eius curæ à Cesare
 peculiari munere fuerat demandatum, magnoperè sol-
 licitus. Porrò Piscarius ueluti iam explorata uictoria
 elatæ grauitatis & diuinæ prudentiæ plenus, hominis
 tanquam importuni, & nimium de belli summa diffidē-
 tis consiliū uehementissimè reprehendere, contestariq;
 res fore perditas, & magnis rationibus in consilio de-
 monstrare, nihil esse periculosius ac alienius à tota bel-
 li ratione, quàm si bipartito exercitu, diuisis uiribus, di-
 midiatq; spe iam conceptæ uictoriæ, duobus simul gra-
 uissimis bellis occurrant. Quod maius inquit, beneficiū
 Rex Gallus à nobis tanquam insanis ducibus poterit
 expectare, quàm ut, dum tu Lanoie Carole decerpto
 omni

omni flore militum, & ueterano equitatu abducto, Albanium media hyeme per totam Italiae longitudinem consecretaris, nos hinc inter ambiguas ueterum sociorum uoluntates equestri praesidio nudati, & quod me plurimum angit, dempto robore hominum cum infirmis ac eneruatis legionibus relinquamur? Vincet hercule ubique Rex Gallus, si semel hinc uicerit, nam eò rem, ut uideo, fortuna deduxit, ut uno mox praelio decernatur, utrum Caesar, an Gallus Italiae leges sit daturus. proinde totis animis ac uiribus in unam conserendam pugnae occasionem incumbendum esse arbitror, ut tot superiores uictorias, quas de hac gente semper tulimus, uno ueluti extremo uirtutis opere edito, confirmemus. Nec dubito postquam non modò numero pares hostibus uidemur, sed disciplina recentique hoc & planè inuictò militum robore superiores sumus, quin audendo & sicuti haectenus semper fecimus, fortiter pugnando, aut de caeso Rege superba spolia, aut quod malim, de eo ui capto nobilem triumphum Caesari referamus. Irrumpat interim, dum nos hinc uincimus, ut lubet Albanus in Aquilanum agrum, & Interamnates ac Pelignos percurrat, quem pontifex suspensò studio tantum abest, ut progredi & regno potiri uelit, ut eum iniectis morae causis passim retentet, scilicet ne spem pacis corrumpat, si à Gallis celeri felicitique successu Neapolis occupetur. Ergo si sapiamus omnium iudicium decretum esse debet, ut hinc castra moueamus, & contra Regem coactis in unum copijs signa proferantur. Ille ad eum locum, aut metu cedit, & cum infamia Ticinum ultro obsidione liberabit, aut certè si obsidere perseveret, iniquissima conditione ancipiti distractus

cura cum duplici hoste summū dignitatis atq; salutis pe-
 riculum subibit. hāc Piscarij sententiā ipse ante omnes
 Borbonius maxime probauit, nec contrā à Lanoio di-
 sputatum est, utpote qui dempta omni sollicitudine, me-
 tuq; depulso ea Piscarij oratione alacrior factus esse uī
 debatur. Harebat tamen Lanoius ac dicebat se de mili-
 tum uoluntate magnoperè dubitare: quoniam rumor
 enatus esset in castris, præfectos cohortium signa ex hy-
 bernis non prius moturos quàm militibus una atq; alte-
 ra stipendia soluerētur. Erat enim apud duces summa
 pecuniæ inopia, quòd eam Sfortia tot incommodis cir-
 cumuentus suppeditare nequiret & milites quum gra-
 tuito Cremonensis et Laudensis agri copijs alerentur,
 si propius hostes accederent, commeatus sibi defutu-
 ros putabant. Quem enim adeo stultum mercatorem
 & calonem erant inuenturi necessaria cibaria deferen-
 tem ad eos milites, qui raptò uiuere magna ex parte es-
 sent assueti, nec alicunde pecuniā expectarent? per eos
 etiam dies acciderat, ut quū Pōtifex, qui Cesari ex ani-
 mo deesse non poterat, pecuniam ad Lanoiū mitteret:
 eam Federici Bozoli equites, re per speculatores cogni-
 ta ad Fidentiolam Placentini agri interciperēt, & iam
 Germani stipendiū quod domo discedētes acceperant,
 consumpsisse dicebantur. equitatus etiā ueteranus adeò
 insigni contumacia sibi debita non mensuum modò sed
 annorum stipendia flagitabat, ut dicto audiens nequa-
 quam futurus esse uideretur. Quibus rerū difficultati-
 bus, quum Piscarius, cum Lanoij tum quorundā toga-
 torum qui consilijs intererant animos uehemēter angi
 perspiceret, Desinite inquit timere, et hoc totum nego-
 cium de

eum de redimenda militum uoluntate mihi uni relin-
 quite. Spero enim, milites uti ueri decoris & laudis au-
 dos decet, qui mihi semper fidelem promptamq; ope-
 ram tot asperis prælijs præstiterunt, hoc bello, in pa-
 randa insigni uictoria neq; mihi, neq; Casari omnino
 defuturos. Atq; ita dimisso consilio ad Hispanos con-
 tendit, eosq; aduocata concione hortatus est, ut eo ani-
 mo esse uellent, quo antea semper fuissent, hoc est, egre-
 gio, ingenti, inuicto. Auditas etenim esse uoces quorum-
 dam lixarū potius quàm militum, qui dicerent, Hispanos
 nisi accepto duplici stipendio, non esse uexilla pro-
 moturos: eam rem fortissimorum hominū nomine indi-
 gnā, ita se uti falsam in consilio diluisse, ut præclare e-
 tiam receperit, cohortes optima spe ad paratam uicto-
 riam anhelantes non modò māsuras in officio, sed cūcta
 uel iniquissima ad nutū militaris imperij, alacri animo
 subituras. hoc se de ipsis facile esse pollicitū, quoniā pla-
 nē sciret, Hispanos nō mercenariorum militum more,
 uti operarios, stipēdia facere, sed pro gloria, pro impe-
 rio, pro triūphis, pro dignitate pugnare solitos. Quid
 enim inanius & importunius quàm à ducibus obera-
 tis & egentibus stipēdia postulare? Quasi arario præ-
 sint, et nō eis multo plura ac ampliora quàm militi Cæ-
 sar debeat? qui tametsi procul absit ab Italia, animos
 suorū tamē intucatur, quibus ex merito, nō multo post
 cumulata gratiā sit relaturus. Postremò quid flagitio-
 sius ac insolētius uideri, quàm cōsternatis fœda opinio-
 ne animis, stipēdia in ipso sperata uictoriæ limine flagi-
 tare? debere ipsos meminisse, qua spe animi, quo corpo-
 ris cultu ab Hispanijs aduenerint. In quā demū, et optū

et honorum, et nominis amplitudinē ante omnia, ino-
 piam fortiter ferēdo, ac impigrē parēdo peruenerint:
 non enim petulātia, alienatione, stultitiāq; esse proue-
 ctos, neq; tātas uictorias corporis uirtute potius quam
 animi patientia fuisse cōsecutos. Proinde secū intēti in
 ipsum illud pristinae uirtutis decus ad capescendam ui-
 ctoriā animos confirmarent: inuidiā enim, quae ex feli-
 ci rerum successu creuerit, omnino esse noua quae sita
 laude superandam. An etiam ipsos ignorare, quod non
 in Italia modò, uerum et in Africa, illaq; penitus ad oc-
 casum reposta India pugnacissimarum gentiū uictores
 euaserint: tantum odiorum undiq; esse contractum, ut
 non plus soli ad salutem libertatēq; teneāt, quam quan-
 tum armati uestigijs calcarent, adeo insensos esse om-
 nium animos? Propterea ut sibi tutum atq; praepingue
 ocliū pararet, extremo conatu adniterētur: fore etenim
 ut superiorum bellorum decora, unius clarissimi pra-
 lii opima uictoria penitus obscurarent: non enim siue
 decus, siue praedam respicerent, omnium Europa Re-
 gum longē opulentissimum cum obscuris aut certē pa-
 rum illustribus ducibus, quos antea deuicerint, esse cō-
 parandum. Quum hunc in modum summa grauitate
 peroraret, alacri inter milites fremitu exorto, à tota
 concione conclamatum est, ne de ipsorum uoluntate
 quicquam dubitaret: sed extemplo quò uellet, signa
 uerteret, se enim continuo secuturos: quando ipso du-
 ce, nihil sibi uel in summa rerum difficultate defutu-
 rum sperarent, agere se demum gratias quòd tale de
 singulis iudicium fecisset: et suscepta causa, uti ducem
 parentemque decuit, uniuersos interposita fide, tur-
 pissimi

pissimi flagitij calumnia liberasset. Tum uerò Piscarius
 Hispanis præclare fauentibus, cohortium præfectos
 cæturiones atq; signiferos ad Germanicas legiones ad-
 duxit, ut surdæ feræq; eorum mētes exemplo uincerentur:
 dictitabant enim Hispani, se æquo animo stipendij
 dilationem esse passuros, ut commilitones Germanos
 qui Ticini essent, perquam maturè teterrima obsidio-
 ne liberarēt, proinde existimare, legiones non pari mo-
 dō alacritate, sed ardentiore etiam studio secum uentu-
 ras, ut consanguineis & fratribus summo periculo im-
 plicitis opem ferant, & concordibus animis pugnan-
 do, pulcherrima uictoria potiantur. Ea comitas Hispano-
 rum cum singulari studio belli gerendi coniuncta
 Georgio imprimis Franispergo mirè placuit: habebat
 enim Ticini filium nomine Gasparem, Azornio mor-
 tuo inter paucos duces non minus sua excellenti uirtute,
 quàm paterna gloria florentem, huius de salute ue-
 hementer sollicitus, alios minores duces & signiferos
 interrogabat, an fide, studio & alacritate pugnandi ab
 Hispanis uinci uellent, qui unam propè querendæ bel-
 licæ laudis causam sequerentur, quum ipsi Germani
 præter decus necessitatis etiam & pudoris stimulis inci-
 tari deberent, ne tot milia fratrum & commilitonum,
 cum infamia Germanicæ gentis, inedia absumerentur?
 illos non esse fallendos, qui in fortibus ipsorum aduen-
 tantium dextris summam spem reposuerint, & in po-
 sterum singulos qui opem afferrent uti salutis & uitæ
 seruatores in cœlū laudibus essent elaturi. Concionan-
 tem Franispergum pleriq; insignes Centuriones uarijs
 & amicitia & sanguinis necessitudinibus cū obseſis

cōiuncti, elata manu ut insigne studiū significaret, alacriter adiuuabant. Piscarius per interpretes ex uictoria, summa præmia pollicēdo, integras legiones accēdebat: Italicæ quoq; cohortes, tametsi ipsis multo plura stipendia debebātur, se Piscarij nutum sequi paratas esse, neq; animi liberalitate à quoquam uinci uelle profitebantur. Itq; contra spem omnium cum summa laude Piscarij non sedatis modò, sed uehemētissimè incensis militum animis ad equites est discursum. Hispanicus equitatus quin fidei & laudi satisfaceret, durior est inuentus. Nā quum cataphractorum equitū segnis et stataria opera superioribus bellis extitisset: iamq; Piscarius antiquæ more militiæ, cūcta aspera per pedites aggredi, et equitum leuis armaturæ opera uti esset solitus, uix senescentis cataphractorū nominis famā in agmine sustinebat: ita ut pedites cum his saepe iocarentur aculeatis uerbis interrogando, num feruæ essent, quod adeo cōpti quietiq; incederent, conspectoq; aliquo strigosiore uel annoso equo illum ab obesis clunibus bellum pullum, & qui nondum molares dentes enūisset cum risu passim laudabant; quæ cōtumeliæ equitibus erant deuorandæ, quum in accensis sclopettariorum funiculis iura belli posita uiderentur. His de causis Piscarius ut eos pertinaci duratos obstinatione ad officium inflecteret, non modò eloquentia, quæ in ipso expedita erat & admirabilis, sed pecunia etiā opus fuit, qua eorum subleuaret inopiā, pudoremq; discuteret, quem tacita & tristi conscientia ab inertiae nomine cōcepissent. Eam autem ab opulentis Centurionibus mutuo sumptam, ipsiusq; priuato nomini promptè concreditam, quanquam erat exigua,

exigua, adeò comiter diuisit, ut equites non paucorum dierum, sed totius anni stipendia recepisse uiderentur. Pacato lustratoq; exercitu castra ad Melemtianum Piscarij iudicio sunt promoti, nam tametsi id iter à proposito diuersum erat, id tamè ea de causa faciendū cen- sebat, ut Tramulio, qui Mediolani in præsidio erat, haud dubius de amittenda urbe metus incuteretur: non enim Galli arcem ab exteriori parte circumuallarāt, uti antea ipse & Prosper ad impedienda auertendāq; externa auxilia, Lotrechij bello, paucis diebus perfecis- sent. ac simul Regem existimabat, de profectioe ipso- rum nuntijs acceptis, uti uarijs implicitum cōiecturis, aliquid de loco, aut de uetere consilio mutaturum: quæ omnia cum ad perturbandos Gallorū animos, minuendāq; regij nominis existimationē, tum maximè ad ob- fessos spe mirifica recreandos pertinebant. His cogni- tis Frācisus à diui Lanfranchi tēplo totaq; ea occiden- tali regione discessit, & ut propior hosti esset, in Pali- ciana castra ita se contulit, ut septa illarū ferarum, & uiridaria tēdentū equitum tabernaculis, lato ambitu, cōplerentur. Permansitq; in uetere proposito, ut si ho- stes Mediolanū rectā contenderent, ipse continuo cum delectis expeditisq; copijs Tramulio opem ferret: Si ad Ticinū uerterentur, eos munitissimis inclusus castris ad uentantes exciperet, ut bellum nihil intermissa obsidio- ne, cum exteriori ac interiori hoste æquissima cōdicio- ne gereretur. At Casariani uti instituerant, à Melemtia- no ad leuam deflectunt, & secundum Lambrum am- nem Ticinum uersus reuertuntur. Erat ad leuam san- cti Angeli oppidum rerum omnium copijs abundans,

& frequēti mercatu celebre, cui præerat Pyrrhus Gonzaga Federici Bozoli frater cum equitibus armatis cititer ducētis, & quatuor peditum uexillis. id Piscarius omnino censuit expugnandum, ne Galli in tergo relictū itinera obsidendo frumentatoribus infesti essent, deterritisq; circumuicinis populis, commeatus intercluderent. At Lanoio Borbonioq; & item Germanis ducibus, magis placebat aduersus Regem rectā proficisci, neq; ullum mora iniecta tempus terere, ne Antoniani diuturna obsidione fatigati animos despōderēt, si tantorum auxiliorum famam in difficili & ob id incerta oppugnatione oppidorū consensescere conspexissent; quando eo capto oppido, & alterum etiam, quod esset in proximo nomine Sanctocolumbanum simili ratione uideretur oppugnandum; præstare raptim proficisci, & subitum terrorem regijs copijs incutere, ut recentissimis uiribus, dū milites essent in officio, obsidionem soluerent, aut commisso prælio, nobili celeritate bellū finirent. Ad hæc quum Piscarius dixisset, quasi ab admirabili iudicio caterorum ingenijs imperaret, duces statim in eius sententiā concesserunt. Nec mora, opportuno in loco castra perquam egregiè muniuntur, ipseq; retro ad sanctum Angelū duobus inde millibus passuum contendit. De prima uigilia uimineæ cauæ proferuntur, ipse situ oppidi diligenter explorato, tormenta constituit contra quadratā turrim, eamq; malbescente statim cælo, à fronte & à lateribus quā muro committitur, quassari iubet. In his rebus administrandis Antonius à Capua uir nobilis & Piscario carus tormento est interfectus: Quum turris multis tormentorum icti

rum ictibus à fronte perrupta, & ad magnum hiatus patefacta conspiceretur, Piscarius extemplo uirgultorum fascibus fossam compleri iubet: cohortatur milites ut secum contempto hoste in murum euadant. Tum uero Hispani, Italiq; certatim emulatione laudis murum aggrediuntur. Repugnatur egregiè à Pyrrhi scloppetarijs, multi uulnerantur, nonnulli cadunt, M. Antonio Capecio in primis nobili ac impigro iuueni Neapolitano, aduersum pectus plumbea glande trajicitur. Quum praelium magis ac magis nouo successu militum augetur, & Piscarius singulos nominatim accenderet, eum Dij immortales propè temerè ab aperto loco subeuntè haud dubiè protexerunt. nam plumbea glans infra costas adacta miraculo quodam interiore in tunica segnis haesit, & altera pila crassior ita caligam deterisit, ut in crure liuorem tantum cum graui nota relinqueret, sed nihil eo periculo territus instauratione pugna, deiectisq; defensoribus, turrim capit. Quae uti erat ui tormentorum extrinsecus ad aperta, eos qui cum Piscario ascenderat, ita interiore pariete incolumi protegebat, ut qui in oppido erant, & iam muro depulsi, in secunda munitione constiterant, è caua turre per fenestellas emissis sclopettis peterentur, nec ipsis ulla tam iniquo quam inopinato casu contra ferendi, uel omnino hostis conspiciendi daretur facultas. Eo modo quum Pyrrhi milites ex occulto frequenti pilarum procella sternebantur, & nemo uel strenuus in munitione consistere auderet, timore concepto, non modò animis sed corporibus fluctuare, & quod erat pauoris signum, respectare itidem coeperunt. Id Piscarius è turre conspiciatus, Casadam

sclopettariorum præfectum singularis audaciæ homi-
 nem perpulit, ut per fenestram in subiectum murū pro-
 filiret, imperio Casada impigrè paret, saltuq; sese eijciē-
 tem ipse Piscarius ausu propè insano omnium primus
 subsequitur. Tum uerò clamore undiq; sublato, cunctis
 enitentibus murus occupatur; tantus fuit accurrentiū,
 & certatim incumbentium impetus, ut parum abfue-
 rit, quin Vastium pondere armorum inter fasces depres-
 sum dum tumultuariè transcendunt, in fossa milites op-
 primerent. At Pyrrhus suis repentino metu territis, &
 foedè locum deserentibus, quum nequicquam increpā-
 do proficeret, in arcem profugit. Interfectis paulò mi-
 nus centum, & cæteris in fugam compulsis, quum ad
 prædam quisq; discurreret, Piscarius ad arcem Vastii
 misit, qui Pyrrhum ad deditiōem hortaretur, ac simul
 denunciaret, si uim experiri uellet, nullum postea ira-
 tis militibus clementiæ locum futurum: si beneficio salu-
 tari haud cunctanter uteretur, omnes ad unum incolum-
 mes abituros: quando nihil sibi uel antiquius, uel iucun-
 dius foret, quàm Italarum sanguini pepercisse, & eos
 liberos seruauisse, qui secum affinitatis necessitudine es-
 sent coniuncti: Soror enim Pyrrhi Colifano Cardonio,
 is qui prælio ad Bicocam cecidit Piscarij auunculo nu-
 pta fuerat: quum Pyrrhus prodeunte loquenteq; Va-
 stio ab arce aliquanto grauius quàm oporteret, respon-
 dendo, aliquot more militiæ dierum inducias postula-
 ret, obstrepentibus ac iridentibus Hispanis, Vastius cū
 amicè monuit, ut opem expectare desineret. Tum uerò
 Pyrrhus eius suasu permotus Piscarij arbitrio deditiō-
 nem fecit. Ita Vastius in arcem receptus, Pyrrho, & Ca-
 ninio

ninio fratris filio spectatae indolis adolescente, atq; itē
 Aemilio Cabriane, & nonnullis equitum & peditum
 praefectis, ne uiolarentur in retractiore cubiculo reclu-
 sis arcem ad aperta porta militi diripiendam dedit. Pyr-
 rhi oculus cum mille aureis repertus Casada in prae-
 mium occupati muri datus est. Ipse Vastius Iberico e-
 quo, cui Caballae nomen erat, & quo postea uti longē
 praestantissimo in praelijs usus est, contentus fuit. Mili-
 tes equis omnibus, qui fuerē circiter septingenti, & ar-
 mis exuti, ea lege sunt dimissi, ne antē confectum id bel-
 lum sub Gallo rege militarent, ipsosq; duces, qui ut li-
 bertatem auro redimerent, iure belli cogi poterāt, per
 humano liberaliq; iudicio missos fecit. Franciscus post-
 quam oppidum ab hoste captum didicit, quum iam ala-
 cri animo de ferenda ope deliberaret, uehementer in
 Pyrrhum est inuectus, quōd ille ad minus triduo, se ho-
 stis impetum omnino laturum esse prolixē recepisset.
 Inde ueteri innixus consilio, totum se contulit ad perfi-
 ciendas munitiones, quae ab ipso septorum muro ad Ti-
 cinum annum pertinebant. Eo ambitu quinq; coenobia
 ut diximus, ita cum latis hortis includebantur, ut Cesa-
 rianis nisi perruptis his munitionibus ad obsessam ur-
 bem peruadendi facultas omnium iudicio praecisa ui-
 deretur: ex his castris intra munitiones exteriores,
 quae ad Orientem uergebant, tribus in locis perfracto
 muro tres aditus in Parcum patebant: septa enim fera-
 rumq; uiuaria uulgarī nomine, quod principis edicto
 parcendum sit feris, Parcum appellant: hos aditus uelu-
 ti ingentes portas ob id rex effici curarat, ut equitatus
 q̄ ferinē omnis in Parco ad laeuā iuxta nemora tēdebat

Et magno circuitu his copijs, quæ ad occidentem citra
 sancti Lanfranchi templum in statione remansissent,
 propter loci propinquitatem præsidio erat, cum legio
 nibus iungeretur. Ita regia castra hinc Parci mœnibus
 illinc Ticino anse inter duas munitiones adeo munita
 erant, ut multitudine tenteriorum et ignium frequen-
 tia ingentis urbis speciem præberent. At Casariani re-
 cepto in castra Piscario, qui non modò celeris ac opi-
 nne uictoriæ gloria, sed quod in Duce rarissimum sem-
 per fuit, muralis etiam coronæ laude conspicuus adue-
 nerat, extemplo castra mouent, et ad Lardiragum op-
 pidū quinto à regijs castris miliari instructa acie pro-
 cedunt; iam enim ab antecursorib. tumultuariè pugna-
 batur: ipseq; ante omnes Gallos Ioānes Medices cū ex-
 peditis turmis, quib. perniciosissimos pedites admiscebat
 audacter prouectus adeo magnū in primo agmine tu-
 multum excitarat, ut plerisq; ea die quin uniuerso præ-
 lio certaretur, explicari acies minime posse cōseretur:
 tormenta quoq; uno tempore à Casarianis sunt dis-
 plo-
 sa, ut obsessi auditis bombis, ipsorum aduentus certissi-
 ma spe complerentur. Interim Germani pugnandum
 esse rati, quum eos Franisbergus et Sitbius hortaren-
 tur, in genua procubuerunt, et truci murmure, quodā
 carmine enuntiato, caua manu, collectum solo pulue-
 rem in terra spargebant, qui mos erat antiquissimus
 eorum, qui se pro principe uictoriæq; deuouerēt, ac in-
 rarēt, se nisi uictores domū non esse redituros. Ceterū
 dirempto equestri prælio, rex suos in castra reduxit:
 Casariani uerò iuxta Parci muros, ad Pratom et Tre-
 librarium uicos ignobiles deflexerūt, adeoq; in intimū
 eius at-

eius angusti agri sinum, promoti sunt castra, ut minus
 sex stadijs Gallorum munitiones inde distaret: et taber-
 nacula certis tormentorū ictibus peterentur, adactaq;
 est ferrea pila ingens in Borbonij pratorium, cū dudū
 benigna sorte dimisso consilio, cæteri ferme omnes Du-
 ces exiuisset. Erat durissimum anni tempus, pluijs, &
 frigore fæda hyems, itinera lutulenta, ager omnis pa-
 bulo exhaustus, arboribus glaber, quum Galli in trium
 amplius mensium obsidione, nec pomiferis quidem ar-
 busculis, & uitibus pepercissent. hæc omnia Cesariani
 fortiter ferebāt, & cuncta extrema æquo animo se late-
 ros, ut Gallorū munitiones perumprent, Antonianis
 quotidie significabant. porro Galli maiore rerū omniū
 commoditate & copia utebantur: utpote qui duobus
 diuersis pontibus Ticinum iunxissent, & late frumen-
 tarentur, magnaq; ex parte sub tectis, & in amplissimis
 templorum porticibus hybernarent. Porro alij cū mili-
 tum industria ex rerū necessitate magis ac magis acue-
 retur, in linteis & contabulatis tabernaculis, focos cū
 uaporarijs tubis ad excludendum fumum, elegantissi-
 me fabricarant. Id enim erat regij animi decretum, ut
 non prius ab obsidione discederet, quàm urbe foret po-
 titus. Propterea additis nouis operibus munitiones au-
 gebat, propugnacula, fossæ, aggeres, castrorum portæ,
 tormentis instruebantur, ut facile posset repugnare, si
 Cesariani ad oppugnandum accederent, quos non diu
 sine stipendio contineri posse sperabat: ac simul Vene-
 tos, ac pontificios proximarum urbium prætores, arbi-
 trabatur in dies angustius, & lentius comœtus Cesa-
 rianis esse præbituros. Interea omnibus ferè horis, &

diuersis in locis certabatur. Antoniani frequenter ex-
 pebāt. Ipse Piscadius incredibili uigiliātia assiduitate in-
 ter diu noctuq; pererrās & circūiens hostium munitio-
 nes, dabat operā ut distinctē cognosceret, quæ forma ag-
 gerū, qui mos uigiliarū, & stationū tenor, quis propius
 custodiae locus Gallo an Italo, Heluetio an Germano mi-
 liti esset attributus. Nihil. n. his quæ milites referret te-
 mere credendū arbitrabatur, cū per se cūcta oculis spe-
 ctare, & propius cōtueri uellet, ne à quoq; imprudenter
 deciperetur, ita accuratē ut propē solus sape in ea loca
 hosti subiecta procederet, ad quæ uel intrepidi gregarij
 milites penetrare recusarēt. Erāt casæ humiles inter bi-
 na caūra paulū extra Gallorū munitiones Parco ita cō-
 iunctæ, ut ab his qui introrsus erāt, per exigua muri fo-
 ramina sclopettis appositis facillē defendi possent. In his
 stationē habebāt duæ Germanorū cohortes, ex earum
 numero quæ à Gallis Nigræ appellātur. has Piscarius
 cū delecta manu sclopettiorū inopinātes adortus ita
 perturbauit, ut aliquot interfectis, pluribus uulneratis
 quāquam acerrimē resistentes, & à legione per muri fo-
 ramina adiutos, inde cum ignominia spectantiū Gallo-
 rum depulerit, in eas tamen haud multò post, Germani
 adiecta noua munitione redierūt, quæ res minutis præ-
 lijs materiam præbebat, cū Germanis uario euentu defē-
 dentib. Hispani audaces importuni omnibus propē ho-
 ris, de eius ædificij possessione dimicarent. Nec multò
 post à noua contentione, paruus ab initio tumultus in-
 pugna ingentē & cruētā exarsit. Cū enim grex pecoris
 paulò extra Gallorum uallū herbido in solo uagaretur
 & Hispani præda inuitati audacius succederent, mul-
 tisq; in hostem sclopettis repentē emissis, pecora raperē

tur, clamore utrinq; sublato, adeo prælium sepe reno-
 uatum, & protractum accurrentibus utrinq; auxilijs
 creuit, ut tumultuosissimè, & acerrimè certaretur. Va-
 stius inclinatis primis auxilium tulit: eò etiam cum dele-
 cta manu Piscarius accurrit: equites turmatim utrin-
 que pediti miscebantur: tormenta reboabant; sed res
 sclopettis maximè gerebatur. erant in parte Gallorum
 ante omnes, Antonij Auriz, & M. Antonij Cusanijs I-
 talicæ cohortes, que neq; armorũ usu, neq; corporum
 agilitate, neq; audacia aut pugnandi perseverantia Hi-
 spanis multum cedebat. accesserant Heluetij, Vascones,
 ipsiq; Galli cataphracli equites, & Medicea levis arma-
 tura. Boniuetus in primam aciem proectus suis ade-
 rat; alij quoq; duces in pugna locum ferebatur; postre-
 mò etiã Rex ipse ut prælio interesset eo cum globo no-
 bilium equitum accurrit. Ex aduerso Lanioius atq; Bor-
 bonius instructis legionib. intenti in equũ locũ proces-
 serant. Nec in tanto armorũ strepitu, tantoq; tumultu
 cõmotis castris, Antonius in muro conqueuit, sed cõti-
 nuò cohortes atq; equites emisit, qui munitiones adori-
 rentur, & occupatos cũ diuersis hostibus timore inie-
 cto quãmaximè distinerent. Sed prælium hunc habuit
 exitũ, ut pari propè illato ac accepto incõmodo utriq;
 suos labore & uulnerib. defatigatos in castra reduceret
 Alfonso Caruial nobilis Hispanus, qui ale præerat,
 interijt. abrepta est & dextra manus Gufmano cohör-
 tis præfecto: & Piscarius aliquot uiros fortes sibi maxi-
 mè fidos amisit. Eo prælio quanquã ambiguo euẽtu cer-
 tatum esse uidebatur, Franciscũ maximè letatũ ferunt,
 quoniã uti fuerat omnũ uirtutis ac ignauiz spectator,
 si nõ planè uictam, egregiè tamẽ repressam Hispanorũ

audaciam pertinaci & iusto certamine conspexisset. At
 Piscarius ubi interdiu minus quàm uolebat hostibus nõ
 ceri posse animaduertit, propter tormentorum omnis
 generis multitudinem, quæ peritè à Gallis tota passim
 munitione fuerant collocata; nec ob id quicquam tutũ
 quod modò conspici posset, medio & communi in spa-
 cio inter bina castra relinquebant; noctuq; adoriri, &
 munitiones tentare constituit. Perduxerant Galli ut di-
 ximus, perpetuum aggerem cum fossa, ad Ticinum usq;
 annum eo successu operis, ut extra infimam munitio-
 nis partem uersus sancti Lazari templum modicæ do-
 mus relinquerentur: in quibus adiecta fossa Cusaniq; co-
 hortis stationem habebant, eas faciliè opprimi posse ar-
 bitrabatur, quòd longius ab ipsa castrorum frequen-
 tia distarent, & à cæteris Heluetijsq; præsertim penè
 abiunctæ uiderètur. Itaq; uti consueuerat in nocturnis
 prælijs, linteas interulas armis superindui iubet. Impe-
 rat quatuor centurionibus, ut dispersi quatuor simul in
 locis Gallorum uigiles laceessant; maximo tumultu cla-
 moreq; edito hostes excitèt; sic ut totis castris ad arma
 conclametur, ut quum ad superiores castrorum partes
 Galli quid nam potissimum defendant, incerti per tene-
 bras suspensis distractisq; animis ferantur, ipse silentio
 cum delectis cohortibus, diuerso in loco hostem proti-
 nus inuadat. His rebus singulari ordine constitutis, cum
 Borbonium atq; Lanoum orasset, ut intenti armatiq;
 in castrorum custodia consistere uellent, adiuncto sibi
 Vastio cohortes educit. & quum centuriones quos an-
 tea emiserat, suũ munus strenuè implere, exaudito cla-
 more perspiceret, Cusanianos adoritur. tantus undiq;
 circum-

circumfusorum Hispanorum impetus fuit, atque adeo
 continens scelopetorum procella, ut quum aliquandiu
 impigre repugnassent, nec alicunde, qui opem ferret,
 opportunè superuenirent, frustra imploratis, & mox
 desperatis auxilijs, expugnata domo, casti fugatiq; sint.
 quum trepidi in propinqua castra perfugerent, Pesca-
 rius intra munitiones perripit, tanta hostiū perturba-
 tione, ut quū undiq; scæda fuga pellerentur, capto tor-
 mentorum præfecto, cui Caderosio cognomen fuit, ip-
 sa tormenta occuparet. ea neq; auehi, neq; ferreis cla-
 uis de more configi potuerunt: quoniam ex insperato
 uictoriæ successu omnibus rebus ad id necessarijs im-
 paratus aduenerat, utpote qui expugnata ea domo
 profligatisq; cohortibus decreuisset speculari tantum,
 & propius considerare hostium munimenta, ut am-
 pliore manu ac apparatu ea demum adoriretur, nec se
 in castra adeo faciliè penetrare posse credidisset. Ve-
 rùm appropinquante Heluetia legione, & Gallis ac-
 cursu ducum undiq; sese conglobantibus, receptui ceci-
 nit, adeo letus & alacer, ut summam ex eo casu uicto-
 riam præfagiret: quando ab aridente Fortuna, supra
 spem bellica ratione conceptam, strenuè audenti au-
 ctiora, & cumulatora omnia redderentur. Nemini e-
 nim erat dubium, quin ea nocte oblata esset occasio de
 bellandi Regis, & tota Gallica castra faciliè delendi, si
 paucis & iam planè uictoribus, equitatus omnis ac in-
 structæ legiones accessissent. Ea nox incerti metus, pe-
 riculi ingentis, & cœci tumultus plena, Gallorum ani-
 mos uehementer perculit. Nam Antoniani exaudito
 prælij tumultu pariter eruperāt, & longè ad incertos

ictus, ut terrorem auerent è turribus maiores colubrinas emiserant. Corpora quoq; Heluetiorũ & Gallorum hyemali frigore, & longa illuue sic affecta erant, ut quum uigilijs & crebris nocturnis prælijs sæpe frustra captis armis fatigaretur, iam denuum irrequieto labori minimè sufficerent, ac nihil magis optarent, quàm expedito prælio bellum finire: ut alterutro euentu, corpora atq; animos à tot malis ac erumnis celerimè liberarent. Vna enim hac uia Piscarius, tum maximè, & sæpè aliàs, Gallorum uim ac Heluetiorũ impetum, quum alacritate recentiq; robore ualerent, prudenter cuitarat: ut mox per partes carpendo & sensim atterendo quæ uehementi conatu uinci non poterant, assidua & pertinaci concussione frangerentur. Accessit & aliud Gallis incommodum: tres cohortes Ioannis Medicis, quum Rex à Sancto Lanfranco, ut diximus, copias in Paliciana castra reduxisset, ad occidentem, ubi uilla erat, remanserant, ut ijs frumentatoribus qui à superiore Ticini ponte, & à Mediolano in castra ueniret, præsidio essent: ac simul ex opportuno loco, Antonianorum egressus obseruarent: & significatione facta, oppositisq; interim uiribus, quantum possent, eruptiones cohiberent. Eas Antonius quod ueluti desertæ ab alijs & ab equitatu multò spacio disiunctæ erant, adoriri constituit, duobusq; eductis maioribus tormentis, cum ualida manu imparatas & diuersi itineris simulatione deceptas, ita oppugnauit, ut quæquæ fortiter resistentes prius deleuerit, quàm Galli in propinquiore Parci loco tendentes, ad alienæ præsertim gentis periculum in ferenda ope admodum segnes, se commo-

commouerent, nec quid nam is tumultus esset, nisi à di-
 labētibus & saucijs omnino cognoscerēt. Adiuuit An-
 tonij uictoriam absentia ducis Medicis qui tum fortē
 longius à castris, cū alis suis ad diuersos hostes excur-
 rerat. Is ubi redijt ira & dolore cōcitatus omnibus cō-
 tumelijs Gallorum equitum (hi erant ex Alanconia-
 nis turmis) ignauiam proscidit, quòd uti fuissent polli-
 citi, nihil omnino opis in tanta propinquitate, deser-
 tis & circumuentis cohortibus attulissent. Fuerat e-
 nim ab initio locum detestatus, ita ut nisi Rex, & Alan-
 conius loco proximus de ferenda ope egregie recepif-
 sent, eas inde utiq; extra periculum omnino esset dedis-
 sturus. Cæterum iurauit non prius animo conquietu-
 rum, quàm casis cohortibus suis, Germanorum & Hi-
 spanorum sanguine parētaret. Nec multò post quum
 uir ille uehementi acutoq; ingenio & in extra ordina-
 rijs prælijs maximè exercitato, quando nemo eo me-
 lius hostem allicere, improuiso adoriri, insidias tende-
 re, frustrari, loco cedere, opportuneq; pugnare didi-
 cisset, Antonianos elicit, simulataq; fuga ad locū, ubi
 pedites equitesq; condiderat, sensim pertraxit. Tum
 uerò conuersa turma, terribilis & ferox instando, cæ-
 dendoq; adeo effuse est persecutus, ut multis interse-
 ctis, cæteros pauidos intra portam compelleret. Sed
 dum præclare, quāquam nō pari reddita clade cohor-
 tes ultus, in castra reuertitur, ei in itinere Boniuettus
 fit obuius, aestuantē & hostili cruore oblitum, quod nā
 forti feliciq; dextra facinus ediderit, percūctatur: nar-
 rantē cūcta ordine, orat, ut redire & prælij locū osten-
 dere uelit: nec grauatē Medices Boniuetto obtēperat.

eo modo dum recentis cædis cadauera contemplantur
 & enumerāt, ab occulta humili casa plumbea glande
 dextro in crure grauiſſimè uulneratur. Delatum in ca-
 ſtra, & uix impotenti animo ſuſtinentem, quod uulne-
 re impeditus à toto militari opere ſubtraheretur, Fran-
 ciſcus uti erat comitate ſingulari ſæpius inuiſit, ac hor-
 tatus eſt, ne ſeſe intemperanter affluctaret; ſed ad pla-
 gam rectè atq; celeriter obducendam poſtquam adeo
 fortis eſſet animum importuna ac inutili moleſtia libe-
 rare uellet, ut magnitudinis animi famā, patientiæ lau-
 de cumularet. Nec multò poſt ut commodius couale-
 ſceret à Piſcario impetrauit, ut Placētiam ſecundo Pa-
 do deueheretur. Id uulnus temere ſuſceptū haud dubiè
 longè omniū acerrimo & uigilatiffimo propugnato
 re Gallica caſtra nudauit. nemo enim adeo ignauus
 uel imbellis erat, qui eius ſigna non libenter ſequere-
 tur, & cum eo in acie conſpici non cuperet: quando il-
 linc certiſſima uel aduerſo etiam euentu ueræ uirtutis
 gloria peteretur. Vir enim ille conſtantis animi & in-
 deſeſi uigoris, ſe Tirones milites non multis annorum
 ſtipendijs uti cæteri duces ſolerēt, ſed paucis tumultua-
 rijs prælijs decora ac utili diſciplina ueteranos effice-
 re prædicabat. Hiſdem etiā diebus, quaſi à Fortuna ſu-
 pra æquum Gallis infeſta, in unū diem cuncta incōmo-
 da conferrentur, Griſonorum cohortes domeſtico re-
 uocata bello, domum ſublatis repente uexillis abire
 cœperunt. Ioannes Iacobus enim Mediceus Inſuber,
 qui ſibi poſtea Lario in lacu ui ac armis latum impe-
 rium parauit, iubente Franciſco Sfortia efflagitanteq;
 Piſcario improuiſum bellum Rhætis intulerat, occu-
 pataq;

pataq; Clauenna oppido, & arce in potestatem redacta, proximos Rhetorum populos qui ad Curiam claustraq; Alpium pertinent terrore compleuerat. Quo periculo per Magistratus ciuibus in castra nunciato, cohortes ullis obtestationibus, uel oblato duplici stipendio retineri nequiuerunt: & quod incommodum auxit, nonnulla etiam Heluetiorum signa ex his qui Grisonis erant foederati abeuntes sunt subsequuta, quanquam Lescutus contra obniteretur, & Techanum gentis ducem in profectiois studio obstinate perseuerantem, uti omnibus auaritia atq; perfidia notis infamem, superbo ore palam ad singulare certamen prouocaret. Sed ille corruptus pecunia, ut postea compertum est, quasi neque corpore neque animo uastus, & insolenter ferus esset tanquam publicae ciuium causae deseruiret; nec regias peces, nec Lescuti contumelias, astutis & barbaris auribus admisit.

LIBER SEXTVS.



IRANSIREANT iam plures dies quum castra castris, quod nunquam atate nostra contigerat, adeo propinqua fronte contulerant, ut mirum esset quod milites tam diu uel perpetui laboris uel durissimae hyemis incommoda perferrent, continuisque uigilijs & praелиjs corpora exercerent, nec tamen (quod

esset inusitatum) quū omnia undiq; tormentis quaterē
 tur, nihil inclinante fortuna, uniuerso praelio certare-
 retur. Sed spes præmiorum & laudis præclara animo
 rū excitatrix utrinq; in æquo posita, & dedecoris me-
 tus, qui uel ignauis acerrimus est stimulus, quasi nō ui-
 sed tolerantia uincendum foret paribus uiribus certan-
 tes mirificè sustentabāt. Quippè Rex Gallus animo ex-
 celsus suæ dignitatis esse iudicabat, omnia potius aspe-
 ra perpeti, quàm nō egregiæ constantiæ famam tueri,
 quæ aliena à Gallorum ingenijs esse uideretur: utpote
 qui sicuti feruido uigore potius & celeri impetu quàm
 longa perseuerātia, superiorū tēporū uictorias essent
 consecuti, ita demū diuturna Casarianorū Ducū cun-
 ctatione fatigati, fractiq; longioris militiæ tedio, uete-
 ris gloriæ nomen amisissent. Sciebat etiam obsessos cū
 omniū propè rerum, tum uini præsertim, quo Germa-
 norū corpora more gentis erecta & alacria teneren-
 tur, incredibili penuria laborare. Eos uerò qui è Ger-
 mania nuper aduenissent, itemq; Hispanos, ac Italos
 nō diu sine stipendijs posse cōtineri: quando iam pro-
 pè mensis esset exactus, quo sine pecunia se militatu-
 ros exorāte Piscario promississent. Postremò tantis ag-
 geribus tātisq; præsijs undiq; munitis castris nequa-
 quā eos usq; adeo timendos putabat, ut ab incepto cū
 ignominia discederet, quando ij qui tanto impetu tan-
 taq; iactātia elatis animis ad oppugnanda castra suc-
 cessissent, per uiginti dies irritō conatu, non modò cō-
 meatus atq; stipendia, sed illam etiā terribilem ferociæ
 famam ignobili mora consumpsisse uiderentur. Nibi-
 lo secius tamen haud ignarus quantum sibi uirium de-
 cessis-

cessisset, enixè dabat operam, ut copias nouis accitis supplementis, magis ac magis augetet. Ante omnia cum Genuensib. inducias pepigit, ut à Sauona per Salassum Regulum, quatuor milia peditum Italici generis in castra protinus adducerentur: sed has copias Burmiam amnem in agro Statiellensi transeuntes Gaspar Maynus Insuber cum Sfortianis cohortibus improviso adortus, ita profligauit, ut duces captiuos & cuncta ferè uexilla Alexandriam retulerit. Hac itaq; Sauonè fium auxiliorum spe deiectus Tramulium ad se Mediolano accersuit, cum ala equitum & multò maxima earum cohortium parte quæ in arce Sfortianos aliquot iā menses obsidebant. Imperauit etiā Memoratio quæ in Insula tertijs castris præesse diximus, ut castra contraheret, ibiq; Claramontio Regulo in custodia relicto, lectissimum quemq; equitum & peditum in maiora castra ponte traduceret. Summaq; totius Regij consilij hæc erat, ut partem equitatus ad Sanctum Columbanum emitteret, quo uolitante, & tergis hostium inherente, frumentandi & liberè pabulandi facultas eriperetur, ipse interim munitionibus se teneret, obsideretq; iugiter, & quonam euentu Albanus Neapolitanum Regnum ingrederetur, quidue Pontifex Venetique pararent, intentus & crectus expectaret. Non de erant tamen uiri longo usu militiæ insignes, qui ea consilia summi plena periculi, libera uoce non probarèt, fatalisq; sententiæ decretum ex Regio animo conuellerent: Et ante alios Tramulius, Galeacius Sanseuerinus, Palicia, & Theodorus Triuultius. dicebant enim decora pariter atque dedecora militiæ nulla alia

estimatione quam summa uictoria diffiniri, ad quam prudens & grauis Imperator cogitationes omnes reuocaret. Quid enim stultius foediúsq; uideri rei bellicae peritis, quam nulla necessitate imposita Regiũ caput in id discrimen deuocare, in quo Gallia omnis dignitatis pariter ac salutis periculum subiret? Postremò quid esset alienius à ratione, quam minore cum numero militum, minoreq; uictoriae premio, cum pugnacissimis & desperatis hostibus, ancipiti pugna dimicare? summam enim hostium spem in festinatione celeritateque uersari, ut priusquam ab omnium rerũ difficultatibus superentur, dum magnis atq; recentibus uiribus ualent, æquiore conditione confligant. An nõ acutissimi hostes, Palicia inquit, maximè perspiciunt nostras copias spacio moraq; ualescere: contra, suas uehementer attenuari, consilia porrò senescere ac in incertũ uerti, quũ propediẽ stipendia, cõmeatus, hominum studia illis penitus sint defutura? omnia profectò si sapimus nobis secunda, illis aduersa mature euenient: explicemus modò nos ex hac indagine, & ab Binascũ amplissima castra faciamus, ut euitato praelio, ad non dubiã uictoriam, harum serarum rabiem atq; impetũ, tota cunctatione frustremur. Germani enim nisi fallor, Ticino exeutes uti sũt fame enecti, & rerũ omnium inopes, quã primũ merita stipendia ab egentibus ducibus postulabunt, nec iam amplius dicendi arte & perãplis pollicitationibus sed presenti multoq; auro opus erit ad pacandos militũ animos, quos supra innatã ferocia, nauata fortiter opera, haud iniquo iure etiã insolentes effecerit, atq; ita fraudati delusiq; aut seditionẽ aliquam

misc

miscebunt, aut domū constantiæ gloria contenti protinus reuertentur; adeo ut nō desperem ceteros uti iam consanguineis obsidione liberatis, postquā nulla præsens pecunia numeretur, in Germaniā esse redituros. Nobis interea & amici principes apertiore studio, & proxima item Gallia cuncta quæ bellum requiret cōmodè ac abundè suppeditabunt. Vicisti profectò si animum inani perseuerantiæ laude inductum noua & salubri ratione peruinces. Non enim sani & probi Imperatoris esse uidetur à peruicacia, quæ dedecus & certam penè pestem asferre possit, falso quodam, uel adumbrato constantiæ nomine gloriam quæsiuisse. Erant uera hæc, & Palicie dictis tãto maior authoritas inerat, quanto ipse cæteris ducibus pugnacior atq; feruidior habebatur. Apparebat enim eum non ambigua & leui, sed certissima ratione adductum à uetere consuetudine, naturæq; iudicio discessisse, quum efficacis & strenui potius quàm cunctatoris & cauti ducis nomen antea meruisset. In hanc quoq; sententiã quæ ex ore Clementis mitti uidebatur Albertus Pius Regis legatus ab Vrbe perscribebat; seduloq; monebat ut retro ad Binascum motis castris uniuersæ pugnæ casum deuitaret; quod recentisq; ferique Germani hostis impetus nequaquam ui, sed opportuna cunctatione frangendus esse uideretur. Hæc quoq; Renato Sabaudio Regis auunculo magnopere placebant, utpote qui de Regis salute sollicitus, omnem prælij aleam damnaret. Verum unus ante omnes Boniuettus qui sibi à solerti ingenio, multaq; arte & uigilantia apud Regē firmissimū gratiæ locum pararat, modestè palam, ceterum

retractiore colloquio eos uehementer incessabat, qui suaderent ab obsidione discedendum. Num inquit ad hanc dedecoris ac infamiae notam tanti animi Rex exi-
 mijs discipline praeceptis ac experimentis instructus, Tramulio exactae etatis seni aut Galeacio parebit, qui-
 bus septuaginta anni omnem expediti uigoris sensum hebetarint? An in Palicia ille pernobilis pugnandi ar-
 dor, quo maxime nuper ualebat, ingrauescente etate penitus non refrixit? Ita est profectò, ut mihi hodie uideatur ineptus, quum id quod in ipso nunquam prae-
 clarè uiguerit, more senum, consilium afferat: nec qua hodie nos indigemus, fortis dextrae operam praestet,
 qua uti consuevit, & inter multos fortes eminere facile possit. De Theodoro autem equum est, ut etatis ac ingenij sui nutum sequatur, quum remota quaeq; ne incidant, anxie suspectando & consultando, cautè sese & Regium exercitum seruare, quàm agendo fortiter, & belli casus ad non certum euentum subeundo, uel exploratam uictoriam petere malit. Quid ergo impedit cur non opponam his tepidis senibus sexcentos alios uirtute animi & rebus gestis imperatoriam laudem saepe meritos? quorum generosa pectora nullus unquam metus intrauit; Gallorum enim mos est praeclarè uincere quum Rex ipsorum adsit, praelij signum proponat, cohortetur, depugnet, uti Carolo duce ad Tarrum, Ludouico ad Abdum, & te ipso tanta tua cum laude ad Mediolanum fortiter atq; feliciter dimicare didicimus. Profectò non ij sumus, qui semper sumus; hoc est fortes & decoris auidi, si timendum arbitremur, ne hi praeealti aggeres quibus includimur, &
 hec

hæc uallata castra noctu tanquã à furibus atq; latroni-
 bus expugnentur. Sed per Deos non hæc inanis & sæ-
 da consternatio paucorũ exanguium ignominie loco
 cedit. Heluctijs legionibus & Germanis, qui nobiscũ
 militant, & ueteranis equitibus, qui quum uel æquo
 campo has temporarias & ex subitarijs delectibus, an-
 gusta mercede conductas hostium copias omnino despi-
 ciant, etiã in Regie personæ felici nomine, quũ uel de-
 posita maiestate ante alios sis pugnaturus, certissimæ
 uictorie momentũ reponunt. At Franciscus quãquam
 acri suspensus cura, suorum Ducum dicta, ex æquo di-
 ligenter expenderet, ea tamen inclinante Fortuna con-
 silia sequebatur, quæ magis decora, & celsissimo ani-
 mo digna uidebantur. Is uerò apud Cesarianos ani-
 morum erat habitus, ut quisq; non modò dux sed gre-
 garius miles existimaret uictoriam omnino esse in ma-
 nibus, si priusquam inde se Rex hostis explicaret, non
 iniqua ratione prælio certaretur: in quam unam pu-
 gnæ occasionem inter alios Piscarius usque adeo uehe-
 menter erat intentus, ut incredibili patientia cupidi-
 tateq; dum interdiu noctuq; cuncta speculatur, cum
 graui ualitudinis incommodo, cibi somniq; desideria
 nature detraxisse diceretur. Quum uerò regie muni-
 tiones nisi dubio euentu & certa militum iactura ex-
 pugnari minimè posse constaret, intra Parcum effra-
 cto muro penetrare constituit, ut modico flexu ad Mi-
 rabellum perueniret: id est ædificiũ medio ferè in Par-
 co summe amœnitatis aucupijs & uenationib. opportu-
 nũ. Eo in loco Frãnciscus digressus à priorib. castris (uti
 diximus) equites collocat magnamq; ibi turbã mer-

catorum & togatorum hominum reliquerat. Duabus enim de causis Piscarius in eum maximè locum cogitatione ferebatur: quoniã si nihil prohibente hoste Mirabello potiretur, quod erat primum ea expeditione propositum, summa sua cum laude & Gallorum infamia, Antonium obsidione liberari, hostesq; simul Mediolano penitus intercludi manifestè conspiciebat: quòd si Rex id iter prohibere uellet, & pugnandi causa munitione castrorum signa effere minimè dubitaret, tum uerò opportunè conferendis manibus facultatem præberi, quam tantopere ardentibus animis desideraret, & optare quærereq; necesse esset, postquam stipendia deficerent, & iam ueterum sociorum uoluntates ad Gallum haud dubiè uerterentur. Hæc omnia uti erant solerti ingenio excogitata Piscarius ad Duces detulit, tanta ui & alacritate singula describendo, ut non explorata, sed parta uictoria letari uideretur: ipsi uerò Lanioius atq; Borbonius auctiore concepta fiducia se uicisse iam crederent. Siquidem grauissimis argumentis atq; proloquijs cuncta comprobanti, tãta fides, tãtaq; authoritas penè ad immensum crescebat, ut obtrectatione ac inuidia, quæ uiuidæ uirtuti semper offecit, penitus uacaret: adeo ut Duces ultro ei præclara concessione ad rem gerendam militaris imperij iura tribuerent: quod ei propè gloriosius fuit quàm postea uicisse, utpote qui hostibus sæpe alias domitis, id unum ei operum reliquũ omnino supererat, ut inuidiam innusitata gloria superaret: & hercle mirũ esse uidebatur, quòd Lanioius qui uel ambitiose honoris ac Imperij appetens esset, & Borbonius penes

quem

quem summa uigebat ballicarum rerū potestas, cum sibi ipsis uti bello meliorē non tacito modò, sed liberali apertoq; iudicio prætulissent. Erat enim tum Piscarius potestatis ac honoris uacuus, quando iam Massiliensi bello peditatus curā Vastio patrueli reliquisset. Sed ita peculiari munere erat solutus, ut cūcta propè unus administraret, incredibiliq; corporis atq; animi labore suscepto, cū pediti & equiti, tum comitatibus & tormentis semper adesset, & perpetua inspectione, ne quid properè aut negligenter uel imperitè fieret, adhibendam iugem operam arbitraretur. Dicebat enim strenuū & cautum Imperatorem non alienis sed proprijs oculis uti debere, eumq; sæpius bello uictorem euadere, qui suorum diligentia diffusus, uel quæ exigua & minuta uiderentur, præsentī manu tractare minime recusaret. Hæc tanta etiam officia, quanquam summa erant, facillè tamen implebat: nam excellenti memoria diuinoq; iudicio fretus, milites, Hispanosq; præsertim, non modò de nomine facieq; nouerat, sed quantum quisq; ingenio industriaq; ualeret, connotatis etiam animi uitijs luculenter explorarat: ita per idoneos homines officijs raptim atq; celeriter distributis, cogitata ab se imperataq; cuncti facillè exequabantur, nec semel inchoatis deerat exitus, quum ipse præsentī remedio cunctis uel inopinatis rebus occurreret: ac eo etiã faciliore industria, quoniam in omnibus propè suscipiendis consilijs & gerendis rebus diuersorum speculatorū, quos occulta largitione apud hostes alebat, diligenti opera fruebatur. Affirmabat enim nusquā à sano duce utilius & melius poni sumptum, quam quo

certi speculatores pace & bello pararetur. Igitur decreto ab omnibus minoribus ducibus comprobato & suscepto negotio, Piscarius Arrium equitum praefectum propositis praemijs ad Antonium Leuam mittit, ut doceat tum ab urbe protinus crumpendum, quam duobus ingentium tormentorum sclopis editis, statuto tempore moneretur. Nec Arrio Fortuna defuit: nam concubia nocte profectus magno circuitu ad auersam urbis portam incolumis cum turma peruenit, Gallis qui in statione erant felici mendacio deceptis: tesseram namque petentibus, se ex Mediceis alis esse simulans, uti erat etiam habitum candida cruce mentitus, excusauit, se ideo signum more militiae accipere nequiuisset, quod in excursione per biduum a Regijs castris absuisset. Postquam Arrium prosperè peruenisse ex ignibus summa in turre excitatis, didicit, Salsedo dat negotium perumpendi muri, ei que trabes more ueterum arietum ualido praefixas ferro, atque item uectes & dolabras attribuit. Aloisio autem Viacapo, ac item Herrerae & Gaiosio imperat, ut distinctis in locis contra hostium munitiones cum singulis cohortibus consistant, tota nocte armis ac tympanis perstrepan, terrendoq; & lacessendo, hostes quam maxime distineant. Caterum quum se intra Parcum penetrasse per nuncios acceperint, sublatis repente uexillis reliquas copias consequantur. Non longè etiam a muro Parcì Honofrium Montanum in edito aggere contra Nigram Germanorum legionem excubare iubet: atque ita sese commouere, ut totis castris instrui cohortes superiorum notitium consuetudine uideantur. Impedimenta quoque
totius

totius exercitus cum praesidio alæleuis armaturæ equitum Laudensi uia, ac item altera quæ est ad leuam progredi imperat, ut si qui essent in castris speculatores, tot diuersis profectioibus, & tam uario rerum omnium apparatu distracti, deceptiq; nihil Gallis pro comperito renunciarent. At Salsedus qui ad præscriptum antea locum intempesta nocte peruenerat, quum diu frustra pulsando noctem consumpsisset, aliquanto serius quam Piscarius uolebat, murum prima luce tribus in locis aperuit: is enim è latere coctili ueteri structura firmissimus ipsos arietes quanquam integrarum cohortium lacertis adigerentur singulari cõtumacia respuebat. Primus omnium Alfonso Vastius cum promptissimis Hispanorum & Germanorum peditum & tribus equitum alis à Piscario immittitur. Statimq; pellitur loco Græcus Iustinianus Ligur, qui in statione irrumpebantibus proximus excubabat. Erant circiter quinque milia hominum quibus iniunctum est, ut recto itinere ad Mirabellum pergerent, & locum absq; ulla spe reditus occuparent. Intranti Vastio Piscarius seuro sed alacri tamen uultu, macte, inquit uirtute frater, hodie tibi fortiter est enitendum ut locum occupes: quod si dextre (quod Dij nolint) contra toties uictos hostes minime suffecerint, age ut corpora, quod fortibus animis debent, honestissime cadendo, non inultis hostibus egregie persoluant. Erat id munus manifesto & singulari plenum periculo quod fratri Piscarius iniungebat, adeo ut familiares de Vastij salute solliciti, alium potius præficiendum, obliquis demissisq; sermonibus censerent, & magnopere mirarentur, quod eum cui sæpè alius eius nè

mie alacritati ac audaciæ succensendo, eximia pietate pepercisset, tum demum tam diræ aleæ casibus obiectaret. Valde enim timere erat solitus, quum iam ipse pridem de suscipienda prole desperasset, ne Vastius, si grauioribus belli periculis offerretur, aliquo infelici casu Dauale familiæ nomen extingueret. Sed tanta erat in eo decoris cura, & uictoriæ cupiditas, ut in ipsa agitatione consilij & rerum administratione nihil omnino aliud quàm uictoriã intentissima ratione respectaret, omniumq; rerũ quæ ab iniëpestiua, uel ignobili prudentia uiuida uirtutis neruos elidere possent, obliuisci debere uirũ fortẽ arbitraretur. Tũ enim maximè fratris uirtutẽ uti in celeberrimo rei bellicæ theatro spectari oportere iudicabat, ut quũ ille sibi in imperiũ pedestrium copiarum esset susceptus, tũ demũ ex fraterna disciplina ad implendam spem certissimæ indolis quantum ui ingentis corporis ac efficacis animi iudicio ualeret, in eo toties exoptato & nobilissimo certamine proferretur. Caterum Vastius exultantiori, dabo inquit frater strenuè operam, ut hodie me uiuo aut mortuo familiæ nostræ decora nouo ac illustri uirtutis operẽ cumulentur, atq; ita quadrato agmine irrũpens nemine hostiũ obuiò ad Vernaculam amniculum contendit, & oq; superato ad Mirabellum prouehitur. Ibi propter amplitudinẽ ædificij mercatorũ & calonum, ægrorumque militum & togatorum hominum ingens multitudo confederat, magnaque uis commeatus, & regiæ supellectilis erat deposita, aderátque ante alios ut ibi quietius atque salubrius pernoctaret, Clementis Pontificis apud Regem

Legatus

legatus Hieronymus Alexander, uir unde quaq; doctissimus, & admirabili præcipuè memoria insignis. Itaque quum improuisi hostes aduolassent, omnis ea turba statim opprimitur: cuncta dicto ocuis uertuntur in prædam: cogentiq; in unum cohortes Vastio, uti Piscarius faciundū præceperat, intra fossam ædificij signa statuuntur. Interim Piscarius reliqua legionum agmina continenter inducit: Lanocius atq; Borbonius equitatum immittunt: tormenta bouum & equorum iugis intra Parcum, quanquã agrè uno tamen tempore prouehuntur. Linteatis agminibus complentur campi, nam Cesariani omnes edicto Piscarij tunicas interuallas superinduerant, & qui his carebant, Germaniq; præsertim albicanti papyro pectora ita contexerant, ut eo inusitato cādore interfulgentibus armis amplioris & terribioris exercitus species stupentiū Gallorum oculis præberetur. Iam enim aurora haud ambiguan lucem inuexerat, crassiorq; nebula superfusa campis sensim euanescebat. Sed Franciscus perpetuū uigil & intentus ea rei nouitate nihil terretur: ac simul uti dignum erat uel excelsi animi rege, uel peritoto & forti imperatore tuba dat signum, ut quisq; captis armis ad uexilla cōsistat, tormenta subditis equis efferi iubet, cunctaq; celeriter, nec tamen cum tumultu, uti opus erat, per duces administrat. multo enim antea quid hostes crebrò parci murum pulsando molirentur, Græco Iustiniāno nunciante didicerat: auditisq; tormentorum hostilium bombis, ad quorum numerum ex composito Antonius Leua respondisset: id proculdubio uel incundi prælij, uel magnæ alicuius

rei audendæ signum fore coniectura iudicarat. Quin etiam nonnullos acrius uerbis castigasse dicitur, qui per uanitatē adulando Cæsarianos omnium rerum penuria & necessitate adductos Laudem Pompeianæ refugere dicitabant. Itaque ubi liquidò contemplatus est hostium agmina plenis passibus non ad se, sed ad Mirabellum proficisci, non cunctandum ratus, Heluetiorum & Germanorum legiones munitionibus educit. Gallos pedites cum Bussiuis Ambosio in castris subsistere iubet, Italicas cohortes sub arce contra eruptiones Antonianorum idoneis in locis relinquit, & instructa acie ad hostes prouehitur, ita ut Heluetios hinc tormenta, hinc equitum alæ paribus & directis frontibus exæquarent, & Nigri Germani non procul ab alijs equitibus atq; alijs tormentis conferta acie essent coniuncti. Ferunt regem quum legiones castris educeret, uultu maximè letum, nec quicquam de Fortune malignitate metuentem, ad circumstantes duces dixisse, se nequaquam temerè uel incon-sulta ratione, sed recto illustriq; iudicio ad prælium proficisci, quando nihil æquissima sorte cōmodius ad uictoriam exoptare potuerit, quàm nancisci hostes non intra fossas & munitiones uti sæpe aliàs accidisset, sed patentibus in campis, in agmine ac itinere, ubi quid Heluetiorum ac Germanorum statariæ phalanges possent, quid ualidissimus equitatus ualeret, quid expe ditis curribus uoluntaria tormenta proficerent, spectari posset, ut tandem ad non inanem spem optimi cœuentus de Italiæ possessione certaretur: rectè siquidem Germanis, qui unum omnium maximè metuen-

di uide-

di uidebantur, Heluetios sicuti disciplina armis ac animis pares, ita naturali odio semper infensos opponebat. Hispanos uerò ne primam quidem impressionem Nigræ legionis ferre posse si conferta acie ordines seruare uellent: neq; si dissipati & procurfantes pugnarent, quin ab equitatu protererentur, euadere posse existimabat. Erant hæc optima quidem prouisa ratione ad parandam uictoriam, nisi ut plerunq; accidit insolens Fortuna præclaris infesta consilijs, cuncta confusio ordine præuertisset. Concursum enim est tanta uarijs in locis equitum mixtim & peditum concursatione, ut nunquam confusus & dissipatus ulla copie dimicarent. Sors namq; in locum militaris prudentia statim successit, casq; inopinato uicta est sepe uirtus, quum ipsa temeritas à felici euentu consilij & rationis nomen usurpare uideretur. Erant in postremo Casarianorum agmine talice cohortes septem, cum tribus Hispanicis custodiæ quinq; tormentorum muralium præpositæ. eæ quum uix ingressæ Parcum, reliqua antecedentium agmina agrè sequerentur, quòd aquoso in loco deuoratis rotis tormenta subsedissent, factum est ut qui nouissimi erant, contra spem primi omnium Gallis hostibus occurrerint: eas namque Franciscus longè à reliquis copijs distinctas conspicatus, eò confestim mittit Philippum Brionium, & Federicum Bozolum cum ualida cataphractorum equitum manu, expeditisq; aliquot tormentis, aggregantibus etiam sese extraordinarijs peditum manipulis. Si celeriter parent, & hostes subleuandis tormentis occupatos adoriuntur. Fit prælium

atrox, sex cohortes quanquam singulari promptitudine dimicarent: neq; tormentorum procellam, neque uim equitatus sustinentes in proximam syluam se recipiunt, ut obiectis arboribus insultantium equitū impetum euitarent. Ita Galli succisis repente iumentorum cruribus, tormentis potiuntur: eodemq; impetu peruadunt in syluam: ibi musitati certaminis iniquitate oppressus Sebastianus Squarcia uir eximæ uirtutis cadit, & cum eo strenui aliquot centuriones atq; signiferi, & cohortes quatuor integræ conciduntur. Ea res in oculis omnium prosperè gesta sicuti regis & Gallorum animos uehementer extulit: ita Piscarium qui opem adferre nequiuerat, incredibili dolore affectus. Sed contra uir pugnae audax, cōspecto regio exercitu quem nequaquam in aciem è castris proditurum sperabat, ueluti concepta uictoria maximè est letatus. Nec mora Falcium notum equitem ad Lanouium mittit, qui admoneat in itinere subsistendum, rebusq; omnibus postpositis, & conuersis in hostem signis protinus esse confligendū: hoc item Borbonio & Nicolao Salmæ significat, seseq; ad accersendum Vastium citato equo proripit: sed iam ille extemplo cōspectis hostibus, relicto Mirabello ad Vernaculā regressus, densatis copijs in hostes signa conuerterat, cum in eotemporis momento nequaquā prioribus mandatis parendum, sed nouo consilio quod casus offerret, maturè utendū esse iudicasset. Itaq; Piscarius, rectè, inquit, frater, quòd uolebam effecisti. idcirco ab læua ad hostes plenis passibus contende, & enterè audacter, ut ab tuo maximè cornu uictoria feliciter oriatur. His di
ctis ad

etis ad legiones Germanorū conuolauit, in quarū uir-
 tute ac robore summæ rei gerendæ & totius uictori-
 æ momentum constare prouidebat, Interim Cæsari-
 anorum leuis armaturæ equitū manus audacter ad
 nigram usq; legionē prouecta, à Germanis facillè sub-
 mouetur, & in subiectā Vernacula uallem fœda per-
 turbatione detruditur, tormentaq; item Gallica cita-
 tis equis admirabili solertia & celeritate in omnes
 partes opportunè raptata ita hostes petebant, ut Hi-
 spani demissis etiam humi pectoribus uix depressioris
 loci beneficio pilas euitarent, & Lanouus & Alarco
 pauentes alas rusticane case quæ obiectu ipso fortè
 protegebat, applicare cogentur. Tum uerò Franci-
 scus his ueluti non dubiæ uictoriæ inuicis suopte inge-
 nio & suorū hortatu uehementer incitatus, quin da-
 to pugne signo procurreret, minimè dubitauit. Idem
 ceteri faciunt: & ante alios Palicia primi agminis
 ductor à dextro cornu Cæsarianos equites iam impi-
 grè cōuersos adoritur. Is Gallorum impetus sicuti La-
 noio grauis atq; terribilis fuit, ita postea multorū opi-
 nione uisus est uictoriam è manibus regis haud dubiè
 rapuisse: nam præcipiti eo discessu non modò Helue-
 tij Nigriq; Germani nequaq; pari passu subsequentes
 equitum præsidio sunt nudati, uerumetiam tormento-
 rum usus magna ex parte sublatus, quum libratores
 cessare cogentur, ne regij agminis effusè præterue-
 sti, directis ictibus terga simul & latera uerberarēt.
 Ceterum ætate nostra ab equitatu nusquam alacrius
 atq; ualidius est concursum, cum ueterani utrinq; du-
 ces, & equites flagrantibus animis, non de gloria mo-

dò quæ una maximè ueræ uirtutis aciem exacuit, sed de Italia imperio dimicarent. Galli uindictæ auidi unum ante alios Borboniū uti regis & gentis cū ignominia perfidiæ desertorē omnibus pugne locis frustra requirebāt, cū ille ad tutiorem promptu uicinē Pomerano familiari traditis insignibus, tunicati & priuati equitis habitu depugnaret. At rex ipse argentea intrabea cristis & sua maximè proceritate conspicuus, cohortantis ducis & strenui bellatoris munus implere, hostilem aciem concitato equo perrumpere, aggredi obuios, & purpura auroq; præcipuè insignes. In eo tumultu Ferdinandus Castriotus, qui originem à Macedonia regibus ducebat, dux illustris, regia manu confusus cadit: sternitur & Vgo Cardonius alæ Piscariæ legatus: uexilla duo discerpuntur, & Noricus equitatus quem Ferdinandus Cæsaris frater auxilio miserat, dum impigrè pugnam subit, & constantissimè repugnat, graui accepta clade profligatur, ita ut iam penè Lancij atq; Borbonij signa & agmina nuntarent. Nam Gallus uel ea re numero & uiribus superabat, quod Cæsariani cataphracti leuis armaturæ equitū subsidij carebant: siquidem ex tribus agminibus primi cum Vastio ad Mirabellū processerant: secunda alæ (ut diximus) à Nigris Germanis scedè repulsa refugerat: tertia autem relicta extra Parcum duce Guidone Guaino, totius exercitus impedimenta tuebatur. Alæ quoq; illi mirifica nobilium Italarū & Hispanorū ipsi Proregi peculiaris, ut quæ prælio non interfuit, nullo erat adiumento: nam Lancius Vererū Belgam adolescentē consanguineū suū eius alæ præfectum

fectum extra Parci murum subsidere, nec se ullo modo commouere præceperat, donec ab ipso per certos nuncios cõsurgendi & pugnandi signum acciperet. Sed cõmissa & statim exardente pugna, cum Lanoius in re præsentis atq; terribili cunctis sensib. atq; memoria uehementer occupatus, neminẽ qui accerseret, omnino mitteret, adolescens patruis ducis iussis & discipline præceptis omnino parendũ existimans, usq; ad pugne exitum immotus constitit: nec ulla equitũ obtestatione uel increpatione potuit adduci, ut in aciem prodret. His de causis laboranti Lanoio, & uix regij agminis impetum sustinenti, Piscarius qui admirabili præsentiq; prudentia, ac intentis maximè oculis cuncta lustrando, huc & illuc singulis difficultatibus occurrebat: Hispanos sclopettarios circiter octingentos subsidio mittit, qui repente circũfusi à tergo & à laterib. edita terribili pilarũ procella, ingentẽ equorum atq; hominum numerũ prosternunt. his etiam appropinquat hastatorũ grauis armatura, atq; ita certo præsidio tuti audacius plumbeis glandib. incessanter rem gerũt. Quo accepto incõmodo regij dum consistere conferti nequeunt, & expansis alis minore cũ periculo repugnare se posse existimãt, dissoluta acie dissipantur. Sed dum huic consilio Fortuna infestior occurrit, ira & pudore conglobati rursus in sclopettarios deferuntur. At Hispani natura agiles, & leuibus proteãti armis, reirò sese celeriter explicãt, equorũque impetum tortuosis discursibus eludunt: auctiãq; numero, uti erant cum longo usu, tum nouis Piscarij præceptis edocti, manipulatum toto campo sine

ordine diffunduntur. Erat id pugnae genus per se nouum & inusitatum, sed in primis seuum & miserabile, quod magna rerum iniquitate praecipue occupantibus sclopetarijs, praeclearae uirtutis usus in equite penitus interiret: nec ullae uel fortissimae dextrae diu proficerent, quin conferti à raris & paucis, plures & clarissimi saepe duces et equites inulta caede passim ab ignobili & gregario pedite sternerentur. Ab alia quoque parte iam Vastius promotis à dextro cornu cohortibus & inducta ala equitum cum Anneo Memorantio prosperè conflixerat, profligatoq; per sclopetarios eius equitatu ipse ante alios interfectis libratoribus, tormentis hostium fuerat potitus. Accidit autem in eo concursu (quod non uidetur praetermittendū) ut Vastius & Memorantius qui postea summi duces euaserunt, sicuti ab utroq; accepimus, per acri singulariq; certamine aliquandiu dimicarint, eo quidem euentu, ut non multo post Memorantij equus Castalij manu uulneratus concideret, atq; ipse demū ab Errera centurione caperetur. Eo rerum successu Vastius factus alacrior, minorem Heluetiorum aciem tormentorum amissione & fuga equitum absterritam, & ob id haesitantibus animis pugnam capeissentē adoritur. Tum uerò, incredibile dictu, uidere licuit gentem paulo antè ab excellenti probataq; uirtute caestri, praesertim in acie formidandam, cum decoris & disciplinae, tum in uatae ferociae penitus oblitam, uix inclinatis hastis pugnam detrectare, et metu mortis egregiae ab infami fuga turpissimum interitum praecalto in flumine quaeritare, frustra eos retentare, confirmareq; magnis obtestationibus

tionibus conante Floratio Sedanio, qui genti familiaris & dignitate equitum Maraschalchus cum pecu-
 ri ala cataphractorū dimissis omnium equis, in prima
 acie se pugnaturū profitebatur, adeò ut pristinum il-
 lum immanium corporū ac animorum uigorem cele-
 ste aliquod infestū numen, aut certè fatalis is regi dies
 eripere uideretur. Nec minori deformitate eundem fu-
 gæ exitum tulit altera Heluetiorū acies, quæ uti nu-
 mero cohortium plenior aliquādiu immota constite-
 rat, sed cū circumfusis undiq; sclopettarijs perpe-
 tuo quodam pilarum imbregeminus obrueretur, &
 promptissimi centurionum, ut plerunq; accidit, in ipso
 primo ordine cecidissent, conspecta demum strage re-
 gij equitatus, abiectis hastis terga uertit. Ferunt, Ioan-
 nem Diespachium qui summam inter Heluetios du-
 ces authoritatem obtinebat, cū cohortes ne tentato
 quidem certamine turpiter fugientes intueretur, &
 obuersus ac iratus signiferos increpando cædendoq;
 sistere nequiret, grauissimo compulsus dolore tantæ
 acceptæ cladi ac ignominie superesse noluisse, in cõ-
 que præsentis animi decreto peruadentē in cõsertos
 hostes honestissimè cecidisse. Hanc tamen cladem Hel-
 uetij qui supersuere Alanconio regis sororio acceptã
 referebant, quòd ille uti paruum strenuus & diu incli-
 nantis prælij spectator, dum ardente adhuc pugna cū
 integro totius postremi agminis equitatu in fugam se-
 proriperet, Heluetiam aciem egregiè densatis ordini-
 bus prælium subeuntem, transuersa & præcipiti im-
 pulsione perrupisset. Ceterū à dextro Gallorū cornu
 uni omnium peditū Nigri Germani, uti in ipsa salu-

tis atq; uictorie desperatione, cum Germanis acerri-
 mē & cōstantissimē depugnarūt: eoq; maioribus pro-
 pē odijs quā uiribus, quæ summæ erant, sunt congres-
 si, quo efferatis diuturna dissensione animis, neutris
 qui paululum loco pulsi pedem referrent, ulla omni-
 no spes uenie, aut militaris misericordie relinqui ui-
 deretur. Indignabantur Cesariani, quòd Nigri contē-
 pta & irrita Cesaris maiestate, spretaq; autoritate
 Germanici nominis pro Gallo uetere hoste mercēna-
 rijs armis fratres & consanguineos obsessum atq; op-
 pugnatum uenissent. Ex aduerso Nigri maximē de-
 corū existimabant, pro eo Rege, qui multis annis ipsos
 liberalibus stipendijs aluisset, fortissimā operam præ-
 stare, tueri sacramenti fidem, & nihil omnino admit-
 tere, quod ueteranis militibus indignū foret. Nec her-
 cle ex his quisquā erat in eo haud dubiē supremo ui-
 tæ actu, conatuq; bellici operis, qui insultantis fortu-
 næ iniuriam inusitata uirtute & decora morte uindi-
 candam non duceret. Quum appropinquaret acies,
 & miro silentio gradus inferretur, procedebat solus
 ante Nigrorum aciem Longamantes ab Augusta Vin-
 delica nobilissimus dux, Georgium Franisbergum &
 Marcum Sithium elata manu & clara uoce ad singu-
 lare certamen prouocans. Sed is atroci murmure re-
 futatus, & multorū simul petitus telis cito concidit,
 abscissamq; eius cum armillis & annullis manum o-
 uanti similis gregarius miles ostendit. Tum uerò su-
 blato clamore à Cesarianis alacriter est procursum.
 Erat in medio campo dum utræq; acies coirent ipse
 Piscarius in equo sublimis, sed pedestribus armis pro-
 teclius

tectus, saepe orans Franisbergum ut gradum inten-
 deret, ei inque commemoratis superioribus praelijs in
 quibus eius uirtus enitisset, ad parandam omni-
 um maxime optimam & memorabilem uictoriam ac-
 cendebat. Itaque concurrere utraque acie, dum in ad-
 uersos equum adigit cuspide per apertam galeam re-
 cepta in facie uulneratur, confossoq; demum equo, si-
 nistrum ei crus alabarda traicitur. In eo terribili ar-
 morum fragore haud dubie suorum pariter atq; ho-
 stium hostis fuisset oppressus, nisi aegre cluctante sami-
 liaris primò eques, & dnum centuriones & signi-
 feri propiores, magno conatu ereptum seruassent. In-
 terea Franisbergus & Sithius admirabili peritia ad
 includendos hostes ex porrecta utrinq; acie legionē
 in medium sinum exceptam duobus statim expansis
 & recuruatis cornibus praecingunt, eamq; pertinacis-
 sime resistentem in medio totam contrucidant: ita ut
 una tantum tribus legionibus opposita & ob id infe-
 lici uirtute repugnante, nemo penè Nigrorum euase-
 rit. Periere ibi praeter Longamentem antè primos or-
 dines Ricardus Suffolchius regulus cui Albæ Rosæ co-
 gnomen fuit, ad quē pleriq; & praesertim Galli Britā-
 nici Regni iura pertinere praedicabant, & ab his
 propter Regij nominis dignitatē & bellicarū rerum
 peritiā, Nigræ legioni fuerat praepositus. Franciscus
 itē Antonij Lothoringiae Principis frater eximia indo-
 lis adolescens, qui in primo ordine ante alios armis
 & cristis conspicuus locum poposcerat, duoque i-
 tem Germani Reguli Hortumbergius, atque Lof-
 fenius militiae illustres: & Theodoricus Scomber-
 gus Nicolai Antistitis Campani frater equestri digni-

tate & propter industriã excellentis ingenij legationum etiam honore insignis. In hunc modum diuersa in parte dum fugantur Heluetij, & Germani conciduntur: eodem sermè tempore regia acies à sclopettarijs simul et ab equitatu hastatis etiam succedentib. per-rumpitur. Tum uerò quisq; dux insignis & illustris eques, ad protegendum eripiendumq; regem concurr-it; pleriq; desiderio nauãde in oculis regis supremæ operæ loca atq; agmina sua relinquunt. Palicia dum suffosso equo annis ac armis grauãtib. ad Heluetios ægrè se recipit, ab equitib. intercipitur. Sed cum iam superuenienti Castalio deditum Vasurtes Hispanus, quasi tanti captiui pretiũ & laudem equitibus inuideret, apposito ad thoracè crassiore sclopetto crudeliter interficit. traicitur duplici uulnere & ipse Tra-mulius multarũ palmarum uetus Imperator. Galea-cius item Sanseuerinus dum singulari peritia huc & illuc adacto equo hostes submouet, et præclare decer-tat, in cõspectu regis cadẽdo, quòd regie gratiæ & fã-mæ inclyti nominis debebat, honesto uitæ exitu persoluit, cum procumbente equo laberetur, proximũ sibi Guliermum Langeum illustrem equitem in supremo casu opem ferre cupientem appellãs, sine me, inquit, fili, fato meo fungi, & quàm celerrimè potes hinc ad protegendum regem recurre, nominisq; mei & hone-sti exitus memoriã, si euades, piè amiceq; colito. Erat pugna omniũ maximè funesta, & magnopere ini-qua Gallis equitibus: nam à circumfusus & expeditis Hispanis in omnem partem ad lethales ictus pi-le plumbeæ spargebantur: quæ non iam tenuioribus

(uti pau-

(uti paulò ante erat solitum) sed grauioribus sclopetis quos uocant arcabusios, emissa non cataphractorum modò, sed duos saepe milites & binos equos transferabant, sic ut miserabili nobilium equitum strage, & morietium equorum cumulis constrati campi, & alarum uirtuti simul officerent. si densato ordine irrumperere conarètur, et passim ueluti obiectis aggeribus, si cui decore uita potior foret, minimè expeditum ad fugam iter præberent. In tanta rerum iniquitate Villermus Boniuettus Amiras aliquandiu discurrendo & cohortando Heluetios equites in fugam inclinatòs confirmare conatus, quò haud dubiè aduersam eius prælij Fortunã agnoscerent, nec tantæ cladis cuius ipse præcipuus auctor fuisse diceretur, ad pœnã uel ignominia superstes esse uellet, graui & obstinato pudore in medios hostes incurrit, atq; ibi, quòd aperta galea discurrentium & imperantium Ducum more uteretur, iugulum mucronibus obiectas est interfectus. At Franciscum nudatum omni ferè præsidio alarum custodiæ corporis tot circum interfectis & cæteris circumquaq; palantibus sese eripientem, mixti ex uarijs turmis aliquot equites uti habitu insignem persequuntur. Nec Rex impiger se ipsum deserit, quanquam ab equo & à Fortuna deserebatur: passim inflexo equo cum insultantibus gladio rem gerit, illatisq; aliquot & acceptis uulneribus strenuè repugnat. Sed dùm ad proximū riuu pontem contendit, confosso & corridente equo, sternitur. Primi omnium Didacus Abila & Ioannes Vrbieta Cantaber, supergrauante equo iacentem circumstant: nec adhuc planè cognitum intentatis

gladijs, ut se dedat ni perire malit cohortantur. Interim superuentu Motta Anoiery Galli, qui erat Borbonij equitum praefectus, de facie noscitur, quãquam erat ex uulnere totum os manante sanguine foedatus. Sed dum Motta ut se Borbonio dederet qui non procul abesset hortaretur. Rex ad proditoris nomen indignabundus, ac imperãti similis, accersitote inquit Lanoum, isq; dum Motta ad Borbonium peruolaret, undique uoce & discursu militum quasius, opportunè superuenit, summotaq; incumbentium turba subtrahit equo ex porrecta dextra subleuauit. praecipitanti Abile chirotheca ferrea traditur, proximi paludamentum frustra disceptum abripiunt, alij baltheo & calcariibus potiuntur: quum quisq; aliquid ex Regijs exuuijs rapere properaret, quod mox ad decus, petendaq; premia non obscura fide posset ostentari. Capto Rege undiq; à Caesarianis uictoria conelamatur. Gallicus animus cõcidit. Fit foeda fuga in omnes partes, Heluetij pecorum modo pauentes dum caeduntur, Ticino flumini se committunt, natantq; prorsus imperiti foeda & miserabili colluione connexi impeditiq; agminatim gurgitibus rapiuntur, alij susplices proiectis ad terrã armis salutem petunt. Sed rara eo die nisi in multa caede fatigatis, humanitatis & misericordiae laus refulsit: supbos enim & immanes ea ingens uictoria milites reddebat. & Antoniani qui ab arce & à Noua porta cunctatius & serius eruperat, ante alios auidißimè & crudelißimè grossabantur, utpote qui, quum praelio minimè intersuissent, post partem denum uictoriam opportunè effusi, intercepta spe fu-

g.e.

gæ, consternatis & saucijs occurrerent. Itali quoq;
 & Galli pedites quos circa arcem & castra relictos
 diximus, quum Rex eos summæ uictoriæ diffidens in
 subsidium euocasset, & Bussiuius Ambosius ad præ-
 lium contendens secum adduceret, in Germanos qui
 tum Nigrorum legionem delcuerant, inciderunt: &
 ab his interfecto Ambosio casi fugatiq; sunt, multis
 tamen elabendi spatium castrorū propinquitās præ-
 buit: neq; enim ullos Germani extra ordinem sunt
 persecuti: qui ad extremū pugne exitum immoti
 & erecti in omnem casum, in acie perstiterunt: quan-
 do seuera & maximè nobili disciplina lege, donec de-
 bellatum foret, extra aciem progredi, hostem capere,
 & quæ alij auidè raperent spolia legere uetarentur.
 Ob id constat, neminem serè illustrem captiuum,
 & exiguam admodum prædam ad Germanos perue-
 nisse, quum Hispani sicuti audaci præstantiq; opera
 fuso equitatu & pulsis Heluetijs haud dubiè uictoriã
 peperissent, optimo ueluti iure in præmium uirtutis
 preciosiore præda & nobilioribus captiuis potirentur.
 Capti sunt Hëricus Rex Nauaræ, & Renatus
 Bastardus Sabaudius Regis auñculus, Regiæ domus
 magister: qui non multò post dum se multò auro redi-
 mere cogeretur, ex uulnere exorta febre apud hostes
 interiit: itemq; Memorantius, Brionius, & Bozulus,
 ipseq; item Obegninus, & Floratius qui Heluetiæ le-
 gioni erat præpositus. Franciscum è Borbonia familia
 Sancti Pauli comitem grauius sauciaturū inter cadaue-
 ra iacentē, dum ei ueluti iã mortuo Hispanus digitū
 abscinderet ut annullo potiretur Fortuna seruauit.

Contraria sorte Lescutus coxam crassiore pila tra-
 iectus, quo nemo Gallorum Procerum, corporis at-
 atq; animi uirtute superior fuit, nono die apud hostes
 Ticini extinguitur. Ferunt eum dum lethali uulnere
 grauatus iaceret, & Casariani duces in primisq; Va-
 stius eum saepe inuiserent, multas diras Boniuetti ma-
 nibus fuisse imprecatum, plurimumq; execrando pe-
 stilentis eius hominis ingenium subiūxisse, ea infelici-
 acie ab se illum fuisse quæsitum, ut publicum scelus
 infesto gladio uindicaret: quando is tantam cladem
 Gallico nomini, & immerenti praesertim Regi per-
 uersis consilijs intulisset. Perijt etiam Toneræus uir il-
 lustris, desideratusq; est nusquam reperto cadauere
 Tornonius qui cū Asparosio Lescuti fratre Nauarri-
 co bello dux fuerat, quum tumultuantibus Hispanis,
 Galli arma ad Hiberū usq; annē promouissent. Solus
 Alanconius, ut tātæ cladis nunciū in Gallias deferret
 cū ingēti cataphractorū agmine intactus effugit. Qui
 fortasse singulari prudentiæ laude dignus foret, si non
 potius, ut se incruētū & iure imperij equites secū tra-
 hentem periculo eripere, quàm ad subsidium orbate
 Galliae fortiū uirorū alā seruare uoluisse crederetur.
 Sed Alanconio intra paucos dies ex dolore animi de-
 functo, eius receptus famā, Humenius Rocha legatus
 alæ, præclaro testimonio defendit, quū uir impiger
 et belli peritia spectatus desperata uictoria, uel multo
 retinēteq; duce, necessitati parēdū esse censisset. Por-
 rō Claramōtius qui in insula Memorātianis in castris
 praesidio erat relictus, ubi perditis rebus frustra auxi-
 lium se ferre posse animaduertit, cohortatus suos
 ut nihil

ut nihil ea rerum asperitate perturbari uellent, sed confirmato uiriliq; animo ad salutem, nō dubiamq; laudent constanti receptu signa sequi properarent, militari more copias eduxit, & Graualone superato, concisisq; pōtibus ad Mortariam primò oppidum, & nullo demum accepto incommodo in Galliam contendit. Idem fecere Mediolani qui arcem obsidebant, suppressa etenim acceptæ cladis fama, & uulgato interim falso uictoriæ nomine cum omnibus impedimētis duce Theodoro Triuultio, ad Verbanum lacum incolumes euaserunt. Cæsa autem eo prælio ad decem milia referuntur. At Rex armatus, uti erat in equo humili asturcone, quum à Lanoio in castra duceretur, Alfonso Vastio sit obuius. Istum fortè à persequendis Heluetijs redibat, ut de Piscario quem falso cecidisse ferebant, certius agnosceret. Nec mora, Vastius ab equo properè defilit, & Regiam dextram apprehendens custodientium & aggregantium sese ultro militum coronam latè summouet, ita ut his pudorem iniiceret, qui nullo propè respectu maiestatis, adeo arcè iam captum Regem custodirent. Tum uerò Franciscus haud parum eius conspectu recreatus silentium exoluit. Eum enim cum iuuenta flore & specie corporis, tum uirtutis & omnis militaris elegantie laude insignem, uti præclarus uel in hoste excelsæ uirtutis æstimator uehementer adamabat. Coriolanti Vastio magnitudinemq; animi & humanitatem in Carolo Cæsare plurimum attollenti statueram Rex inquit, non indecoro casu inter armatos concidendo animum ab hac tanta rerum mearum accerbitate uendicare, ne tot clarissimorum meorum ducum funeribus

superessem. Sed Fortuna iam pridem nomini nostro iniquè & peracerbè infensa, ut uitam inuito ad illudentis fortunæ spectaculum reseruaret, honestissimam mihi mortem inuidit, hoc uno tamè me in tantæ cladis memoria consolabor, quòd nulla mihi in posterum Fortunæ uis erit pertumenda: quandoquidem illa sæuissimè semper furens, nec tot cumulatis cladibus unquam abundè saturata, nunc tandem reliquas supremi odij faces in hoc publico totius Gallie luctu, & summa mea ex tanti infortunij casu iactura restinxerit. His uerbis non modò ipsis uictoribus singulari affectis lætitiæ lachrymas propemodum exciuit; sed circumfusi foris etiam omnis generis militum animos tantæ uictoriæ reputatione usque adeo confudit, ut facillè à cædibus, & ab ipsa etiam præda ad tanti Regis capti spectaculum undique uerterentur. Ductus est in Gallica castra ipso imperante, ne à Ticinensibus quos summis affecerat detrimentis, & à ferociente præsidario milite, tanquam diuturnæ obsidionis incommodis uehementer afflicto, ad ludibrium in ea Fortuna conspiceratur: ibi ea uulnera quæ in auersa parte femoris, & in dextra, summæque gena, leuia tamen acceperat, facillè curauit: aliquot etiam pilarum ictus duplici thorace adeo egregiè sustinuerat, ut cum Christi crucis frustulum aurea conclusum bulla collo gestaret, quòd planè foret seruatus, in miraculum à pijs hominibus referretur. Ferunt, Regem Borbonio ad genua prouoluto, & dextram appetenti, nequaquam sese irati, sed cuncta æquisimo animo ferentis habitu præbuisse, ipsum uerò Borbonium demisso uultu haud

tu haud dubia dedisse pudori & penitentiae signa, ut
 pote qui non omnium modò tacita cogitatione, sed li-
 beris etiam sermonibus sese inuidia plurimum onera-
 ri & defectionis suae nomen latissimae famae pandi ma-
 nifestè perspiceret. Coenauere cum Rege magnis pre-
 cibus inuitati Lanouius & Vastius: lauanti autem Bor-
 bonius honoris causa linteam dedit. Sed rex in-
 gressus in sermones de praelij euentu tam graui & tam
 facundo ore consiliorum suorum rationes explicauit,
 periti imperatoris more singula recensendo, quae apud
 se, uel ipsos hostes uti potiora prouideri potuerint,
 ut si res in integrum restitui possent, se iterum ea tan-
 quam optima conditione dimicaturum dicere minimè
 dubitaret: sed se deceptum ab Heluetijs, qui non mo-
 dò suam sed omnium etiam opinionem turpissimè fe-
 fellissent: & auarè ab Italis fraudatum qui in recensen-
 dis cohortibus falsum militum numerum referre essent
 soliti; desertumque demum nimis properè à tertio e-
 quitum agmine semel inclinatum aciem ulla arte bel-
 licæ uirtutis, ullòque præsentis animi conatu repara-
 re nequiuisse. atq; ita quum omnia serè in unum con-
 iurarint, ut fortunæ Caesaris seruirent, fatali sorte po-
 tius quàm errore hominum cuncta ipsis prospera, si-
 bi uerò aduersa omnia contigisse. Non uidetur silentio
 prætereundū quod ad historiæ pariter ac diligentiæ meæ
 fidè pertinere arbitror, ea me omnia quæ hoc peculia-
 ri uolumine continètur, ex sermone maximorū princî-
 pum & ducum accepisse, quorū serè omnium etsi exter-
 næ linguæ duriorisq; naturæ fuerint, ueritatis expli-
 canda causa amicitia meruisse profitemur, tanta curiosi

ingenij perseverantia felicitateq; , ut non modò mores consilia, factaq; eorum scriptis expressas; sed singulorũ quoque ex ueris formarum lineamentis depicta ora ad delectationem spectantium in Museo nostro representemus. Verum in hoc longo atq; difficili honesti laboris studio, nemo certè nobis uel liberalius uel disertius Francisco Rege fauit: admirabili enim fretus memoria, ingenueq; arcana animi nudare solitus cuncta miro ordine atq; integra fide de successu præsertim huius pugnae nobis enarrauit, primò ad Massiliam, & aliquot post annos ad Nicæam; tanta quidem cum admiratione nostra, ut quæ incerta & obscura erant, collato hostium testimonio liquidissimè deprehendisse fateamur, & tantum Regem immaturo prorsus fato nuper ereptum, tanquam longiore uita dignum, meritò celebrandum existimemus. Nec multò post ad Pisleonem in custodiam est deductus. Eò tum demum ipse Piscarius uenit, non planè obducta oris cicatrice, Regemque inuisit non in purpurea aureaque ueste, ut cæteri qui ab ea uictoria in pompæ morem sese Gallicis spolijs exornarant, sed ad singularem animi modestiam, laneo & nigro in sagulo, quasi non uictoris sed uicti habitum præferret, & miserari Regiæ conditionis sortem, nequaquam ficto dolore uideretur. Eum uenientem ac insignium Ducum turba, ueluti prætoriam cohorte circumseptum Franciscus adeo humaniter & auidè complexus est, ut aliquandiu animum atque oculos in eius uiri admiratione defixos teneret, & cœptis demum grauioribus sermonibus in hæc uerba, non tristi, uerum subblanda gestus, & oris grauitate pro-

te prorūperet. Nunquam inquit, inuicte Piscari natura fieri posse putaueram, ut eum plenis affectibus amare atque suspicere possem, qui unus omnium hostium Gallico nomini maxime fuerit infestus, & mihi demum uicto captoq; longē grauiſſimum cladis uulnus intulerit: Sed profectō eam esse uim præstantiſſimæ uirtutis, uel hoc meo æquē nobili ac tristi rerum experimento conſtanter agnoſcimus, ut in ſeiſſam admirabili fulgore latē radiantem omnium oculos, tanquam ad præclarum lumen ab obscuro facile conuertat, ac ipsis demum animis impotentissimè dominetur. Sed tu Piscari dignum illustri fama tua feceris, si eo tenore uera uirtutis, quo me & meos sæpe duces feliciter uicisti, enixè dederis operam, ut hoc totum singularis uictoriæ decus quod uestra uirtus & fortuna Cæsari peperit, ab altitudine eius animi, excelsaq; uirtute longē clarissimum reddatur, dum mihi planè uicto captoq; non iniquis legibus impositis libertatem maximorum regum exemplo restituit. Neq; enim uel in hac mea calamitate Cæsari uestro regna ac imperia, aut tam præclare uotis eius arridentem fortunam inuideo: quum hunc potius diuini muneris locum inuideam, quem ei benigna fors ad deferendum in cælum nomen ruina mea patefecit: parari quidem lata imperia ui atq; opibus possunt, & fortuna plerunq; quum eam maxime conuersam credas, sua libidine dat terga, & leui momēto dilapsa peruertitur. At certè in Cæsaris arbitrio rara felicitate positum est summæ humanitatis & clementiæ immortalis gloria se potiri, & secura manu uelle decerpere nobilissimæ laudis fructum, quem herelè nulla uis eripiet, nec ipsa qui

dem fata ullo unquam tempore delebunt : quando-
 quidem post partam uictoriam, cuius nomen & decus
 minores sæpe duces & milites sibi uendicant, nullus in
 regia fortuna clarior est triumphus, quàm ad eximi-
 um propriæ uirtutis specimen, ab ipsa maximè gene-
 rosi animi magnitudine celebrari. Ad ea Piscarius pau-
 ca præfatus quæ ad declarandam Cæsaris moderatio-
 nem & lenitatem pertinebant, grauitè & appositè
 respondit, addendo quantum ille in omni controuer-
 sia & disceptatione lenis & æquus esse consueuisset,
 & quàm procul ab inhumana duritiè, omniq; seuitia
 sensus omnes auerteret; utpote qui ab ineunte ætate
 propter facilem mitèmq; naturam, nunquam ab im-
 moderatis, atque superbis, sed ab honestis decorisq;
 consilijs, uirtutis & pacis amore duceretur: non tu-
 lisse eum ab initio bellum, sed grauißimis lacesitum in
 iurijs ita repulisse, ut post multas uictorias locum paci
 & concordie non iniquis conditionibus relinquere ui-
 deretur: propterea se sperare Cæsarem tanta animi mo-
 deratione usurum ea uictoria, ut nihil minus æquum à
 uicto possidaret, quàm quod integris rebus repetere
 esset solitus; futurumque esse, ut ipse non multò post so-
 licite matri & carissimis liberis insigni Cæsaris libera-
 litate redderetur. Quibus sermonibus Franciscus æ-
 grum animum in spem haud dubiam maturæ libertatis
 crexit; ratus Cæsarem sola uictoriæ felicitate conten-
 tum fore; nec in ea quicquam impotenter, sed solum le-
 nitatis & clementie nomen esse quæsiturum, cuius a-
 nimi nequaquam atrocis & superbi præclara signa
 dudum ostendisse cognouerat, quum Cæsar qui tum e-

rat Barchinonæ nuncios tantæ uictoriæ quæ ipso etiam natali eius die parta fuerat, nulla cum hilaritate suscepisset; sed singulari pietate indictis tantum trium dierum supplicationib. ut is secundus belli euentus Reipublicæ Christianæ cōmodo uerteretur, publicā letitiā festis ignib. & tormentorū bombis celebrari uetuisset.

LIBER SESTIMVS.



DELETIS ad Ticinum Gallorum copijs, atq; ipso Francisco tanti modò nominis Rege capto nemo totius Europæ Regū uel Principum fuit, qui non summo metu, aut certè grauissimo dolore cōmoueretur. Nam qui finibus atq; periculo proximi erant, non modò opes, tot coactis in unū regnis in immensū auctas, sed ipsa quoq; Caesaris fortunam horrebant. Apparebat enim eius exercitū è prouincia per Ligusticas cautes fuga elapsū, egentē pecunia, Mediolano exclusum, destitutūq; sociorum auxilijs, incredibili potius aspirantis Fortunæ munere, quā ulla consilij ratione incolumē ac demū uictorem euasisse. Nec iam ullas bello rationes Casarianis tantam inusitate fortitudinis, tantamque felici disciplinæ opinionem adsecutis in posterum conferendas uideri, quum ingenti audacia, patenti campo, procul insidijs, ueteranum ac ornatissimum totius Galliæ equitatum tot clarissimis ducibus interfectis & captis unius horæ momento deleuerint. Ipsaque Sicam-

brorum robora cæteris inſeſta Germanis, ac Heluetias legiones inuictas antea & frequentibus uictorijs nobilitatas, aut in acie trucidarint, aut inulto ſedoq; interitu perire coegerint. Cæterum Rex ipſe in arcem ignobilis oppidi coniectus, ac ſalutantium turbæ frequenter oſtentatus omnium animos in ſui miſerationem conuerterat: Fortunæque tum maximè ut impotens, & ſeuæ & inſtabilis accuſabatur, quæ florentem belli gloria, ætate atque opibus Regem è ſummo ampliffimi regni, potentiæq; ſaſtigio, puncto temporis præcipitem dediffet. Quippe eius ori atque oculis, tanta uis, tantuſq; honos inerat, ad promerendos omnium animos, ut non modò ij quibus neque beneficio, neque iniuria fuiſſet cognitus, ſed etiam hoſtes ac inimici ea calamitate indignum exiſtimarent: militarem enim cum inuicti animi, tum eximij corporis habitum, omnibus Regijs atq; ciuilibus uirtutibus exornarat. Quum pedes ſiue eques tractando arma, artem ac robur oſtendere, aut de optimis artibus, ac liberalibus ſtudijs diſceptare uellet, omnem in id totius ætatis operam contuliſſe crederes. Accedebat præalto illuſtrique ingenio, bellorum rerumq; omnium memoria incredibilis, ac inexhauſta quædam in his explicandis nitidi ſermonis eloquentia, qua primis ſerè congreſſibus abdita ſuorum ſenſuum liberaliter expromendo, omnes mirro ſibi amore deuinciebat. Sed quum per ocia pacis alaeri ſemper comitate, more gentis, ac erudito luxu, iocis munditijsq; præſtaret, una maximè liberalitate, quæ in principe optimo præcipua uirtus exiſtit, apud omnes longè clariffimus erat. arce

arce, totaue Gallia Cisalpina rectè custodiri, neq; aliò terra mariue tuto traduci posse uidebatur. Nam Veneti in tergo erant iam planè quòd à fœdere defecissent, pro hostibus habiti, & Alonsus Atestinus Gallorum socius, Pontifexq; ipse, & Florentini, qui non modò auxilia non misisse, sed fœdus cum Gallo percussisse, repertis ad Ticinum super ea re tabulis, arguebantur, cuncta cis Padum ad ultimos Ligurum fines certis præsidijs obtinebant. Milites quoque Cæsariani quamquam præda diuites merita stipendia flagitare, ducibus ni pecuniam expedirent, seditiosè uincula & cædem comminari, aliòq; subinde atque aliò ad deponendam prædam absque commeatu discedere, eò insolentiores atq; ferociore, quòd gratuita opera ad retinendam pristina uirtutis dignitatem, se maximam uictoriam ingrato Cæsari peperisse predicabant. & in eos sepe de industria Franciscus ueluti per lusum aureos nummos dispergere erat solitus, tanta præsentis fortunæ contemptione, ut Hispani milites applaudendo, petulanter Deos incusarent, quod ad subigendum terrarum orbem Franciscus ipsis non imperaret, aut ipsi omnes sub eo soluti Cæsaris sacramèto, militarent, adeo ut duces, & antè alios Alarco custodia præfectus, & largitiones regias cohibere, & familiaritatem militum nonnunquam abrumpere cogeret. Interea Clemens qui ad tuendam Pontificiæ maiestatis æquitatem moderato quidem, sed periculoso & parum illustri consilio, ab omni contentione abesse & sese inter certates, pacis sequestrum profiteri uoluerat, diuersis suorum consultationibus agitabatur. Pleriq; enim suadebant, ut Galli

carum partium obliuisci uellet, & Caesarianis ducibus
 quibuscum praclare atque feliciter bella gerere con-
 suuisset, sensus omnes facultatesq; coniungeret. recen-
 ter iniurias haud multa expiari pecunia facile posse,
 & antiquum subinde foedus renouari, si salutaris ocij
 quam exitialis belli cupidus esse mallet, & sacrosan-
 ctæ potestatis iure, longè lateque sibi utendum arbitra-
 retur. Alij de generis abiectique animi, ea esse consilia
 dicere; si pacem malefidam auro mercaretur, eam
 propediem Galliae atque Italiae seruitutem esse paritu-
 ram; nec ideo Regem in tanta calamitate ac rerum de-
 speratione deserendum, quem ipse in primis, Vene-
 tique perniciose cunctatione in eas carceris miseras
 praecipitassent: non ampliore pecunia opus fore, si Re-
 gem inuicti gratissimiq; animi custodia eripere uellent
 quam ea, qua pax seruili consilio emi posse uideatur.
 neque meditato facinori dubium proponi euentum, si
 fortiter rem gerere, euocare Heluetiorum expeditam
 manum, & subitarias per Italiam cohortes cogere ma-
 turarent. Tum enim Pontificem, Rege libertati restitu-
 to, de uniuersa pacis nomine communique concordia
 tempestiue consilia initurum, imperijsq; Italiae legi-
 timis possessoribus adiudicatis, non simulatam ac in-
 stabilem, sed ueram ac diuturnam pacem obstinatis ab
 Regibus expressurum; ut ipso authore ac duce, uti sem-
 per exoptasset, impiè tum commota arma à Christiani-
 nis in Turcas uerterentur. Sed quantum priori sen-
 tentiae securitatis in posterum ac dignitatis deerat, tan-
 tum huic immoderati & impudentis animi superesse
 uidebatur. Propterea, haec uti aliena nimisq; atro-
 cia Cle

cia Clementi quietis avido, & incertos belli exitus ma-
 ximè timentis, mirè displicebant, quòd Cæsarem perpe-
 tuis maximisq; amicitiae officijs sibi coniunctum adeo
 insigni iniuria affici, & ab se propterea Germaniæ Hi-
 spaniæq; populos, & Henricum Britanniae Regem
 alienari nolebat. Itaque cum Carolo Lanoio qui pro
 Cæsare summæ rei in Italia præerat, amicitia repetita,
 solemne fœdus percussit, his fermè conditionibus, ut
 ipse centum & triginta milia aureorum nummum
 Cæsarianis in stipendium numeraret: cõtrà uerò Pon-
 tificis ab ijs in recuperando Regio Lepidi iuuaretur,
 quòd Alfonsus Atestinus uti suæ ditionis, Hadriano ui-
 ta functo, per interregnum cum Ruberia oppido an-
 tea recepisset: Venetis autem intra certum tempus, fœ-
 deri atque amicitiae locus foret, si centum & ipsi milia
 nummum aureorum subsidij nomine persoluisent. At
 Alfonsus cui Clementis consilia admodum erant suspe-
 cta, & quòd Gallicarum partium semper fuisset, Cæ-
 sarianis se meritò iniusum esse meminerat, cù Lanoio
 pecunia perquam maturè transegit, ut sibi parceretur.
 Ita Lanoius repetente Regium Pontifice, atque auxilia
 ad id deposcente, alias atque alias moras necitare: &
 quoniam ea loca antiquius Cæsaris imperium commu-
 ni Italiae iure respexissent, præiudicare inconsulto Cæ-
 sare, nolle dicere; ac demum polliceri se medium atque
 adiutorem fore, ut ex æquo ea controuersia compone-
 retur. Cæsar enim rata habere noluerat, quæ Lanoius
 solemni fœdere pepigisset. quæ res in Pontificis Italo-
 rumq; omnium peccus altè descendit, quòd præbita & fru-
 stra demùm repetita pecunia, mirè elusus esse diceretur.

Interim Caesarianus exercitus ferme totus in Placentinum & Parmensem agrum in aestiua sese effudit, tanta rapiendi oblatas atque recõditas fruges & obuia quæque uexandi licentia, ut ex uillis uicisq; afflictorum agrestium querelis urbes completerentur: & mox frequentes earum ac oppidorum legationes ad deprecandam agrorum uastitatem, Romam usque peruolarent. Quibus de rebus deceptus Pontifex grauissimo animi dolore premebatur: at tum maximè castigabatur à Venetis, qui dudum ullam cum Caesarianis amicitiam, quæ auro coemeretur se inuituros constantissimè pernegassent: contrà multò amplio rem pecuniæ summam Caesari pollicendo, si ad certam rerum tranquillitatem, communi Regum & ciuitatũ omnium libertati & paci consuleretur. Eò enim Caesarianorum consilia spectare uidebantur, ut quum in Italia cunctis sibi foedere obstrictis, pacem atque ocium peperissent, totius mox Italiæ innixi opibus in Galliam rursus penetrarent. Nec deerant Borbonius atque Piscarius eius belli cupidine deflagrantes, qui irritos ad Masiliam conatus, atque ea festinati reditus detrimenta resarcire nobiliore uictoria cupiebant: qui Galliam Rege, ducibus, equitatu penitus orbatam, eamq; exhaustam pecuniâ, inopem consilij, & cunctis inusitata clade perterritis de salute dubitantem, in prædam uertere, atque subigere, neque magni neque diuturni laboris esse iudicaret. Qua demum subacta, nemo erat qui non eadem mox cladium & seruitutis incommoda deceptæ circumuentæq; Italiæ parari dubitaret. Nec multo post Franciscus impatientia carceris & presentium rerum necessitate con-

tate compulſus, incredibile alijs & ſibi anceps conſilium ſumpſit, ut in Hiſpaniam traditis Gallicis trirentibus ad Cæſarem perduceretur. Is ab initio cladis acceptæ Pontificem ac Venetos nihil de priſtina erga ſe uoluntate remiſſuros, retentoq; in Italia cum copijs Albanio Regulo moturos arma crediderat, quòd magnè intereſſe ad ſalutem libertatemq; omnium arbitraretur, ſi illi tandem & concepta conſilia, & paratas uires explicaffent: ſuique liberandi ſpecioſum in primis neque omnino difficile negotium fortiter ſuſcepiffent. Ea enim eſt ægrorum natura mortalium, ut quæ ſibi remedia ſalutaria fore prouiderint, non modò factu facilis eſſe, ſed alienis etiam rationibus magnopere concludere credant. Itaque Franciſcus inani perſuaſione deceptus quum Albanium cum exercitu ad Grauiſcas nauibus impoſitum, & Romæ demum cum Cæſare ſecundus publicè ictum eſſe cognouiſſet, cogitationes de Italicis auxilijs abiecit, & reliquam ſpem omnem in Cæſaris clemètia ac humanitate collocauit. Miſerat enim paulò antè ad eum Cæſar Hadrianum Beurenem Belgam ipſius gratia maximè florentem, cum leniſſimis litteris, nec omnino prægrauibus de pace mandatis, ita ut Cæſarem ſua ſpe mitiorem inuenturus eſſe uideretur. Erat tum Franciſcus in poteſtate Lanoij hominis occulto aſtu conſectaq; prudentia ualde inſignis; quam ſumma militaris imperij penes Borbonium eſſet, qui id munus liberali et generoſa quadam ſimplicitate Gallico more ſenſim uſurpari permiferat. Magnis igitur pollicitationibus cum Lanoio Rex egit, ut in conſilio primorum Ducum ac militum doceret Regem in.

securiorem custodiam Neapolim esse perducendum.
 Ceterum ea re facile impetrata, quum ad mare perue-
 nisset, alijs omnibus deceptis in Hispaniam cursum di-
 rexit. Timebat enim Lanoius nisi tantæ rei consilium
 egregia simulatione tegeretur, ne Borbonius atque Pi-
 scarius, quorum apud milites summa erat authoritas,
 institutam profectioem impedirent, adeo ut nullam
 ex turpi consilio inuidiam uereretur, ac illorum offen-
 siones omnino negligeret, modò sibi amplior gratiæ
 locus apud Cæsarem eo facinore pararetur; & Fran-
 cisci animum in spem ingentium præmiorum singulari
 beneficio deuinciret: Quãdo nihil Cæsaris animo atq;
 oculis optatius, nihil gratius, aut speciosius cunctis Hi-
 spaniæ populis fore crederet, quàm si clarissimum Eu-
 ropæ Regem eius maximæ gentis uirtute captum in
 Hispaniam ad triumphum ac sempiternam incompa-
 rabilis uictoriæ memoriam transportaret. Ipse quoque
 Franciscus altitudine liberalis animi sui, alienæ natu-
 re spiritus metiri solitus, si in conspectum Cæsaris de-
 ueniret, cuncta sibi protinus secunda atq; felicia despon-
 debat. In hanc spem & Vgo Moncata quem in Liguria
 apud Varagium ab Andrea Auria captum diximus si-
 ne pretio in Hispaniam per Gallias paulò antè fuerat
 dimissus, ut amicè atque solerter regiam causam tuere-
 tur, summæq; laudis & gloriæ in perpetuum paran-
 dæ facultatem Cæsari diuinitus oblatam esse prædica-
 ret. Is enim uir subtili iudicio ad amicitiam Lanoij se
 receperat, cæteris sermè omnibus Hispaniæ Regulis
 eam liuore atq; odio refutantibus. Quoniam Lanoius
 non illustri natalium splendore, nullaq; paulo insigni
 uirtute,

uirtute, sed una tantum assidua fidelis obsequij perseuerantia, uti peritus & elegans equorum domitor, ludorumq; magister, totum alienæ gratiæ locum, ambitiosius quàm deceret, apud Cæsarem occupare uidebatur. Interea quum sana esset, Regem in custodiam Neapolim classe perduci, & iam pars ædium Regiarū in Arce noua, ualidioribus clatris atq; repagulis Lanoij iussu firmaretur, Franciscus nobili comitatu Genuam, & mox in proximum Delphini portum deducitur, quod iam Gallica triremes solis remigibus instructæ Regis accitu peruenerant. Andreas quoque Auria cunctis prædonibus, & tum maximè Hispanis nauali uirtute terribilis, quum suas ipsius triremes in alienam potestatem, id postulante Rege, se traditurum negasset, fidem obsidesque dederat, se nequaquam Lanoio classiq; eius ea nauigatione nociturum. Itaque fortissimorum militum manu, quam ex suis cohortibus Salsedus, Corberia, & Sanctacrucius, Centurionesque alij delegerant, Cæsariæ & Gallicæ triremes complentur: nec multo post idoneum nacti uentum sublatis uelis in Hispaniâ cunctis inopinantibus prouehuntur. Ea re cognita, Borbonius atq; Piscarius ira ac dolore simul angustis, singularè cõtumeliam iniquissimè ferre, neq; lingua moderari, quin palam omnibus illū probris ac maledictis lacerarent, quod iura summi imperij, quæ penes Borboniū erant, incredibili arrogantia eludere nō dubitasset, & Piscarij existimationem ledere minime fuisset ueritus, cuius maximè ductu uirtuteq; Regem prælio superatum omnium opinione constitisset. Porro alijs de causis ea profectio Clementis Venetorumq; animos

commouit. nam quum retento in Italia Rege, de communi pace minimè desperarent, tum demum uerebantur, ne qui nimis celeri desperatione sese ultro traditis triremibus ad pedes hostiũ proiecisset, nouas periculosi consilij rationes insana libertatis cupidine sequeretur, malignitateq; & superbia inductus propter ueteres & recentes offensiones, cum Cesare ad exitium Italia conspiraret. At Franciscus remigio & lenibus uentis in Hispaniam de laus Barchinonæ Regali apparatu excipitur, atque inde, Alicanteram, qui Valentinorum est portus, legendo oram prouectus est; ut maiore demum compendio terrestris itineris, ad Cesarẽ ire pergeret, qui tum apud Toletum urbem omniũ Hispaniæ maximè mediterranean erat in æstiuis. Ibi Franciscus sinistro omine accepto, summum adiit uitæ periculum, quum milites, qui præsidio triremibus aduenerant, promissa stipendia flagitarent, consternatiq; ad arma Lanouum omnes infestis hastis peteret. Emissio namq; pertumultum maiore sclopetto, pila in marmoream columellam fenestræ coniecta est, cui fortè Rex auersus humeris innitebatur. Lanouus autem in proximos hortos se deiiciens celeri fuga & latebris iracundiam militum uitauit. Nec multo post conquisita pecunia, sedatoq; tumultu ad Madritum quod Mantuam Carpentanorum antiquitus fuisse putamus, non longè à Toletto terrestri itinere paucis diebus est perueniunt. Erat in eò tractu Didacus Mendocius Infantasiorũ Regulus splendore uitæ ac liberalitate magnis Regibus æquatus. Is Regẽ intra fines ditionis iter habenti incredibili apparatu, exornatis passim hospitij, perpetuis sumptibus

exceptit

excepit & aluit. Ea subinde Regali munificentia dona
 offerens, quæ neq; Franciscus à Cesare expectanda cen
 seret, neq; ipse si in Gallia incolumi regni fortuna esset
 aduenæ Regi daturus esse uideretur. In ijs enim erant
 complures equi militares longè omnium Hispaniæ ge
 nero sissimi argenteis phaleris, ac sericis instructi ephip
 pijs: mule item nobiles purpura^â constrata: præterea
 falconum insignium, canumq; omnis generis uenatico
 rum cum toto uenatorio apparatu, ipsiq; aucupibus,
 peritisq; uenatoribus delecta multitudo: lectorum ue
 rò tantum, pictarumq; stragularum & auleorum, iteq;
 uasorum cætrato argento in mensarum usum, ornatuq;
 amplioris abaci, quantum uel non captiuo regi satis es
 se crederent. Addidit Mendocius ad eam excelsi animi
 liberalitatem spectaculum non modò sibi & posteris,
 sed toti etiam Hispaniæ maximè gloriosum. Populos nã
 que imperio sibi subiectos militaribus instructos armis
 indiæta die in proximam uie planiciem euocauit, dige
 stosq; in cohortes & turmas decurrere iussit. Fuere su
 pra duodecim milia peditum & equitum, docuitq; Mẽ
 docius admirabundū regem multos esse in Hispania re
 gulos ipso admodum potentiores, ut non essent in ulti
 ma laude, si qui nec ordine primarius, nec opibus sum
 mus esset, non modò reliquos omnes superasse, sed i
 psum quoq; Casarem ad immensum liberalitatis speci
 men prouocasse censeretur. Franciscus tanto in hono
 re utique habitus quum omnia ad benignitatem Cæ
 saris cogitatione referret, uti iam de salute libertatē
 que securus magnopere letabatur. Madritum autem
 perueniens, ibi subsistere recreareque sese & Casaris

opperiri aduentum iubetur, quem longinquis intentū uenationibus intra paucos dies eò peruenturum esse confirmabant. At Cæsar rege in Hispaniam perducto, ipsoq; Lanoio incredibili alacritate suscepto, nequaquā ad altitudinem ingenij sui, contrā ac homines rebantur sed ad alieni iudicij arbitrium consilia reuocauit, non modò à presentibus amicis sententias rogādo, sed à duobus qui in Italia erant postulando, ut perscriberent, quid nam de captiuo rege statuendum esse arbitrarentur. Sub id tempus Borbonius dolore atq; iracundia in Lanoium incitatus ad Cæsarem peruenit: sed cū acerbius in presentem inuchendo querere tur, tantam sibi & Piscario infidelitatis suspicionem malignitate naturæ illius fuisse impositam: eumq; omnem uictoriæ fructum impudēter præripere conari dictitaret; Cæsar eo uultu uociferantes diremit, ut quæ Lanoius nimio erga se studio feliciter egisset, excusare uideretur, tamen si ea uictoria ipsius Borbonij auspicijs, Piscarij q; industria, & sanguine, fatentibus cunctis, esset comparata. Literæ subinde Piscarij sunt allatæ, eò Borbonij uerbis uerbe mentiores, quòd ab graui constantiq; ingenio singulari extimulato iniuria proficiscebantur: non modò enim periniquè seebat dignitatē suā ingrātè maligneq; lesam fuisse, sed se in manifesto salutis ac amittendæ auctoritatis discrimine relictum apud seditiosos milites merita stipendia flagitantes, qui in tanta uictoriæ licentia sibi & quæstoribus haud obscure cædem minarentur. Lanoium qui mederi malis posset, quoniā cogendæ pecuniæ certā haberet potestatem, cū astu parum uirili alios esset ludificatus, præcurrisse in Hispaniam, ut unus omnium

mniū premia ferret. Sed se nequaquā dubitare, quin i-
 pse Caesar uti optimo principe dignū foret, cūctos qui
 sibi eo bello fortem operam nauassent, premio affice-
 ret, ignauosq; pariter & infideles ultione & poena per-
 sequeretur. Caesar humanissimis literis Piscarium est
 hortatus, ut quæ Lanioius se quidem ignaro, sed è repub-
 lica fecisset, nullo liuore adductum fecisse, existimare
 uellet; atq; omnia uti præclarissimis factis meruisset, ex
 sua liberalitate expectaret. Tanta tum erat uis gratiæ
 Lanioij cum Cesare, ut ille non modò consuetudine iu-
 cundioris obsequij, eximioq; & semper fideli cunctis
 in rebus officio, sed occulta potestate benigni syderis ei
 coniunctus esse crederetur. Propterea sicuti per amplis
 honoribus atq; diuitijs ante alios exornatus abibat, ita
 eum uehementes inuidiæ fluctus suscinere, & se exqui-
 sitis aulæ artibus, ab his quos læsisset, tueri necesse erat
 ut tum accidit: nam Piscarius qui animum per se excel-
 sum, & omnis contumeliæ insolentē gerebat, eū prodi-
 tionis postulare, & singulari certamine indicto armis
 controuersiam finire statuerat. Eum alia quoq; pariter
 excrutiabant: nam cū iam à uictoria parta quintus mē-
 sis effuxisset, nihil omnino præter benignas epistolas à
 Cesare retulerat, quæ cæteris premia statuentē à La-
 noio deprauatū fuisse existimabat: nā Carpū in Mutinē
 si agro quod Alberti Pij fuerat, & Sorā paternæ ditio-
 ni finitimā, haud satis digna pro tot susceptis uulnerib.
 premia expectabat, potius quā petebat. Accidit quo-
 que quòd animum eius accerbissimè pupugit, ut Caesar
 Henricum Nauarræ regem, se redimere prohiberet,
 quem Piscarius bello captum ac se in libertatem oblati-

octuaginta milibus aureis uendicantem, custodia emit-
 tere cupiebat. iisdem fermè diebus in Gallia complures
 Reguli summæ authoritatis & in his præcipui Fran-
 ciscus Borbonius & Claudius Guisa Lothoringiæ prin-
 cipis frater consilia inibant, inuita etiam Ludouica Re-
 gis matre, ut cum Italis principibus sese consociarent,
 & si Franciscus Sfortia graui oppressus morbo, natu-
 ræ concederet, Maximilianum eius fratrem in pater-
 num regnum reducerent, transmisissq; terra ac mari
 auxilijs bellum gererent, ad exturbandos Gallia Cisal-
 pina Cesarianos, qui non modò Mediolani, sed totius
 etiam Italiæ imperium immodicis animis affectabant.
 Enimuerò & ad Galliæ salutem, & ad retinendam rei
 bellicæ existimationem tot aduersis contusam prælijs,
 pertinere putabant, si bellum quod sibi immineret in
 alienis potius quam suis regionibus renouarent: & li-
 bertatem Italiæ quantis maximè possent studijs atque
 opibus tuerentur. Sic enim res in Italia se habebant, ut
 cunctis ea recens uictoria esset formidabilis: quippe
 proximas quisq; Germaniæ uires metuebant, quas Fer-
 dinandus Cæsaris frater Mediolanensis imperij cupi-
 dus perleui momento exiguaq; pecunia impulsurus es-
 se uidebatur: & Hispanorum ingenia imperij auida,
 maximè suspecta erant, poenitebatq; omnes tãto studio
 tantisq; impensis incautè atq; imprudenter eas adiuuis-
 se partes, à quibus & sæua imperia & certa demũ ser-
 uitus forent expectanda: nisi tot collata beneficia con-
 uersis repente animis in summam iniuriã uerterentur.
 Ante alios Franciscus Sfortia retinèdi imperij cura an-
 xius multis sæpe iudicijs & pluribus haud obscuris cõ-
 iccturis

iecturis Casarianorum consilia nudarat, feceratq; periculum Caesaris erga se uoluntatis, quum per Thomam Maynum legatum suum, uti alijs antea acciderat frustra postulasset, ut paternum imperium confectis super ea re Augustalibus tabulis concederetur; sicuti antea foederatis Leoniq; praesertim Pontifici se omnino daturum esse Caesar promississet. Paratus erat Sfortia sexcenta aureorum milia certis pensionibus persolvere, urbes, copias, pacis, belliq; consilia ad authoritatem Caesaris conferre, & ducere insuper uxorem, quam Caesar ex usu rerum suarum probauisset. Ceteri quoq; Italiae principes, liberaeq; ciuitates id maxime praestari a Caesare cupiebant, ut si nullum in Cisalpina Gallia praepotentem grauemq; accolam haberent, uti ante Gallum sensissent, libertati Italiae & rerum omnium quieti, exequatis omnium uiribus, opportunè caueretur. Erat eo tempore apud Franciscum Sfortiam diuturno atq; difficili morbo implicitum Hieronymus Moronus consiliorum rerumq; omnium moderator intima familiaritate Piscario coniuictus propter eximiam authoritatem ac industriam in regendis Insubribus, cogendaq; maxime pecunia singularem. Is cum saepius colloquendo Piscarium de causis quas supra memorauimus, animo aegrum esse deprehendisset, sibi occasionem dari existimauit, qua illum a Caesare penitus alienaret, in partesq; traduceret ut eius demum auspicijs Italia omnis non modo praesenti metu atq; periculo eriperetur, sed eiectionis externis gentibus pristinae libertatis decus reciperet. Sic enim Venetorum Florentinorumq; & summi Pontificis animos habebat exploratos, ut eos quicquid ipse uel suo pte inge-

nio moliretur, modò publicã respiceret libertatẽ pro-
 baturus esse cõfideret. Igitur Moronus acri ingenio &
 erudita facundia fretus Piscarium in eos opportunè in-
 gressum sermones remotisq; arbitris in penitiore cubi-
 culi partẽ deductum, his uerbis allocutus est: Nisi in-
 uidia ueræ uirtutis comes, qua nũc inuicte Dauale cir-
 ciuentus opprimeris, ijs qui eã patientius contẽpserint
 ignominia & mox exitio foret, nequaquã mihi hoc mune-
 ris temerè desũpsisse, ut consiliũ tibi afferrẽ cum saluta-
 re in primis, tum usu longè speciosissimũ atq; optimum:
 Id enim perpetui studij ac amoris erga te mei fructum
 egregijs operib. tuis dignũ ostendet. Neq; uereor, quæ
 tua est à nobili ingenio prudẽtia singularis, ut consiliũ
 quod amicus cunctis spectatæ fidei ac industriæ officijs
 tibi coniunctus, nec omnino rerũ imperitus obtulerit,
 aut statim improbes, aut superbe fastidias, quando nihil
 ab homine præstantius dari potest in arduis reb. quàm
 fidele consiliũ recta & exquisita ratione cõfirmatum.
 Illud enim sæpius benigna tractuq; facilis Fortuna sub-
 sequitur, & excellens plerũq; uirtus alieni consilij lumi-
 ne indiget, ut maxime fiat illustris. Te tuus ingentis ani-
 mi uigor maxime Dauale, uixdũ pubescentem domo e-
 duxit, cruentissimoq; simul prælio & grauissimis obie-
 cit bellis, non modò ut familiæ uestræ noua adderes de-
 cora, æmulationeq; uirtutis patris, patruiq; memoriam
 renouares, uerũ ut cæteris omnib. qui arma tractarint
 perpetua rerũ gestarũ laude superatis, omni uel maxi-
 mo honore dignus habereris. Sed incredibilis diuinæq;
 uirtutis tuæ præmia, diuitias, triũphos, imperia, quæ ti-
 bi nunc meliøre fato destinamus, fortasse in longo uictoria-
 riarum

riarum cursu percepisses, si tibi benigniore sorte, in
 ipsis Caesaris oculis, cum tuo alienoq; sanguine esse cō-
 spersus, urbes manu capere, magnos funderet exercitus
 & deniq; reges uirtute tua superatos, & captos, alieno
 in triūpho ducendos præbere contigisset. At longū tibi
 est hoc expectare fructus, quos iam æmuloꝝ inuidia in-
 festusq; liuor penitus interceptit. Militaris nāq; uirtus
 tametsi suis aliquandiu floreat operib; celeriter tamē
 obsolescit, nisi amplissimis nobilitata præmijs, in præ-
 clara honoris sistatur luce, & ab ipsa principis liberali-
 tate, quæ sæpius imperitoꝝ iudiciū ducit, uerā cōmen-
 dationē accipiat. Falleris si eum esse Caesaris captū exi-
 stimas, ut sigillatim intelligat & agnoscat quæ per qua-
 tuordecim annos inter summas rerū omniū difficulta-
 tes eximia fide, felici ductu, & fortissima dextera cōfeci-
 sti. præoccupatū ille, qui Italiā non uidit, à Belgis suis,
 quib; unis maximè fauet; animū gerit adeo, ut tota ge-
 mente Hispania, omne quod est regio in animo auitæ li-
 beralitatis specimen mille artib; auertant; auari, impo-
 tentes, suspiciosi, alienæ spei & gloriæ ex occulto semp
 insidiantur. Sic tantis reb; gestis, neq; tibi Sora tuis insi-
 nuata oppidis, neq; Carpū multo tuorū sanguine partū
 dono dantur. Et Rex Nauarræ graui rationū tuarū in-
 cōmodo, pecunia se redimere prohibetur. Cū iam alij
 Lanoio similes plura quā cuperent, omnino retulerint
 Adhæc clam abducto Rege Gallo tibi suspectæ fidei i-
 gnomina barbara fraude cōflatur, & sediosis subinde
 militibus deficiente in stipendium pecunia, aut truci-
 dandus, aut antiqua existimatione spoliādus obijceris.
 Nescio per Deos immortales quid tibi in altera belli

fortuna sperandum fuerit, postquam tot ingentes per-
 petuæq; uictoriæ nihil præter grāde æs alienum domi,
 & non mediocrē foris infamiā omnino pepererint. Cū
 exercitus à Casare stipendio fraudatos quin socias ur-
 bet diriperent, agros crudeliter uastarent, prohibere
 ulla imperij seueritate nequiueris. hæc omnino uera es-
 se amici tui confitentur: nisi illud os probum ad gloriā
 multiplici plaga deformatum, & uenas in hunc pallorē
 sanguine exhaustis in quota præmiorum parte censer-
 das putes. at si gloriam uel penitus nudam tanto peri-
 culo sectaris, & uera esse existimas, quæ post mortem
 de caelesti præmio, ac inferorum pœnis traduntur, no-
 men profectò tuum non in sublimi modò uerissimæ glo-
 riæ, sed amplissimæ etiam Fortunæ fastigio erit colloca-
 tum, si in Italia natus, Italicæ libertatis assertor glorio-
 sus, quàm in hac luctuosa seruitute externorum mini-
 ster ignobilis & inuisus esse malueris. Italis nanq; prin-
 cipibus in animo situm est, tueri armis libertatem, quæ
 iam planè omnibus sensim eripitur, excutere externa
 gentis iugum, ac uno deniq; consensu sese Italiae rebus
 quietem securumq; ocium parare. Te unum omnes cū
 uirtutem tuam cum summa felicitate coniunctam admi-
 rentur, pulcherrimi facti auctorem ducemq; deposcūt.
 Egregium facinus sempiterna sequetur laus. Facilis
 uerò exploratæque uictoriæ exitus, & regnum tibi o-
 pulentissimum, & maximum militiæ imperium da-
 bit. Te enim Veneti ac Florentini fauentibus Gallis
 & Heluetijs Pontifexque ipse certissimo iure Neapo-
 li Regem constituent. Id enim Casaris esse non po-
 test uetante antiqua pontificū lege. Nec Ferdinādus ui
 fraudeq;

fraudeq; occupatum nepoti legitime legauit, quum Ferdinandus Aragonij Federici Regis filij, qui in Hispania custoditur, nomen personamq; respiciat. Idcirco quales quatasq; uoles copias, classes, commeatus, pecunias celerrime comparabunt, signaq; gentium omnium quondam uictoris Italiae auspiciato in tua manum uirtute fideq; praestantem tradent. Hispani quum iam exactis stipendijs Caesaris sacramento minime teneantur, magna ex parte tuam sequentur auctoritatem: Ceteri Germaniq; incolumes domum abibunt, nisi uim consentientis Italiae, & te hostium Imperatorem experiri uoluerint. An non te Neapolitani summo populorum procerumq; studio, Neapoli natum educatumq; & cunctis propere regni Regulis affinitate coniunctum tantae spei tantaeq; uirtutis Regem excipient? Erige illos in gentes spiritus, ut omnis inuidia una animi magnitudine superetur, & de fortuna tua arbiter factus fortiter decerne, ne semper inuidisse propriae uirtuti uideare, postquam meritis tuis ad amplissimum decus secundiora Fata uiam inueniunt. Piscarius ubi haec audiuit aliquandiu constitit immotus, ut pote qui animum rei nouitate magnitudineq; suspensum huc atq; illuc delibebundus impelleret, non ignarus cunctas uirtutum omnium laudes, uno maxime perfidiae crimine defoedari, neq; uulgum ullas demum excusationes recipere, etiam si ab honestissimis causis iustoq; dolore profectae uideantur; quoniam cunctis natura mortalibus perfidiae nomen inuisum sit, & execrandum, nec quisquam excelsi animi Dux quod uirtus dare posset, scelere atq; perfidia unquam petiuit. Sed spes amplissima regni facile

potiundi ob quam nonnulli plerunq; integro pudore humana atq; diuina iura uiolari posse arbitrantur, uindican-
dicandæq; iniuriæ aduersus ingratos cupido ingens animum ad præalta quæque natum magnopere stimu-
labant. Itaq; molli sermone uultuq; ad omnem animi candorem exprimendum ualde composito, de eius erga se insigni amore nunquam dubitasse respondit, idq; tum maximè perspicere, quòd spes suas inter sordes inuidiæ, curarumq; proiectas, tanto oblato mutere penitus erexisset. cæterum se nequaquam salutem atque existimationem suam in summum discrimen temere uocaturum, nisi planè cognitas ex literarum fide principum haberet uoluntates, ut illi eadem se præstatorios pollicerentur, si ipse tantū facinus animo ac manu erigendum suscepisset. Sed antè omnia se nosse cupere, qua lege, quoq; iuris documento autoritateq; adduci posset, ut sine ulla proditionis infamia summæ admirationis negotium suscipiendum putaret, quando nihil unquam fide antiquius habere esset solitus, utpote qui ignominie atq; dedecoris metu, maximis humanæ fortune commodis ingenuè repudiatis, semper gloriæ ac laudi, bello paceq; studuerit. At Moronus Piscarij animum omnino inclinatum ratus ea quæ agitare Pontifici & cæteris cõfestim perscribit: mittiturq; Romam Dominicus Saulius Genuensis graui eruditoq; ingenio uir, ac ob id de publica libertate maximè sollicitus, qui cœpta explicaret consilia, ipsumq; Pontificem & Gilbertum unicum consiliorum rerumq; omnium ministrum ad ea audenda uehementer accenderet. Eo audito, Clemens tametsi Cæsarem non oderat, haud mediocri ta

diocri tamen leticia est affectus, quod occasionem mi-
 ninè contemnendam aliena cum inuidia sibi oblatam
 uidebat, Italia in perpetuum liberandæ, postquam Pi-
 scarius amplissimæ authoritatis atq; peritiæ Dux, si-
 biq; multis officijs ac amore coniunctus non modò de-
 traheretur Cæsari futuro hosti, sed adiunctus præposi-
 tasq; partium copijs celerem atq; exoptatum susceptis
 consilijs finem daturus esse uideretur. Tantam enim in
 eo pugnacis animi uim inesse omnes intelligebant, ut
 nullo alio Duce, uel Cæsarem totius Italiæ seruitutis
 metu bellum cientis impetum sustinere, uel Italos cie-
 ctis externis gentibus sese in libertatem uendicare pos-
 se existimarent. Quum Pontifex in ea cogitatione uer-
 saretur, Gibertus futura plerunq; magnis in rebus di-
 uino animo præsentire solitus, nulla ratione adduci po-
 terat, ut de Piscario ea crederet, quæ illum Moronus
 & Saulius haud dubiè præstaturum esse confirma-
 bant, monebátque Pontificem ut eas cogitationes pe-
 nitus abijceret, ne reliquæ spes tutioris consilij corrup-
 perentur, si se eò imprudens demitteret, unde si decipe-
 retur, nullus nisi difficilis aut fœdus omnino receptus
 foret, quando ipse ante alios Piscarij mores abundè
 nosset, & quales quantosq; is spiritus contecto gra-
 uiq; animo gereret, pacis & belli tempore fuisset ex-
 pertus. Placuit ut per spectata fidei hominem Pisco-
 rij animum certius explorarent, Itaque priusquàm Sau-
 lius ab urbe proficiscatur Montebonium Romanum
 Giberti familiarem magnis itineribus ad Piscariũ mit-
 tunt. Eius hæc erant mandata, ut secretò illum aggre-
 deretur, oraretq; ut ea consilia sibi nudaretur, quæ ini-

ta esse Moronus & Saulius significassent, eundem gerente animum speiq; parandi regni fortiter innitenti, omnia summa ad id auxilia quæ ab insigni studio amoreq; expectari possent, cumulatè polliceretur. quòd si ab his nouandis rebus aliena mens esset, atq; ea, quam teneret, dignitate foret contentus, tum arctissimè obsecraret, ut eius intimi consilij arcanum sibi ingenuè fateretur: idq; accepta fide, concederet cum ueteri amicitie tum Pontificiæ maiestati, ne si fallaci ratione inductus improuidè animum hostilem ostenderet, quod pro amplificanda ipsius dignitate maximè esset factururus, cum Cesare inexpiabilis odij semina iacerentur. Piscarius Montebonio Ticini conuento respondit, eandem ipsius ac summam omnino esse uoluntatem, ut concordie Italiæ & publicam omnium libertatem spectanti, labore industriaq; non desit, nec se Regnum in præmium nauatæ operæ, postquam id eorum benignitate offerretur, repudiaturum esse confirmat. Id se tantum requirere, ut à peritis iureconsultis doceretur, quibus nam legibus Pötificem Neapolitano in regno iure potiorem esse censerent, ut qui certa eius regni procerum consuetudine, in uerba Cesaris antea iurarit, ueluti religione solutus, si leges id iubeant, supremi atq; augustioris domini sacramentum respicere cogatur, quãdo id ab ipso Cesare ueluti beneficiarium annuo tributo agnosci uideatur. His acceptis Montebonius eadem celeritate ad Urbem recurrit, Piscarius quòd saluti Italiæ dignitatq; suæ præclarè consulat magnopere commendatur, Accoltus Cardinalis, & Angelus Casius iuris peritia & forensi industria maximè insignes excusis humani ac diuini

ac diuini iuris authoribus Pontificis iura disertè perscribunt, & ad Piscarium mittunt, & Pontifex cum Venetis Moronoq; explicatis eius consilij rationibus de bello consultat. Interim Piscarius generoso & constanti ingenio si Cæsarem, contra autem parum sincero, si Pontificem respiceres, rem totam ad Cæsarem perscribit. nec tamè intermittit, quin multa tractâdo ac utrinque consultando, præclara simulatione usus & Pontificis & cæterorum animos propinqua spe patrandæ rei semper aleret, ut per eas moras occultè gerendi belli rationes & penitiora consilia penitus elicerentur. Nihil enim dedecori sibi futurum putabat, nec malignitatis infamiam ex tam atroci facto uerebatur, tanetsi Clementem in altissimo sacrosanctæ authoritatis atque potentie gradu positum uiolato amicitie iure offenderet, cæterosq; omnes deciperet, modò excellens ipsius fides ac tum maximè eo graui periculo comprobata, & fortis simul opera Cæsari præstaretur. Per hunc modum mirabili astu Pontificem atq; alios aliquandiu ludificatus, quum interea Germanorum Hispanorumq; præsidia circa urbes alias effingendo causas opportune disposuisset, consilium suum detexit, Moronumq; ad se Nouariam euocatum nihil tale suspicantem comprehendit, & Ticinum in carcerem Antonio leuæ & equitibus ducendum tradit: Ea re per tabellarios militibus in omnes partes celeriter significata, singulæ urbes uti conuenerat, sine uulnere binis cohortibus occupantur. Franciscus Sfortia, qui Mediolani in arce ægrotabat uti proditiõnis author aut conscius accusatur. Ille ignominiam atq; iniuriam deprecaturus sese ægrum

de salute prope desperantē ullius flagitiosi consilij fuisse participem negat, ut eius causę iudicium Cæsari relinquatur, petit, & mittendi ad eum legati potestatem sibi dari postulat. Nec multo post ut innocētiam suam cōstātī fiducia & liberalitate testaretur totius imperij arces flagitante Piscario, tradit. Porrò Cremonensem arcem & Mediolanensem sibi retenturum dicit, ne ante iudicium à Cæsare peractum indicta causa totius imperij possessione penitus exturbetur. At Piscarius quod maximum in occupandis his arcibus momentū ad frangendos conspirantium animos esse intelligebat, postquam pactione ac minis ullisue artibus sfortiæ animus capi nequibat, eas circumvallare atq; obsidere constituit, existimans in tanta repentini casus perturbatione necessarijs com meatibus repleri atq; muniri minimè potuisse. Proinde custodes haud multo post rerum sensuros inopiam atq; ita munitissimas arces, inedia coactos, sine ullo exercitus sui incommodo facillè dedituros. Dum hæc incredibili solertia celeritateq; à Piscario administrantur, Pontifex & Veneti uix animo dolorem atque ignominiam sustinebant, quòd incautè uiri longè prudentissimi, summi negocij cogitationes incertę hominis fidei commississent. Inde enim omnes plañè interpretari subortas esse magnas suspiciones mutuis auctas offensionibus quę nec renouatis etiam foederibus extingui possent: propterea bellum maximè atrox parari, si Cæsar & suorum omnium hortatu & recenti contumelia concitatus Italię imperium animo agigaret, & Itali libertatem coniunctis opibus tueri niterentur. Sed tum maximè Italię circumuentę miserabilem,

serabilem, ac sempiternam imponi seruitutem uideri, si rex Gallus, ut sese in libertatem uendicaret, ad exitium Italiae conspirare cogeretur. Quibus sermonibus fiebat ut per Italiam Piscarius in ore omnium alterutra sui fama frueretur, quum eas, quas Itali metu seruitutis contumelias ingererent, ex aduerso externarum gentium duces ad pulcherrimi facti decus, & laudem referrent. Sed dum hæc Piscarius diligenter aduersus omnes hostium insidias administraret, Cesari perscribebat, nihil se pacatū ab insensis sibi animis Italiae Principum expectare posse: propterea sibi in animo esse, Placentiam Parmamq; illato repente bello in potestatem redigere, nec ex periri uelle periculosa atq; ignobili mora, an illi ex aequo, & iure, aut armis controuersiam de Mediolanensi imperio finire uellent: se non dubitare quin aliquando cōsociatis uiribus magnum & crudele bellum pararent. Proinde imparatos adoriri, feliciq; celeritate eos persequi præstare, quam eorum impetum qui tarditate consilij indefessoq; trahendi belli studio ualescerent, opperiri. Interim dum Piscarius Sfortiam obsidet, & de summae rei consilij Cesarem monet, Franciscum Regem uehemens morbus ex animi dolore conceptus adeo acerbè apud Madritum afflixit, ut in diuina potius ope, quam in humanis auxilijs eius salus posita uideretur. Suspensum enim dubia spe alienæ clementiæ, & ancipites cœpti consilij rationes ægro animo uolutatē Cesar amplius duos menses fuerat frustratus, alias atq; alias moræ causas afferendo, adeo ut eius aduentus nequaquam iustis impediri occupationibus, sed quadam parura benigna

cunctatione differri uideretur. Sperauerat enim Cæsarem liberali ac prorsus regia comitate in colloquium & complexum protinus esse deuenturum: atq; unius horæ memento extinctis ueteribus odijs, initurum amicitiam, ultro etiam quæsitâ affinitate, adiectoq; in super nouo fœdere, quod honestissimis conditionibus pararetur. Namque sæpe accidit miseris & graui aliqua afflictis calamitate, ut ad ueniam salutemq; impetrandam faciles secum ineant rationes, & in æstimatione suæ causæ, alienæq; uoluntatis magnopere sibi blandiantur. Itaq; Cæsar quanto ille animo, spæq; deiectus in uitæ perico uersaretur, certior factus, omnibus alijs postpositis rebus, ad eum celeriter contendit. Tum uerò ex mutuo conspectu & perhumana Cæsaris salutatione uidere licuit, quantum animi fomenta ad subleuandas corporis uires, cuncta medicæ artis remedia, præsentî potestate superarent. Nam ubi hylariter assidens Cæsar erigenti sese in puluinar arterias & collapsos artus blâda manu molliq; sermone permulsit, & dubiæ mentî certæ libertatis spem dedit, extemplo languentes uenæ uitali spiritu repleti sunt uisæ, ac os pallidum ueluti natiuo colore inuecto excitatisq; oculis, mirum in modum recreari, ita ut sensim depulsis acerbioribus morbi difficultatibus, paulatim haud multo labore sanaretur. Venit etiam peropportunè ad eum è Gallia Margarita soror, ut captiuo & egrotanti fratri supremum pietatis ac amoris officium præstaret. Ea Alanco mortuo uidua, sine ulla prole remanserat, etate formâq; & mira altitudine ingenij cùm Regi imprimis tum Gallis omnibus cara & amabilis. Iamq; uulgo eam homi

eam homines communis concordie causa, uxore Borbonio destinabant, sicuti Eleonora Cesaris soror, que Emanuelis Lusitaniae Regis uxor fuerat, Francisco Rege in matrimonium despondi uidebatur: sed tum Cesaris animum contraria suorum studia maxime distrahebant, ijs diuersa omnino suadetibus qui magni usus in consilijs habebantur, ac eximiam fidei atq; prudentie opinionem apud eum obtinebant. Lanouij Belgarumq; omnium ac ipsius praesertim Piscarij una atq; eadem erat sententia, ut aliqui de grauioribus postulatis Francisco remitteret, eumq; sibi foedere ac amicitia consociaret, ut totius Galliae facultatibus ad euertendas Italiae respublicas uteretur. Italos qui eius amplitudini et glorie penitus inuiderent, & consilia perfidie plena aduersum se maligne semper agitarent atroci bello perdomandos, ut ab Alpibus ad fretum usq; Siculum cum etiam Cesaris nomen & ueteris Romani imperij maiestatem respiciant. Porro Franciscum Galliae imperio contentum fore renouati toties improspere belli pertesum, nec respecturum Pontificem ac Venetos quos ipse & insensos hostes & parum fideles socios omnibus bellis esset expertus. Addebant Italiae opes infinitas esse priuatim; publice uero nullas propter incredibilem factionum insaniam; nec opportunum consensuros unquam Italos, nec eorum uel ingentem multitudinem Germanis Hispanisque militibus ueteranis peritia atq; animis parem fore: his accesserat militum uulgus & praesertim Hispanorum; nam promptissimi quique ex certa propemodum Italici belli uictoria urbium ac oppidorum imperia ingentemq; ex opulentissimis gentibus

prædam sibi animis destinabant. Hæc unus ante alios
 minimè probabat Mercurinus Epistolarum magister
 honesta & salutaria prudenti consilio semper afferre
 solitus. Is multo honestius ac speciosius Cæsarem digni-
 tati & cōmodis cōsulturū ostendit, si sua prius quam
 aliena appeteret, ut æquum esset, recuperanda cense-
 ret. Burgundiam à Gallis fraude potius quam armis
 occupatā ante omnia bello aut pactione recipiendam
 uideri, neq; antè imprudenter Gallum Regē quem iu-
 re belli captū teneat, debere dimitti, quā totius Bur-
 gundiæ urbes atq; arces in potestatem redigantur, quē
 bus semel receptis finitimam Galliam repentini belli
 metu perpetuo sibi obnoxiam, & pacis legibus obtē-
 peratē fore: At si inani ac intempestuo nouæ gloriæ
 nomine duceretur, Regeq; in libertatē restituto, ea om-
 nia ex eius liberalitate se adepturū cōsideret, sensurū
 illico Gallicas fraudes; ipsumq; Franciscum modò Gal-
 liæ saluti amplitudinēq; prospiciat, absq; ulla uiolatius
 risurandi uerecūdia defecturū. Quod si Italiā, uti æ-
 quisimus atq; optimus Cæsar, seruitutis metu liberet,
 omniumq; suspicionū auctioris spe cōmodi penitus o-
 bliuiscatur, populosq; & ciuitates nō ui ac impotentē
 bus armis subactas, sed amore naturali, ac libera obli-
 gatas fide, sibi fœdere studioq; cōiūgat, tū Gallis omni-
 bus animos illico concasuros. Qui si nihilo secius stoli-
 da ac exitiāli obstinatione aliena reddere recusarent,
 tum demum, quod præclarum esset, uictoria uteretur,
 & totius Europæ adiutus auxilijs, binis mari cæs-
 bus & terra tripartito exercitu Galliam inuaderet.
 Tum uerò emititi Regem placere & eum Austriæ do-
 mui

mui affinitate nouoq; fœdere copulari. Inde demũ om-
 ni exutus cura, qui solide gloriæ ac Dijs atq; homini-
 bus abundè satisfecerit, Romam pergeret ad diadema
 Augustalis imperij de manu Sacrosancti Pontificis ac-
 ciendum: per totam longitudinem Italiæ effusuros
 sese populos omnes coronatos & alacres, ut quem o-
 ptimum clementemq; præfererint, ut felicem ac inuic-
 tum salutent, & de toto uictoriarum cumulo trium-
 phantem cupidissimè uenerentur: incessura esse Cæsa-
 ris agmina, per uias floribus & tapetibus stratas, cõ-
 lectas uelis, inductisq; passim fontibus irrigatas, Regu-
 los inter se & ciuitatescũ proximis splendore, studio,
 & incredibili maximè hospitiorũ benignitate certatu-
 ros; iret modò pacatus & lenis, & cæca formidine na-
 tas ad libertatẽ Italiæ gentes exolueret, animos certè
 omniũ ultero collatis opibus atq; tributis nomini Cæsa-
 ris haud dubiè seruituros, si se in libertate conseruatos
 eius uirtute conspexerint. In hũc sermè modum quum
 liberè in consilio sæpius esset disceptatum, Cæsar mo-
 deratis rationibus cuncta expendens eum consilij cur-
 sum tenebat, ut repetita Burgundia & impositis his
 cõditionibus, quæ iure belli capto haud multũ iniquè
 uiderentur, Regem omnino dimitteret, quasi nunquã
 à solenni sponsione dataq; fide discessurum. Nam sicu-
 ti cum inhumano carcere perdomare, atque interim
 Burgundiæ & Gallie bellum inferre, propugnante
 præsertim fœmina, quæ esset ex infelicitate filij perpe-
 tuis lachrymis & dolore confecta, neq; magni & e-
 qui, sed feri potius ac impotentis animi fore prouide-
 bat, ita summæ stoliditatis arbitrabatur ad cõmodum

parandæ amplissimæ dignitatis atque potentie, uti nolle tantæ uictoriæ beneficio, quæ grauissimis rerum suarum periculis cum fœda conturbatione & uastitate prouinciarum esset comparata: quando nihil magis quàm sua, & Burgundiam in primis repeteret, quam proauo Belgarũ Principe ab Heluetijs acie cæso, Galli nullo iure inducti armis per occasionẽ occupassent. Verùm non deerant qui mediã sententiã ueterũ exemplo prædamnarent, quoniam eo parum salubri temperamento, neq; hostem satis uehementer ulcisci, neq; amicum egregiè parare diceretur. Cæterum Piscarius assiduè dabat operam ut à Francisco Sfortia arcis deditiõne expimeret, omni uerborum lenitate ostentando Cæsaris æquitatem, ac simul operam & studium suum prolixè pollicendo. Quasi Cæsar insonti & malignè delato, causa cognita, nõ modò redditurus esset urbes & arces; uerùm etiam ad firmiores imperij spẽ, solennia principatus ornamenta collaturus, si totũ eius calumniæ momentũ in eius fide & iudicio liberali quadam fiducia reponendum censeret. Sed Sfortia quam pertinaci ualitudine uehementer esset afflictus, neq; lenioribus uerbis neq; ulla denũciatione periculi deterreri potuit, quominus salutari constantia in proposito retinendæ arcis permaneret, & sepe Deos innocentiæ suæ testes inuocãdo quereretur, se insontẽ & supremo uitæ periculo implicitũ, perimiquè & crudeliter obsideri, ac ereptis omnibus diuini ac humani iuris præsidijs acerbissimè, uti iam planè maiestatis crimine conuictus & prædamnatus, paterni atque auiti principatus possessione deturbari; quum nec sibi, com
muni

muni iure gentium potestas relinqueretur appellandi
 Cæsaris, & legatos ad deprecandam iniuriam & di-
 cendam causam in Hispaniam mittendi. At Piscarius
 ubi obstinatè perseuerantem ullis pollicitationibus ne
 quit flectere, ad arcem arctissimè obsidendam se con-
 uertit. Itaq; omnes aditus intenta custodia obseruare,
 nemini ingressum aut exitum præbere, aduocata Me-
 diolanensium concione hortari principes ciuitatis, ut
 reum maiestatis desererent, & Cæsaris maximi & æ-
 quisimi principis auspicia sequi uellēt, donec ipse col-
 latis indicijs causā præclarè cognosceret, & tota lis,
 uti iura postularēt, Cæsaris arbitrio finiretur. Hæc a-
 gitantem & ex longa tabe tenue corpus immenso illi
 animi uigore uix sustententem mors oppressit, assiduo
 aquæ potu, & multis, maximè bellicis laboribus, atq;
 uigilijs quesita. Eius funus uti unici Imperatoris mili-
 tes graui & diuturno luctu celebrarunt, adeo ut quæ
 uexilla alarum atq; cohortium atrati duces & signife-
 ri ornando eius sepulchro dedicarent, pro his colore
 uarijs insignibusq; distinctis nigra omnia ad summi
 doloris indicium sumerentur. Obijt inuictus in me-
 dio ætatis flore, uti iam senex multitudine ac pondere
 uictoriarum fessus, ea hominum opinione, ut si ei fata
 iustum uite spacium amplioresq; exercendi imperij fa-
 cultates concessissent, ueterum uel maximorum ducū
 gloriam haud dubiè fuerit æquaturus: nemo enim co-
 grauius atq; prudētius de toto belli genere iudicauit:
 nemo incerta casuum felicius ad consilium uertit: ne-
 mo in acie contemptius pericula despexit, aut omnino
 pugnaui ardentius. Moriens dum conderet testamen

tum ueluti ad exoluendam religionem animū supremis precibus Cæsarem per literas obsecrauit, ut Moronū incolumem carcere emitteret, quòd ei ad se uenire dubitanti recusantiq; ut omnino non caperetur per epistolam fidem dedisset. Fuere qui existimarent, Piscariū ab initio tantum facinus non fictis exceptum auribus ad animum facile transmisse, tant. e. q; rei iudiciū aliquanto tardius quàm oporteret, ab ipso ad Cæsarem fuisse delatum, adeo ut inimici cum non obscuro parū sinceræ fidei onere premere conarentur, quasi id totū ambigui & nutantis animi crimen, quod statim præclara ac expedita animi probitate exhorrescere debuerat, ab longa demum deliberatione propter infamiae timorem, poenitentia diluisset. Dicebant enim, Piscarium ab tantæ rei consilio se tum primū recepisse, quum Sigismundus Sanctius Alberti Pij Carpenensis familiaris qui initi inter Principes obsignatiq; foederis tabulas deferret, in Galliam mitteretur, ueritum scilicet ne Ludouica captiui Regis mater bellum perosa tanquam Galliae semper funestum pietate mollitieq; animi inducta, ut maturior filio libertas impetraretur cuncta uti agitata conscriptaq; erant, muliebri ingenio per filiam quæ erat in Hispania Cæsari propalaret, atq; inde Gallica auxilia inchoato demum bello foederatis negaretur. Sed Sigismundus ad Reticas Alpes contendens in agro Bergomate iuxta Sebinum lacum à latrone hospite eripiendi auri causa crudeliter interfectus, peruenire non potuit. Sed nondiu post magno casu, detecto punitoq; latrone, bulgæ cū scrinio, & literis incolumes repertæ sunt, quæ transmissæ uenturæ

nettas & Senatū & Clementem Pontificē graui sollicitudine liberarūt, quū anxij animis Sigismundum insidijs Caesarianorum interceptum suspicarentur. Verū ad resellendam inimicorum calūniam, liquidō constat, cuncta ordine ab ipsis sermonum initijs Caesari fuisse enuntiata, uti mox ipse Piscario iam mortuo publicatis recriminationum libellis, quibus Pontifici de belli causa respondebat, abundē testatus est. Sed & illud peritos rerum plurimū mouet, ut nihil indignū de Piscarij fide temere credatur, quum Caesar ad declarandam animi sui propensionem erga Piscariū, ei uti de se benemerito uexillum & sceptrum supremi militaris imperij cum amplissimis codicillis continuō miserit, quae profectō si de fide dubia in suspensionem fuisset adductus, nequaquā tribuisset, ne stultissima ratione ei, qui iam animo esset offenso alienatoq; , maximā nocendi facultatem in eo rerum discrimine praeuisse uideretur. Caterum haec Itali Principes in inuidiā Piscarij facile spargebant, quum se à uiro Italo malignē traductos atq; deceptos magnopere quererētur, quōd commissā eius fidei consilia Caesari ad Italia imperiū aspiranti prodere, & ingentis belli semina iacere minime dubitasset: ut, cum aliena iniuria incorrupti & constantis animi laudem apud externas gentes compararet. Alij æquiore iudicio ferebant, Piscarium quum didicisset Franciscum Sfortiam tenacissimis febribus consuetatum ad multos dies uim morbi non esse toleraturum, nouis consilijs animum adiecisse ut si Sfortia fato concederet, ipse protinus Mediolanensi imperio Caesaris nomine potiretur: quoniam multo honestius

Et tutius forent in procuratione amplissimæ ditionis, cū militari imperio Mediolani præsidere, quàm Neapoli Regem conspici, cum ea apud Hispanos, atq; Germanos incertæ fidei suspitione, quæ tot præcellentium uirtutum decus obscuraret. quum pleriq; etiam ciues Neapolitani uetustate atq; opibus superiores, qui præclaram uirtutem in censu minimè numerarent illud conspicuum nobilissimorum Regum diadema, in instituti ciuis capite nisi malignis et turgentibus oculis uix essent conspecturi. Non uidetur hoc loco præmittendum quod de Piscarij uxore Victoria Columna incomparabilis ingenij muliere, certa et constanti multorum fama audiuius, ne ea scilicet quæ cuncta alia præter decus facillè semper contempsit, merita laude fraudetur. Ad primum enim agitati eius consilij rumorem ita ex horruisse dicitur, ut continuo nequaquam muliebri ambitione uel tanto regie fortunæ titulo pellecta id munus castis auribus repudiaret, uiriliq; prorsus et graui ratione eas spes uti nefarias, uel certè parum decoras protinus abiiciendas iudicaret, et subinde uirum alias sibi rerum omnium consilia communicare solitum per literas quas sublimi cruditoq; ingenio perscribebat etiam atq; etiam precaretur ut pristinae uirtutis memor esse uellet, cuius existimatione ac laude multorum Regum fortunam et gloriam anticeret. Neq; enim regnorum ac opum amplitudine et speciosis titulis, sed illustri fide, contestataq; uirtute, parari decus, quod ad posteros rediuiua cum laude propagetur. Nec ullum esse tam excelsum regij nominis fastigium, quod non facillè una perfectæ uirtutis altitudine

titudine superetur. Propterea se nequaquam optare,
 ut Regis sit uxor, quum eius Imperatoris esse maluit,
 qui magnos Reges non bello tantum præstanti manu,
 sed in pace etiam eximio inuicti rectiq; animi decore
 superare didicerit. Nec multò post Piscarius prægra-
 uante morbo eam ad se cum ornatissimo comitatu Me-
 diolanum accersuit, ut pote qui in eius lectissimæ sce-
 minæ diligentia & iucundissima familiaritate maxi-
 mum discutiendi morbi momentum opportunè collo-
 caret. Sed Victoria Romæ summo cum honore susce-
 pta, quum Viterbium applicuisset extincti uiri nūciū
 accepit, atq; ita ab instituto itinere propemodū exa-
 nimata dolore & lachrymis in templo sacratarū uir-
 ginum subsedit. Ferunt, Piscarium integerrimis sensi-
 bus, quum euanescente uitali spiritu hora fatalis immi-
 neret, summo cum pondere uerborum Victoriā u-
 xorem in primis, & Hispanos milites Vastio fratri cō-
 mendasse; dedisseq; præcepta ex arcanis consilijs, qui-
 bus ille militiæ, ac eo præsertim quod tum imminere
 providebat, bello uteretur, & militum animos in obse-
 quio facile contineret. In testamēti uerò tabulis nullū
 Christianæ pietatis & humanæ beneuolentiæ erga suos
 officium prætermisit. Nam & templum Neapoli in
 quo cucullati sacerdotes perpetuò sacra facerent Di-
 uo Thomæ condi legata pecunia præscripsit, & singu-
 los è familia exquisito meritorum iudicio ita remune-
 ratus est, ut uestem, arma, equos, argentum, atq; pecu-
 niam accuratissimè, nequaquam uti moriturus dispar-
 tiret. Funeratus est Mediolani regio sumptu, Pridie
 Calendas Decembres, Anno à partu Virginis quingē

tesimo uicesimo quinto supra millesimum. Nec multo post Neapolim prosequente in atra ueste amicorum & familiarium turba, deuectus est, ut in templo Diui Dominici ad aram maximam conderetur, ubi in signi pompa instauratis exequijs, eum è suggestu Valterius Corbitius Orator Mediolanensis disertissime laudauit. Fuere qui existimarent, eum totopulentis urbibus, atq; oppidis castrisq; hostium in ipso perpetuo uictoriarum cusu direptis, magnam auri uim seposuisset. Quæ opinio edita in uulgus extremo demum uitæ exitu, falsa & inanis apparuit: nam quum Vastium fratrem patruelem bonorum omnium heredem instituisset, eum etiam multo ære alieno implicitum reliquit, quando & paterna oppida uarijs tēporibus oppignerata, nec adhuc redempta, apud scenatores exedenda remansissent. Ita ut nihil ex tantis uictorijs ad eum præter gloriam & laudem omnino redundarit. Dicere enim solebat, neminem unquam, ex his qui militiam quæstui habendam putarent, magni Imperatoris nomen fuisse consecutum: Contrà uero, eos semper euasisse inuictos & longè clarissimos, qui nihil ad se, sed ad milites ex præda pertinere existimantes, ad unam tantum atq; eam immortalē uerri decoris laudem aspirassent.

F I N I S.

EPI-

EPITAPHIUM PISCARII,

A LVDOVICO ARIOSTO FER-

rariensi Poeta celeberrimo compositum.

Quis iacet hoc gelido sub marmore? maximus ille
Piscator, belli gloria, pacis honos.

Nunquid & hic pisces cepit? nō, ergo quid? Vrbes
Magnanimos Reges, Oppida, Regna, Duces.

Dic quibus hæc cepit piscator retibus? alto
Consilio, intrepido corde, alacriq; manu.

Qui tātū rapuere ducē? duo numina, Mars, Mors.
Ut raperent quid nam compulit? inuidia.


Nil nocere sibi, uiuit nam fama superstes,
Quæ Martem, & Mortem uincit, & Inuidiam.

A

1427943

[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page]

mi
ed
ab
ay
ut
a
do
to
a
ut
ut
me
ut
at
t
ab
t
en
acu
at
t
s
du
lab
n
us
co
t
no
at
t
at



firebor illi salutare vlt^u mei
et d^s me⁹. **G**la. **A** Sana dne
niam mea quia peccavi tibi

Deus auribz m^{is} audivi
m⁹ p^{re}s mⁱ annuaue
rit nobis. **O**pus qd^o opatus
es i diebz eoz. et i diebz annis

Manus tua gentes dispendio
et plantasti eos afflixisti iplos
et expulisti eos. **D**ec em in
gladio suo possiderit terram et
brachiu eoz no saluabit eos.

Sed dext^{ra} tua et brachiu
tuu et illuⁱⁿaco vltus tu. qm
oplaustis i eis. **Q**ues ipe i^x
me⁹ et d^s me⁹. qui mandas
salutes iacob.

In te iunios
m^{is} uentilabim⁹ cornu et
i nou^{me} tuo spem⁹ iⁿing^{er}
tes i nobis. **N**on em i arcu
meo habo. et gladi^u me⁹ no
saluabit me.

Saluasti em
nos de affligentibz nos et o
dientes nos confundisti. **I**n
de^o laudam⁹ tota die. et

7265-67

